This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



RNEST THORIN
ancien Collaborateur
de l'Ecole Normale Supérieure
, Rue de Médicis 7
A PARIS

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
5324697059

SEMINARIO DE DERECHO ROMANO
UNIVERSIDAD COMPLUTENSE
MADRID

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FACULTAD DE DERECHO
Vol. 614 Obra 162
Estante 41 Tabla 4
Clasificación 87.08

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

SEMINARIO DE LEGISLACION COMPARADA

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre-Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

Digitized by Google

0 53758

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

XV. o) 46

TITUS LIVIUS

PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SEPTIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

FORSEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

Digitized by Google

623300942

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XXXVI.

Cap. I; Bellum cum Antiocho decernitur ineundum, et lætis sacrificiis victoria portenditur. — II; Supplicatione facta ludisque magnis Jovi votis, provinciæ et exercitus decernuntur. — III; Coloni maritimi frustra vacationem petunt rei navalis, et fetiales de ratione belli Antiocho indicendi consuluntur. — IV; Philippi, Ptolemæi, Pœnorum et Masinissæ legati Romam veniunt, pollicentes ad bellum hoc auxilia, pecuniam et frumentum. — V; Interea Antiochus per hibernorum tempus sollicitat civitatium græcarum animos, et Chalcide audit legationes Epirotarum Eleorumque. — VI; In concilio Bœotarum Thebis habito hanc gentem sibi adjungit, et Demetriade cum principibus Ætolorum, Amynandro et Hannibale de summa rerum Thessalorumque gente tentanda deliberat. — VII; Hannibal suadet, ut ante omnia Philippi amicitia petatur, et bellum transferatur e Græcia in Italiam. — VIII; Antiochus autem nihil horum facit, et legendo ossa Macedonum circa Cynoscephalas jacentia nullam apud hanc gentem init gratiam, et Philippum ad id tempus dubium compellit ad arma cum Romanis jungenda. — IX; Mox, Thessalorum metu terrendorum causa, Pheras, Scotussam aliaque oppida capit, — X; et Larissam oppugnat; sed, Ap. Claudii strategemate deceptus, Demetriadem redit. — XI; In hibernis ipse cum militibus diffluit luxuria, et Chalcide filiam Cleoptolemi uxorem ducit. Principio veris ope Mnesilochi Acarnanum gentem sibi conciliat, — XII; et Medionem proditione capit; at frustra tentat Thyrium Leucademque. — XIII; Interim M. Bæbius proprætor et Philippus rex recipiunt oppida

Digitized by Google

Thessaliæ, quæ Athamanes occupaverant. — XIV; Ibidem M'. Acilius Glabrio consul res prospere gerit, et Athamania omnis concedit in jus ditionemque Philippi. — XV; Antiochus undique destitutus et ab suis, morantibus in Asia, et ab Ætolis, vana promittentibus, jam Hannibal[illegible]ut prudentem virum vatemque, admiratur, et intra saltu[illegible]ermopylarum sese recipit. — XVI; Ibi castra permunit, [illegible]toli vertices circa montium obsident. — XVII; Acilius ad easdem fauces admovet copias, et duobus legatis, M. Porcio Catone et L. Valerio Flacco, ad illa cacumina missis, milites paucis alloquitur. — XVIII, XIX; Postero die, pugna utrimque orta, totus pæne regis exercitus deletur. — XX; Consul per Phocidem et Bœotiam legiones ducit, et A. Atilius mergit capitque naves quasdam regias, frumento onustas. — XXI; Antiochus Ephesum transmittit, et Chalcis cæteræque urbes in Eubœa Romanis sine certamine traduntur. M. Cato, nuntius victoriæ, Romam venit: et M. Fulvius Nobilior, ex Hispania reversus, ovans Urbem ingreditur. — XXII-XXIV; Ætoli quia nihil pacati responderant legatis Acilii, Heraclea oppugnatur et capta diripitur. Inter captivos est Damocritus, princeps Ætolorum, qui olim T. Quintio, decretum gentis, quo arcessendum censuerant Antiochum, poscenti, ferociter dixerat, se id in Italia, castris super ripam Tiberis positis, daturum. — XXV; Philippus oppugnatione Lamiæ absistere jubetur. — XXVI; Ætolis ab Antiocho mittitur pecunia, et auxilia promittuntur. — XXVII, XXVIII; Sed Heraclea capta franguntur eorum animi, et pacis petendæ oratores Hypatam mittuntur ad consulem, qui postulat, ut in fidem se permittant Romanorum, et Dicæarchum, Menestam Amynandrumque sine mora dedant. — XXIX; Animi Ætolorum indignitate et difficultate eorum, quæ imperata erant, exasperantur, et mox vana exspectatione implentur ab Nicandro, qui, ab Antiocho reversus et benigne exceptus a Philippo, Lamiam obsidente, consultantibus de pace romana supervenit. — XXX; Acilius, Œtam et Coracem transgressus, ad Naupactum descendit, quo concurrisse Ætolos, ut inde totum belli impetum sustinerent, audiverat. —XXXI; Eodem tempore jussu T. Quintii tum Messenii, cum Ætolis sentientes, concilio achaico se iterum jungunt, tum Achæi solvunt obsidionem Messenes, — XXXII; et Zacynthum insulam, fraude interceptam, Romanis tradunt. — XXIII; Philippus autem, permittente Acilio, Demetriadem,

Digitized by Google

Dolopiam aliaque oppida, quæ defecerant ab societate romana, recipit; — XXXIV; et T. Quintius trajicit Naupactum, jam per duos menses a consule oppugnatam; ubi, obambulans muris, noscitur ab Ætolis, qui impensius orant, ut misereatur gentis suæ. — XXXV; Eo auctore solvitur obsidio, et induciæ Ætolis dantur. Consul cum Quintio ad achaicum concilium Ægium trajicit, ubi de Eleis et de exsulibus Lacedæmoniorum restituendis frustra agitur. Epirotarum Philippique legati Romam veniunt. — XXXVI; Alter consul P. Cornelius Scipio ludos, a se olim votos, sua impensa facit. Ædes Matris Magnæ Idææ et Juventatis dedicantur. — XXXVII; Procurantur prodigia, et Scipio in provinciam proficiscitur. — XXXVIII; Q. Minucius proc. cum Liguribus, et P. Cornelius consul cum Boiis egregie pugnat. — XXXIX; M. Fulvius Nobilior ex ulteriore Hispania ovans Urbem ingreditur, et P. Cornelius Scipio triumphum petit: quem honorem differendum quidem censet P. Sempronius Blæsus tribunus plebis, — XL; sed senatus universus, oratione consulis motus, extemplo decernit. — XLI; Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Ephesi securus admodum de bello romano est; sed, ab Hannibale, cujus nunc maxima apud eum auctoritas est, monitus, Romanos mox in Asiam venturos, navibus jam instructis petit Chersonesum, et Polyxenidam jubet cæteram parare classem. — XLII; C. Livius Piræeum ad veterem classem cum nova, tribus Eumenis navibus aucta, pervenit, et utraque trajicit Deluni. — XLIII; Paulo post et hæc romana et regiæ classes Phocæam petunt; et Eumenes, certamine jam inito, Elæa complures adducit naves. — XLIV, XLV; Livius et Eumenes hostes in fugam vertunt, Ephesumque persequuntur. Romæ consules (L. Cornelius Scipio et C. Lælius) prætoresque creantur.

I. P. Cornelium Cn. filium Scipionem, et M'. Acilium Glabrionem consules, inito magistratu, Patres, prius quam de provinciis agerent, res divinas facere majoribus hostiis jusserunt in omnibus fanis, in quibus lectisternium[1] majorem partem anni fieri solet;

Cap. I. 1. *Lectisternium.* Hic Crever. et Doer. observant, non tantum ex causa quadam forte suppeditata, sed etiam statis temporibus et in certis

Digitized by Google

precarique, quod senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res senatui populoque romano bene ac feliciter eveniret. Ea omnia sacrificia læta fuerunt, primisque hostiis perlitatum est; et ita haruspices responderunt, eo bello terminos populi romani propagari, victoriam ac triumphum ostendi. Hæc quum renuntiata essent, solutis religione animis, Patres rogationem ad populum ferri jusserunt: *Vellent juberentne, cum Antiocho rege, quique sectam ejus sequuti essent, bellum*[2] *iniri?* si ea rogatio perlata esset, tum, si ita videretur consulibus, rem integram ad senatum referrent. P. Cornelius eam rogationem pertulit. Tum senatus decrevit, ut consules Italiam et Græciam provincias sortirentur; cui Græcia evenisset, ut præter eum numerum militum, quem L. Quintius in eam provinciam ex auctoritate senatus scripsisset imperassetve[3], ut eum exercitum acciperet, quem M. Bæbius prætor anno priore ex senatusconsulto in Macedoniam trajecisset. Et extra Italiam permissum, ut, si res postulasset, auxilia ab sociis, ne supra quinque millium numerum, acciperet. L. Quintium superioris anni consulem legari ad id bellum[4] placuit. Alter consul, cui Italia provincia evenisset, cum Boiis jussus bellum gerere, utro exercitu mallet ex duobus, quos superiores consules habuissent; alterum ut mit-

quibusdam templis lectisternia indici solita fuisse; et hujus generis lectisternium notari in Kalendario Idibus Novemb. his verbis: *epulum indictum*, nempe diis. Ed. — *Hostiis perlitatum est;* vide ad V, 38, n. 1.

2. *Vellent juberentne cum Antiocho rege, quique sectam ejus sequuti essent, bellum iniri;* vide ad XXIX, 27, n. 2, et XXXVIII, 48, n. 5.

3. *Ex auctoritate senatus scripsisset* e civibus *imperassetve* sociis (confer. cap. 3 extr.), *ut eum exercitum*, etc. hoc *ut* πλεονάζει, ut passim; vide ad XXII, 11, n. 2); sed e quibusdam libris recte forsan ejectum: quin et proxime præcedens *ut* abesse poterat.

4. *L. Quintium... legari ad id bellum;* sic T. Quintio in Macedonia bellum gerenti legati ex SCto additi XXXII, 28 extr. et sæpe aliis imperatoribus: nec tamen L. Quintii deinde

Digitized by Google

teret Romam[5], eæque urbanæ legiones essent paratæ, quo senatus censuisset.

II. His ita in senatu ad id, quæ cujus[1] provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit. Acilio Græcia, Cornelio Italia evenit. Certa deinde sorte[2] senatusconsultum factum est: *quod populus romanus eo tempore duellum jussisset esse cum rege Antiocho, quique sub imperio ejus essent, ut ejus rei causa supplicationem imperarent consules; utique M'. Acilius consul ludos magnos Jovi voveret, et dona ad omnia pulvinaria*[3]. Id votum in hæc verba, præeunte P. Licinio pontifice maximo, consul nuncupavit: « Si duellum, quod cum Antiocho rege sumi « populus jussit, id ex sententia senatus populique « romani confectum erit; tum tibi, Jupiter, populus « romanus ludos magnos dies decem continuos faciet « donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, « quantam senatus decreverit. Quisque magistratus « eos ludos quando ubique faxit, hi ludi recte facti, « donaque data recte sunto[4] ». Supplicatio inde ab duobus consulibus edicta per biduum fuit. Consulibus sortitis provincias, extemplo et prætores sortiti

ulla in hoc bello mentio est; Duker. Conf. XXXV, 23, ad XXXVI, 17, n. 1, et XXXVII, 1, n. 6; Lips. de Mil. rom. II, 10.

5. *Cum Boiis jussus bellum gerere... alterum ut mitteret Romam*, etc. vide ad XL, 30, n. 2.

Cap. II. 1. *His ita in senatu ad*, ob, *id, quæ cujus*, etc. forte legendum esset *cujusque*, vel cum Bened. *quæ et cujus*.

2. *Certa deinde sorte*, etc. posteaquam sorte, sortitione, decretum est; Ern. An leg. *ducta deinde sorte?— Duellum*, antique dictum pro *bellum* monet Doering. studiose sc. in solennibus præsertim formulis servari solebant verborum formæ vetustiores. Ed. — *Jussisset esse*. Delet Gronov. verbum *esse*, quod sane non necessarium Crever. pronuntiat. Et quidem lib. XXXI, cap. 8, *bellum cum Philippo jussisset*; sic XLII, cap. 33, et al. Ed.

3. *Utique M'. Acilius consul ludos magnos Jovi voveret, et dona ad omnia pulvinaria*; vide ad V, 13, n. 5, et XXVII, 33, n. 4.

4. *Donaque data recte sunto*; vide ad XXII, 10, n. 2.

Digitized by Google

sunt. M. Junio Bruto jurisdictio utraque[5] evenit, A. Cornelio Mammulæ Bruttii, M. Æmilio Lepido Sicilia, L. Oppio Salinatori Sardinia, C. Livio Salinatori classis, L. Æmilio Paullo Hispania ulterior. His ita exercitus decreti. A. Cornelio novi milites[6], conscripti priore anno ex senatusconsulto a L. Quintio consule, dati sunt; jussusque tueri omnem oram circa Tarentum Brundisiumque. L. Æmilio Paullo in ulteriorem Hispaniam præter eum exercitum, quem a M. Fulvio proprætore accepturus esset, decretum est, ut novorum militum tria millia duceret et trecentos equites; ita ut in iis duæ partes socium latini nominis, tertia civium romanorum esset. Idem supplementi ad C. Flaminium, cui imperium prorogabatur, in Hispaniam citeriorem est missum. M. Æmilius Lepidus a L. Valerio, cui successurus esset, simul provinciam exercitumque accipere jussus: L. Valerium, si ita videretur, pro prætore in provincia retinere, et provinciam ita dividere, ut una ab Agrigento ad Pachynum esset, altera a Pachino Tyndarium: eam maritimam oram L. Valerius viginti navibus longis custodiret. Eidem prætori mandatum, ut duas decumas frumenti exigeret[7]; id ad mare comportandum devehendumque in Græciam curaret. Idem L. Oppio de alteris decumis exigendis in Sardinia imperatum: cæterum non in Græciam, sed Romam, id frumentum portari placere. C. Livius prætor, cui classis evenerat, cum triginta navibus paratis trajicere in Græciam

5. *Bruto jurisdictio utraque evenit;* vide ad XXV, 41, n. 8.

6. *A. Cornelio novi milites*, etc. conf. XXXV, 41.

7. *Ut duas decumas frumenti exigeret*, dandas ex agro decumano, in Sicilia a publicanis redempto. Confer. XXXVII, 2 extr. — Hic obiter adnotat Crev. quod testatur Cic. Verr. III, 42, senatum, quum temporibus reipublicæ coactus alteras decumas decerneret exigendas, ita decernere solitum, ut pecunia pro his decumis solveretur aratoribus, ne, quod sume-

Digitized by Google

primo quoque tempore jussus, et ab Atilio naves accipere. Veteres naves, quæ in navalibus erant, ut reficeret et armaret, M. Junio prætori negotium datum est, et in eam classem socios navales libertinos [8] legeret.

III. Legati terni in Africam ad Carthaginienses et in Numidiam ad frumentum rogandum, quod in Græciam portaretur, missi; pro quo pretium solveret populus romanus. Adeoque in apparatum curamque ejus belli civitas intenta fuit, ut P. Cornelius consul ediceret, *Qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret* [1], *quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset; neve uno tempore quinque senatores ab urbe Roma abessent.* In comparando impigre classem C. Livium prætorem contentio, orta cum colonis maritimis, paulisper tenuit. Nam, quum cogerentur in classem, tribunos plebei appellarunt: ab iis ad senatum rejecti sunt. Senatus ita, ut ad unum omnes consentirent, decrevit, vacationem rei navalis his colonis non esse [2]. Ostia et Fregenæ et Castrum novum et Pyrgi et Antium et Tarracina et Minturnæ et Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt. Consul deinde M'. Acilius ex senatusconsulto ad collegium fetialium retulit: *Ipsine utique regi Antiocho indiceretur bel-*

batur ultra debitum, rapi et auferri putaretur. Ed. — Mox pro *id* forte leg. *et*, vel *et id*.

8. *Socios navales libertinos*; vide ad IX, 38, n. 1.

Cap. III. 1. *Qui s. essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret*; vide ad XXII, 49, n. 13. — *Ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret... abessent*; conf. ad XLIII, 11, n. 3. — *In comparando impigre classem* MSS. *In comparanda i. classe* quædam edd. Conf. ad XXXV, 45, n. 2.

2. *Vacationem rei navalis his colonis non esse*; vide ad XXVII, 38, n. 2 et 3. — *Ad collegium fetialium retulit*, etc. vide ad I, 24, n. 5, et IX, 9, n. 2.

Digitized by Google

lum, an ad præsidium nuntiaretur? et num Ætolis quoque separatim indici juberent bellum? et num prius societas eis et amicitia renuntianda esset[3], *quam bellum indicendum?* Fetiales responderunt: *Jam ante sese, quum de Philippo consulerentur, decresse, nihil referre, ipsi coram, an ad præsidium*[4], *nuntiaretur. Amicitiam renuntiatam videri, quum legatis, toties repetentibus res, nec reddi, nec satis fieri æquum censuissent. Ætolos ultro sibi bellum indixisse, quum Demetriadem, sociorum urbem, per vim occupassent; Chalcidem terra marique oppugnatum issent; regem Antiochum in Europam ad bellum populo romano inferendum traduxissent.* Omnibus jam satis comparatis, M'. Acilius consul edixit: *Ut, quos L. Quintius milites conscripsisset, et quos sociis nominique latino imperasset, quos secum in provinciam ire oporteret, et tribuni militum legionis primæ et tertiæ, uti omnes Brundisium*[5] *Idibus Maiis convenirent.* Ipse ante diem quintum Nonas Maias paludatus Urbe egressus est. Per eosdem dies et prætores in provincias profecti sunt.

IV. Sub idem tempus legati ab duobus regibus, Philippo Macedoniæ et Ptolemæo Ægypti[1], Romam

—*An ad præsidium nuntiaretur?* vide ad XXXI, 8, n. 5, et XXXVIII, 46, n. 5.

3. *Societas eis et amicitia renuntianda;* vide ad XXV, 18, n. 5.

4. *Jam ante sese, quum de Philippo... nuntiaretur;* vide ad XXXI, 8, n. 4, 5. — *Toties repetentibus res, nec reddi, nec satis fieri*, etc. vide ad I, 22, n. 5.

5. *Uti omnes Brundisium*, etc. vide ad XXII, 11, n. 2. — Crev. legendum putat *ut hi;* quia Nostro usitata est particulæ *ut* geminatio; sed non raro quoque τῷ *ut* subjungi *uti* monet Doering. vide et Drak. ad VIII, 6, § 14. Ed. — *Ante diem quintum Nonas M. Paludatus U. e.;* vide ad I, 26, n. 1, et VI, 1, n. 9.

Cap. IV. 1. *Ptolemæo Ægypti.* Vocem *rege* post *Ægypti* olim vulgatam cum Crev. alii abhinc deleverunt; sed eam Doering. revocavit, quia, ut ipse Drak. testatur, vett. lib. ad unum omnes constanter eam servant; nec ejusdem vocabuli repetitio in orationis

Digitized by Google

venerunt, pollicentes ad bellum auxilia et pecuniam et frumentum. Ab Ptolemæo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti allata. Nihil ejus acceptum. Gratiæ regibus actæ : et, quum uterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id remissum; Philippi legatis responsum, gratum eum senatui populoque romano facturum, si M'. Acilio consuli non defuisset. Item ab Carthaginiensibus et Masinissa rege legati venerunt. Carthaginienses tritici modium[2] mille, hordei quingenta millia ad exercitum, dimidium ejus Romam apportaturos polliciti sunt; id ut ab se munus Romani acciperent, petere se : et classem suorum suo sumptu comparaturos; et stipendium, quod pluribus pensionibus in multos annos deberent, præsens omne daturos. Masinissæ legati quingenta millia modium tritici, trecenta hordei ad exercitum in Græciam; Romam trecenta millia modium tritici, ducenta quinquaginta hordei; equites quingentos, elephantos viginti regem ad M'. Acilium consulem missurum. De frumento utrisque responsum, ita usurum eo populum romanum, si pretium acciperent. De classe Carthaginiensibus remissum; præterquam si quid navium ex fœdere deberent. De pecunia item responsum, nullam ante diem[3] accepturos.

simplicitate offensioni esse debet. Ed. — *Mille pondo auri.* Selibras nostrates 1562 cum 4 unciis. *Viginti m. p. argenti* sunt selibræ nostrates 31250. Ed. — *Si M'. Acilio consuli non defuisset;* vide ad III, 46, n. 3.

2. *Tritici modium mille:* summam tritici mendosam esse, ex ea summa, quam mox a Masinissa, quamque XLIII, 6, ab eodem et a Pœnis oblatam legimus, nec non ex XXII, 37, et XXVI, 47, jam colligerunt Sigon. et Drak. Hic ex XLIII, 6, conj. *tritici X. C. M.*, h. e. decies centena millia, ut librarii non assequuti sint notas, vel ex Pal. 2, *tritici modium centena millia;* et ex Lov. 3, *hordei quinquaginta millia.* — *Classem suorum suo sumptu c.* vox *suorum* forte tollenda et orta ex seq. *suo* et prima syll. voc. *sumptu;* Duk.

3. *Nullam ante diem*, fœderis legi-

Digitized by Google

V. Quum hæc Romæ agebantur[1] Chalcide Antiochus, ne cessaret per hibernorum tempus, partim ipse sollicitabat civitatium animos mittendis legatis, partim ultro ad eum veniebant; sicut Epirotæ communi gentis consensu, et Elei e Peloponneso venerunt. Elei auxilium adversus Achæos petebant, quos, post bellum non ex sua sententia indictum Antiocho, primum civitati suæ arma illaturos credebant. Mille iis pedites cum duce cretensi Euphane sunt missi. Epirotarum legatio erat minime in partem ullam liberi aut simplicis animi. Apud regem gratiam initam volebant cum eo, ut caverent[2], ne quid offenderent Romanos. Petebant enim, *ne se temere in causam deduceret, expositos adversus Italiam pro omni Græcia, et primos impetus Romanorum excepturos. Sed, si ipse posset terrestribus navalibusque copiis præsidere Epiro*[3], *cupide eum omnibus Epirotas et urbibus et portubus suis accepturos. Si id non posset, deprecari, ne se nudos atque inermes*[4] *romano bello objiceret.* Hac legatione id agi apparebat, ut, sive (quod magis credebant) abstinuisset Epiro, integra sibi omnia apud exercitus romanos[5] essent, conciliata satis apud re-

bus definitam, *accepturos* se pecuniam. Conf. XXX, 37, et ad XXXIV, 6, n. 6.

Cap. V. 1. *Quum hæc Romæ agebantur;* non dubito, quin ex iis, quæ ad I, 40, annotata sunt, h. l. et c. 15 pr. legendum sit *agerentur;* Duker. Possis et *dum agebantur.* — *Ne cessaret per hibernorum tempus;* vide ad II, 18, n. 1. Illud *per* abest a MS Barber. non improb. Gron. ut vel intelligatur, vel sensus sit: ne tempus hib. otiosum transmitteretur. Idem mox delendum monet τὸ *venerunt.* Gesta vero hæc esse τοῦ χειμῶνος καταρχομένου tradit Polybius, XX, 3, quem conf. ad seqq.

2. *Volebant cum eo, ut caverent;* vide ad VIII, 14, n. 3. — *Ne quid offenderent Romanos;* vide ad III, 21, n. 2.

3. *Præsidere Epiro;* vide ad X, 17, n. 3. Mox *omnibus* e MSS recepimus pro vulgata lectione, *omnes,* suadente Gron.

4. *Nudos atque inermes romano bello objiceret;* vide ad III, 19, n. 9, et XXXV, 43, n. 4.

5. *Apud exercitus romanos;* vox media delenda; Gron.

Digitized by Google

gem gratia, quod accepturi fuissent venientem; sive venisset, sic quoque spes veniæ ab Romanis foret, quod, non exspectato longinquo auxilio[6] ab se, præsentis viribus succubuissent. Huic tam perplexæ legationi, quia non satis in promptu erat, quid responderet, legatos se missurum ad eos dixit, qui de iis, quæ ad illos seque communiter pertinerent, loquerentur.

VI. In Bœotiam ipse profectus est, causas in speciem iræ adversus Romanos eas, quas ante dixi[1], habentem, Brachyllæ necem, et bellum a Quintio Coroneæ, propter romanorum militum cædes, illatum; re vera per multa jam sæcula publice privatimque labante egregia quondam disciplina gentis[2], et multorum eo statu, qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset. Obviam effusis undique Bœotiæ principibus, Thebas venit. Ibi in concilio gentis, quanquam et ad Delium, impetu in præsidium roma-

6. *Longinquo auxilio*, quod e longinquo veniret, ut μακρὰ βοήθεια seu ἐπιβοήθεια et παραβοήθεια in Æneæ Poliorc. c. 16; Xenoph. Cyrop. V, 4, n. 47, et Polyb. II, 5, § 2, ubi conf. Schweigh.—*Legationi tam perplexæ*, quæ tam ambiguæ fidei foret; nam non aperte et sincere, sed tecte et astute agere videbatur. Ed.

Cap. VI. 1. *Causas in speciem iræ* (vide ad VI, 14, n. 2) *adversus Romanos eas, quas ante dixi*, etc. vide ad XXXIII, 27-29, et XXXIV, 47. Ad seqq. conf. Polyb. XX, 4-7, qui singula fusius tradit.

2. *Publice privatimque labante egregia quondam disciplina gentis* (vide ad Præf. n. 13), *et multorum eo statu* præsente hominum atque inprimis domi nobilium, *qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset*, h. e. multis ita ævum agentibus eumque privatarum rerum statum obtinentibus, ut perdita republica illis opus esset, ut, nisi rempublicam turbarent et moverent, et sic judicia ac legum minas effugerent, suum statum propediem motum et eversum viderent: quales describit Sallust. in bello Catil. et Cicero in Catil. II, qualesque pingunt instigatores facesque civilis belli Cæsar, Sallustius, Lucanus, Petronius; Gron. coll. XXXV, 34, n. 3, XLII, 30; Sueton. Cæs. 27, et inpr. loco egregio Polyb. XX, 6, de perdito reip. Bœotorum statu. Idem conj. *labantem egregiam q. disciplinam gentis et multorum eum statum*, sc. causas belli habentem. Immo *multorum eo statu*, sc. exsistente; Drak.

Digitized by Google

num facto, et ad Chalcidem commiserat nec a parvis nec dubiis principiis bellum, tamen eamdem orationem exorsus, qua in colloquio primo ad Chalcidem, quaque per legatos in concilio Achæorum usus erat, ut amicitiam secum institui, non bellum indici Romanis postularet; neminem, quid ageretur[3], fallebat. Decretum tamen sub levi verborum prætextu pro rege adversus Romanos factum est. Hac quoque gente adjuncta, Chalcidem regressus, præmissis inde literis, ut Demetriadem convenirent principes Ætolorum, cum quibus de summa rerum deliberaret[4], navibus eo ad diem indictam concilio venit. Et Amynander accitus ad consultandum ex Athamania; et Hannibal Pœnus, jam diu non adhibitus, interfuit ei concilio. Consultatum de Thessalorum gente est, quorum omnibus, qui aderant, voluntas tentanda videbatur. In eo modo diversæ sententiæ erant, quod alii extemplo agendum; alii ex hieme, quæ tum ferme media erat, differendum in veris principium; et alii legatos tantummodo mittendos, alii cum omnibus copiis eundum censebant, terrendosque metu, si cunctarentur.

VII. Quum circa hanc fere consultationem disceptatio omnis verteretur, Hannibal, nominatim interrogatus sententiam[1], in universi belli cogitationem regem atque eos, qui aderant, tali oratione vertit:

3. *Neminem, quid ageretur, fallebat* non bene referri potest ad *exorsus*. Melius fuaeret oratio, si legeretur: *exorsus est, qua... postularet. Neminem quidem, quid ageretur, fallebat*, i. e. latebat; Duk. — Et ita recepit Doering. qui in hoc loco anacoluthon agnoscere nolit. Ed. — *Sub levi verborum prætextu*. Non aperte enim bellum adversus Romanos fuerat decretum, sed res leviter tantum verbis speciosis tegebatur ita, ut nihil obscuri esset. Ed.

4. *Cum quibus de summa rerum* (vide ad III, 5, n. 6) *deliberaret;* cf. XXXV, 45 extr. — *Et alii legatos*, del. *et;* Duk.

Cap. VII. 1. *Hannibal, interrogatus sententiam* (vide ad XXXII, 23, n. 1). — *Tali oratione*, etc. confer. Justin. XXXI, 5, et Appian. Syr. 14. — *Vertit* a Thessalorum gente;

Digitized by Google

« Si, ex quo trajecimus in Græciam, adhibitus essem « in consilium, quum de Euboea, de Achæis, de Bœotia « agebatur, eamdem sententiam dixissem, quam ho- « die, quum de Thessalis agitur, dicam. Ante omnia « Philippum et Macedonas in societatem belli qua- « cumque ratione censeo deducendos esse. Nam quod « ad Euboeam Bœotosque et Thessalos attinet, cui « dubium est, quin, ut quibus nullæ suæ vires sint, « præsentibus adulando semper, quem metum in con- « silio habeant, eodem ad impetrandam veniam utan- « tur? simul ac romanum[2] exercitum in Græcia vi- « derint, ad consuetum imperium se avertant? nec « iis noxæ futurum sit, quod, quum Romani procul « abessent, vim tuam præsentis exercitusque tui ex- « periri noluerint? Quanto igitur prius potiusque est, « Philippum nobis conjungere, quam hos? cui, si se- « mel in causam descenderit[3], nihil integri futurum sit, « quique eas vires afferat, quæ non accessio tantum « ad romanum esse bellum, sed per se ipsæ nuper « sustinere potuerint Romanos. Hoc ego adjuncto (ab- « sit verbo invidia[4]) qui dubitare de eventu possim? « quum, quibus adversus Philippum valuerint Ro- « mani, iis nunc fore videam ut ipsi oppugnentur.

Drak. Conf. ad III, 63, n. 1. — *Censeo deducendos.* Creverius libenter deleret verbum *censeo*, quia magis videtur fore Livianum, si legatur: *Eam sententiam dixissem quam hodie... dicam;* scil. *ante omn. Phil. et Mac. in soc. bel. quæ. ratione deduc. esse.* Judicent ii quibus Liviana phrasis nota est. Ed.

2. *Simul ac romanum*, forte *ac, simul r.*, etc. Gron.

3. *Si semel in causam* nostram *descenderit*, ad partes nostras transierit. Sic *dissentientes in causam deducere* XLII, 38. — *Nihil integri fut. sit.* Sensus est: qui, si semel nobiscum arma junxerit, nequaquam postea mutare consilium et cum Romanis in gratiam redire poterit. *Nihil integri*, ut observat Doering. *aliquid esse* dicitur ei, cui, re semel affecta et inchoata, potestas *pro arbitrio agendi* erepta est ita, ut a consilio semel capto recedere nequeat. Ed.

4. *Absit verbo invidia;* vide ad IX, 19, n. 7.

Digitized by Google

« Ætoli, qui Philippum (quod inter omnes constat)
« vicerunt, cum Philippo adversus Romanos pugna-
« bunt. Amynander atque Athamanum gens, quorum
« secundum Ætolos plurima fuit opera in eo bello,
« nobiscum stabunt. Philippus tum, te quieto, totam
« molem sustinebat belli: nunc duo maximi reges,
« Asiæ Europæque viribus, adversus unum populum
« (ut meam utramque fortunam taceam[5]), patrum
« certe ætate ne uni quidem Epirotarum regi parem,
« (quid tandem erit vobiscum comparatus?) geretis
« bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet, con-
« jungi nobis Philippum posse? Una, communis uti-
« litas, quæ societatis maximum vinculum est: altera,
« auctores vos Ætoli. Vester enim legatus hic[6] Thoas
« inter cætera, quæ ad exciendum in Græciam Antio-
« chum dicere est solitus, ante omnia hoc semper af-
« firmavit, fremere Philippum, et ægre pati, sub spe-
« cie pacis leges servitutis sibi impositas. Ille quidem
« feræ bestiæ vinctæ aut clausæ, et refringere claustra

5. *Ut meam utramque fortunam taceam*, secundam et adversam. « Non adsequor sententiam horum verborum. Dum secundis rebus utebatur Hannibal, populus romanus ei impar erat: sed hoc dici non potest, postquam conversa fortuna cum adversis conflictari cœpit. In extrema oratione quidem dicit, se cum Romanis bellare *bonis suis malisque didicisse:* sed ex eo non efficitur, Romanos malis illius rebus bellum cum eo gerentes ei impares fuisse »; Duker. Illa modeste puto dicta esse hoc sensu: ut jam de me nihil dicam, qui initio secunda semper fortuna, et postremo quidem adversa usus sum, sed non mea culpa. Conf. omnino XXVIII, 12, et XXX, 35. — *Epirotarum regi*, Pyrrho. Ad seqq. conf. Victor. Var. Lect. XX, 1, quia ea cum locis Demosth. ex orat. pro Ctesiph. comparat. — *Quid tandem*, etc. quanti momenti erit *vobiscum comparatus*, scil. populus romanus; ita vulgo legitur. Quidam tamen post Doujat. receperunt, *qui quid*, nempe Pyrrhus; quam conjecturam in contextum admittere non dubitavit Creverius. Ed.

6. *Vester enim legatus hic Thoas*, etc. vide ad XXXV, 32, n. 2. — *Ille quidem feræ bestiæ vinctæ*, etc. idem de Philippo dixit Alexander Acarnan XXXV, 18. An itaque pro *ille* legendum *alius?* Sed eadem comparatio pluribus potuit in mentem venire, vel Livio res exornanti tribuenda, qui ea utitur passim; vid. XXXV, 18, n. 4.

Digitized by Google

« cupienti, regis iram verbis æquabat. Cujus si talis « animus est, solvamus nos ejus vincula, et claustra « refringamus, ut erumpere diu coercitam iram in « hostes communes possit [7]. Quod si nihil eum legatio « nostra moverit, at nos, quoniam nobis eum adjun- « gere non possumus, ne hostibus nostris ille adjungi « possit, caveamus. Seleucus filius tuus Lysimachiæ « est; qui si eo exercitu, quem secum habet, per Thra- « ciam proxima Macedoniæ cœperit depopulari, facile « ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad sua po- « tissimum tuenda avertet. De Philippo meam senten- « tiam habes. De ratione universi belli quid sentirem, « jam ab initio non ignorasti. Quod si tum auditus « forem, non in Eubœa Chalcidem captam, et castel- « lum Euripi expugnatum Romani, sed Etruriam Li- « gurumque et Galliæ Cisalpinæ oram bello ardere, « et, qui maximus iis terror est, Hannibalem in Italia « esse audirent. Nunc quoque arcessas censeo omnes « navales terrestresque copias. Sequantur classem one- « rariæ cum commeatibus: nam hic sicut ad belli mu- « nera pauci sumus, sic nimis multi pro inopia com- « meatuum [8]. Quum omnes tuas contraxeris vires, « divisam classem partim Corcyræ in statione habebis, « ne transitus Romanis liber ac tutus pateat; partim « ad litus Italiæ, quod Sardiniam Africamque spectat, « trajicies: ipse cum omnibus terrestribus copiis in « Byllinum agrum [9] procedes. Inde Græciæ præsidebis,

7. *Ut erumpere diu coercitam iram* (ita MSS non, ut edd. antt., *coercita ira*) *in hostes possit*, h. e. effundere. Conf. Gron. et Drak. ad h. l. et Ernesti Clav. Cic. voc. *erumpere*.

8. *Pro inopia commeatuum;* vide ad VII, 33, n. 2.

9. *In Byllinum agrum*, Byllidis seu Bullidis, oppidi maritimi Macedoniæ seu Illyrici; unde *Bullini* (hinc XLIV, 30, pro *Bullianorum* Drak. edidit *Bullinorum*, at Sigon. *Bulinorum* e Steph.), *Buliones*, *Bullienses*, *Bullidenses*, *Byllidenses*, *Bulliones* vide Drak. ad h. l. et XLIV, 30; Palmer. Græc. Ant. I; Ernesti Clav. Cic.

Digitized by Google

« et speciem Romanis trajecturum te præbens, et, si « res poposcerit, trajecturus. Hæc suadeo, qui, ut non « omnis peritissimus sim belli, cum Romanis certe « bellare bonis malisque meis didici. In quæ consi- « lium dedi, in eadem nec infidelem, nec segnem « operam polliceor. Dii approbent eam sententiam, « quæ tibi optima visa fuerit. »

VIII. Hæc ferme Hannibalis oratio fuit; quam laudarunt magis [1] in præsentia, qui aderant, quam rebus ipsis exsequuti sunt. Nihil enim eorum est factum, nisi quod ad classem copiasque arcessendas ex Asia Polyxenidam misit. Legati Larissam ad concilium Thessalorum sunt missi, et Ætolis Amynandroque dies ad conveniendum exercitui Pheras est dictus. Eodem et rex cum suis copiis confestim venit. Ibi dum opperitur Amynandrum atque Ætolos, Philippum Megalopolitanum cum duobus millibus hominum ad legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas, ubi debellatum erat cum Philippo [2], misit; sive ab ipso, quærente

in Ind. geogr. voc. *Byllis.* — *Græciæ præsidebis;* vide supra ad X, 17, n. 3. — *Ut*, quamvis, *non omnis belli*, cum omnibus populis, et terra marique gerendi: cui *Romanum* opponitur.

Cap. VIII. 1. *Quam laudarunt magis*, etc. cf. Justin. XXXI, 6, et Appian. Syr. 14. — *Ætolis Amynandroque dies dictus est ad conveniendum exercitui* (cum exercitu Antiochi) *Pheras:* ita voces cohærere puto, ne duplex dativus ad *dictus* referatur; Drak. Conf. ad XXII, 12, n. 1. *Ab Ætolis* emend. Jac. Gronov. (sed credibilius esse, ab Antiocho, quem imperatorem fecerint, XXXV, 45, diem illam fuisse dictam, ut cap. 15, quam ab Ætolis et Amynandro, jam monuit Duk.) *cum exercitu* Gron., et *sunt missi ab Ætolis Amynandroque dies ad c. exercitui P. e. d.* Bened.—Doering. hic nihil mutandum, et hunc locum ita explicandum putat: Dies dictus est Ætolis Amynandroque *ad conveniendum exercitui Pheras*, h. e. quo Pheras conveniendum esset. Quod nisi placet, vocem *exercitui* ab indocto homine in textum importatam esse, statuere ipse malit, quam alia ratione huic loco emendando operam dare. Ed.

2. *Ad legenda* sepeliendaque *ossa Macedonum circa Cynoscephalas, ubi debellatum erat cum Philippo* a Romanis, *misit*, etc. conf. Appian. Syr. 15 (ubi Antiochum ipse magnifice sepelivisse milites tradit); Plut. Flamin.

Digitized by Google

sibi commendationem ad Macedonum gentem et invidiam regi, quod insepultos milites reliquisset[3], monitus; sive ab insita regibus vanitate ad consilium specie amplum, re inane, animo adjecto. Tumulus est, in unum ossibus, quæ passim strata erant, coacervatis, factus; qui nullam gratiam ad Macedonas, odium ingens ad Philippum movit. Itaque, qui ad id tempus fortunam esset in consilio habiturus[4], is extemplo ad M. Bæbium proprætorem misit, *Antiochum in Thessaliam impetum fecisse. Si videretur ei, moveret ex hibernis: se obviam processurum, ut, quid agendum esset, consultarent.*

IX. Antiocho, ad Pheras jam castra habenti, ubi conjunxerant ei se Ætoli et Amynander, legati ab Larissa venerunt, quærentes, quod ad factum dictumve Thessalorum bello lacesseret eos? simul orantes, ut, remoto exercitu, per legatos, si quid ei videretur, secum disceptaret. Eodem tempore quingentos armatos, duce Hippolocho, Pheras in præsidium miserunt. Hi exclusi aditu, jam omnia itinera obsidentibus regiis, Scotussam se receperunt. Legatis Larissæorum rex clementer respondit, *Non belli faciendi, sed tuendæ et stabiliendæ libertatis Thessalorum causa, se Thessaliam intrasse.* Similia his qui cum Pheræis ageret, missus. Cui nullo dato responso, Pheræi ipsi legatum

c. 9; Alcæi carmen XXII, in Brunck. Anal. t. I, p. 492; Jacobs ad Anthol. Gr. t. I, p. 2, pag. 365. — *Ab ipso*, scil. Philippo Megalopolitano. Ed.

3. *Quod insepultos milites reliquisset;* vide ad I, 49, n. 1. — *Ab insita regibus vanitate*, ab ea vanitate, quæ regibus insita esse solet. Livius sæpe de regibus veterum Romanorum more liberius loquitur; unde vir cl. *Noël* suspicatur Livii opera, post Augustum, in offensionem principum incurrisse, et eam ob causam adeo mutilata ad nos pervenisse. Ed.

4. *Fortunam in consilio habiturus*, transiturus in eas partes, quibus fortuna belli adspiraret. Confer. Appian. l. l. — *Ad M. Bæbium p. misit*, etc. vide supra ad librum VIII, cap. 19, not. 10.

Digitized by Google

ad regem, principem civitatis Pausaniam, miserunt. Qui quum haud dissimilia his, ut in causa pari[1], quæ pro Chalcidensibus in colloquio ad Euripi fretum dicta erant, quædam etiam ferocius, egisset; rex etiam atque etiam deliberare eos jussos, ne id consilii caperent, cujus, dum in futurum nimis cauti et providi essent, extemplo pœniteret, dimisit. Hæc renuntiata Pheras legatio quum esset, ne paulum quidem dubitarunt, quin pro fide erga Romanos, quidquid sors belli tulisset, paterentur. Itaque et hi summa ope parabant se ad urbem defendendam, et rex ab omni parte simul oppugnare mœnia est aggressus, et, ut qui satis intelligeret (neque enim dubium erat), in eventu ejus urbis positum esse, quam primam aggressus esset, aut sperni deinde ab universa gente Thessalorum, aut timeri se, omnem undique terrorem obsessis injecit. Primum impetum oppugnationis satis constanter sustinuerunt: dein, quum multi propugnantes caderent, aut vulnerarentur, labare animi cœpere. Revocati deinde castigationibus principum ad perseverandum in proposito, relicto exteriore circulo muri, deficientibus jam copiis, in interiorem partem urbis concesserunt, cui brevior orbis munitionis circumjectus erat. Postremo victi malis, quum timerent, ne vi captis nulla apud victorem venia esset, dediderunt sese. Nihil inde moratus rex, quatuor millia armatorum, dum recens terror esset, Scotussam misit. Nec ibi mora deditionis est facta[2], cernen-

Cap. IX. 1. *Ut in causa pari;* vide ad VIII, 30, n. 7. — *Quæ pro Chalcidensibus in colloquio*, etc. vide ad XXXV, 46.

2. *Nec ibi mora deditionis est facta,* forte *deditioni,* ut III, 2; IV, 13; VI, 31; XXVIII, 7; XLII, 7: nam *mora deditionis* recte quidem dicitur, ut apud Sall. Jug. 29, verum alio sensu; Duk. « Forte *mora deditionis* non tantum active dici potest mora, quam infert deditio, sed etiam passive mora, quæ infertur deditioni, ut *facere moram dimicandi* et *concurrendi*

Digitized by Google

tibus Pheræorum recens exemplum, qui, quod pertinaciter primo abnuerant, malo domiti tandem fecissent. Cum ipsa urbe Hippolochus Larissæorumque deditum est præsidium. Dimissi ab rege inviolati omnes: quod eam rem magni momenti futuram[3] rex ad conciliandos Larissæorum animos credebat.

X. Intra decimum diem, quam Pheras venerat, his perfectis, Cranonem, profectus cum toto exercitu, primo adventu cepit. Inde Cypæram et Metropolim et iis circumjecta castella recepit; omniaque jam regionis ejus, præter Atracem et Gyrtonem, in potestate erant. Tum aggredi Larissam constituit; ratus vel terrore cæterarum expugnatarum, vel beneficio præsidii dimissi[1], vel exemplo tot civitatium dedentium sese, non ultra in pertinacia mansuros. Elephantis agi ante signa terroris causa jussis, quadrato agmine ad urbem incessit; ut incerti fluctuarentur animi magnæ partis Larissæorum inter metum præsentem hostium et verecundiam absentium sociorum. Per eosdem dies Amynander cum Athamanum juventute occupat Pellinæum; et Menippus, cum tribus millibus peditum Ætolorum et ducentis equitibus in Perrhæbiam profectus, Malloeam et Cyretias vi cepit, depopulatusque

VII, 27; XXI, 2; XXIV, 15; XXXI, 33. *Supplicii moram afferre* et *moram mortis assequi* apud Cic. Verr. V, 64; *redimere moram belli* apud Sall. Jug. 29 »; Drak.

3. *Quod eam rem magni momenti futuram rex*, etc. forte leg. *magno momento*, certe del. τὸ *rex*, vel paulo ante *ab rege;* Gron. — Nihil delendum putat Doering. nam ab ejusmodi negligentia in repetendis, quæ statim præcesserunt, vocibus optimi quique scriptores haud abstinuere. Ed.

Cap. X. 1. *Beneficio* (ob beneficium) *præsidii dimissi* (cf. cap. 9)... *non ultra... mansuros;* vide ad III, 47, n. 1. — *Fluctuarentur;* vide ad IV, 24, n. 2. — *Inter metum præsentem* (ut XLII, 53) *hostium*, Mur. malebat *præsentium*, haud dubie propter seqq. *absentium*. Sed orationem a Livio variari solere, monet Drak.— *Pellinæum*, rectius forte e nummis *Pelinæum* seu *Pelinnæum*, et apud Steph. Πέλινα pro Πέλιννα, quoniam oppidum a Pelino conditore sic dictum tradit. Cf. Duk. et Drak. ad hunc locum; Spanhem. de usu et pr. num.

Digitized by Google

est agrum Tripolitanum[2]. His raptim peractis, Larissam ad regem redeunt: consultanti, quidnam agendum esset de Larissa, supervenerunt. Ibi in diversum sententiæ tendebant; aliis, vim adhibendam, et non differendum censentibus, quin operibus ac machinis simul undique mœnia aggrederentur urbis sitæ in plano[3], apertæ, campestri undique aditu; aliis nunc vires urbis, nequaquam Pheris conferendæ, memorantibus, nunc hiemem et tempus anni nulli bellicæ rei, minime obsidioni atque oppugnationi urbium, aptum. Incerto regi inter spem metumque legati a Pharsalo[4], qui ad dedendam urbem suam forte venerant, animos auxerunt. M. Bæbius interim, cum Philippo in Dassaretiis congressus, Ap. Claudium ex communi consilio ad præsidium Larissæ misit, qui per Macedoniam magnis itineribus in jugum montium, quod super Gonnos est, pervenit. Oppidum Gonni viginti millia ab Larissa abest, in ipsis faucibus saltus,

diss. IX, pag. 902, ed. Amst. 1671; Intpp. Strab. IX, 437; Salmas. ad Solin. pag. 607.

2. *Agrum Tripolitanum*; vide ad XLII, 53.

3. *Urbi sitæ in plano* (vide ad XXI, 32, n. 7), *apertæ* (quam facile quivis intrare posset; Crever.), *campestri undique*, per loca plana et campestria, *aditu*, ut XL, 22, n. 5; et sic *campestris urbs*, *ager*, *vicus* seu *campestre oppidum*, in campo et plano situm, XXIII, 45, n. 7; XXXVII, 39; XXXVIII, 18; XL, 53 et 58. Conf. ad X, 2, 3. Sic et *campestre iter* apud Cæs. B. Civ. I, 66, et Curt. V, 3, n. 16. Hanc lect. e MSS et antt. edd. restituere Crever. et Drak. pro vulg. *a parte campestri undique facilis* (quod in nullo MS exstat) *aditu*. Sed cum Duk. pro *apertæ* forsan leg. *aperto et*, ut *apertus aditus* dictus est, ut *apertus campus*, *apertum* et *aperta loca*, h. e. patentia, ubi non est locus insidiis, *purus et patens campus*, *ubi nullus insidiarum metus* XXIV, 14: nam Larissa tota in plano sita (vide Strab. IX, 440), at *mœnibus* cincta, *operibus et machinis oppugnata*; unde non bene dici potest *aperta*, non munita. Hæc et alia monuit Duker. — Vulgatam tuetur Doer. qui distinctione post *apertæ* sublata, locum sic explicat: *apertæ undique*, patentis ex omni parte *aditu*, aditui; hoc est, quæ ita patebat ut undique e campo adiri posset. Itaque τὸ *aditu* antique in tertio casu pro *aditui* accipit, quod neminem adhuc vidisse miratur. Ed.

4. *Legati a Pharsalo*; vide ad X, 14, n. 2.

Digitized by Google

quæ Tempe appellantur, situm. Ibi castra metatus latius, quam pro copiis[5], et plures, quam quot satis in usum erant, ignes quum accendisset, speciem, quam quæsierat, hosti fecit, omnem ibi romanum exercitum cum rege Philippo esse. Itaque hiemem instare apud suos causatus[6] rex, unum tantum moratus diem, ab Larissa recessit, et Demetriadem rediit; Ætolique et Athamanes in suos receperunt se fines. Appius, etsi, cujus rei causa missus erat, solutam cernebat obsidionem, tamen Larissam ad confirmandos in reliquum[7] sociorum animos descendit; duplexque lætitia erat, quod et hostes excesserant finibus, et intra mœnia præsidium romanum cernebant.

XI. Rex Chalcidem a Demetriade profectus, amore captus virginis Chalcidensis[1] Cleoptolemi filiæ, quum patrem, primo allegando[2], deinde coram ipse rogando, fatigasset, invitum se gravioris fortunæ conditioni illigantem, tandem impetrata re, tanquam in media

5. *Latius, quam pro copiis;* vide ad VII, 33, n. 2. — *Plures, quam... ignes accendisset;* vide ad XXII, 41, n. 5.

6. *Hiemem instare causatus;* Duk. ad h. l. docet, *instare* (ut fere gr. ἐνστῆναι) primum dici, quæ nondum quidem inchoata, sed vel mox futura sint, ut XXIX, 35, XXXIII, 41, XXXVII, 39; vel interjecto longiore temporis spatio, ut XXI, 21; deinde quæ jam cœpta ac præsentia sint, ut II, 48, III, 6; denique quæ, postquam inchoata sint et præsentia esse cœperint, maneant, durent et urgeant, ut V, 6, XXVIII, 38; et forte h. l. de hieme, quæ jam ferme media fuerit (vide cap. 6 et 11); nisi leg. sit *hiemem obstare,* utpote nulli bellicæ rei, minime oppugnationi et obsidioni urbium, aptam, quod quidam in consiliis dicebant. Conf. supra ad III, 6, n. 5, et V, 6, n. 5.

7. *Confirmandos in reliquum;* vide ad XXIII, 20, n. 4. — *Descendit Larissam:* cur *descendit?* conf. n. 3.

Cap. XI. 1. *Amore captus virginis Chalcidensis*, etc. conf. Appian. Syr. 16 et 20; Polyb. XX, 8 (vel Athen. X, 54).

2. *Primo allegando*, cum eo per amicos agendo. Ernesti in Clav. Cic. « Publice, inquit, *legantur* homines, qui inde *legati* dicuntur; privatim *allegantur,* h. e. submittuntur ad aliquos, qui cum iis agant: unde *allegati,* quos vulgo *deputatos* vocant. » Conf. Gronov. ad h. l. — *Fatigasset;* vide ad XXVII, 50, n. 2. — *Se g. f. conditioni illigantem;* vid. XXXIII,

Digitized by Google

pace nuptias celebrat; et reliquum hiemis, oblitus quantas simul duas res suscepisset, bellum romanum et Græciam liberandam, omissa omnium rerum cura, in conviviis et vinum sequentibus voluptatibus, ac deinde, ex fatigatione magis, quam satietate earum, in somno traduxit. Eadem omnes præfectos regios (qui ubique, ad Bœotiam maxime [3], præpositi hibernis erant) cepit luxuria: in eamdem et milites effusi sunt. Nec quisquam eorum aut arma induit, aut stationem, aut vigilias servavit; aut quidquam, quod militaris operis, aut muneris esset, fecit. Itaque principio veris, quum per Phocidem Chæroneam, quo convenire omnem undique exercitum jusserat, venisset; facile animadvertit, nihilo severiore disciplina milites, quam ducem, hibernasse. Alexandrum inde Acarnana et Menippum Macedonem Stratum Ætoliæ copias ducere jussit. Ipse, Delphis sacrificio Apollini facto, Naupactum processit. Consilio principum Ætoliæ habito, via, quæ præter Calydonem et Lysimachiam [4] fert ad Stratum, suis, qui per Maliacum sinum

12, n. 6. — Locutionis hujus elegantiam laudat Doer. Vulgari sermone dixisset auctor: invito animo se adduci patientem ut filiam in matrimonium daret regi, cujus fortuna gravior esset quam ut bene ferri posset. *Conditio* de nuptiis, quæ dotis conditione fieri solent. Ed.

3. *Ad Bœotiam maxime*, forte *ac Bœotiæ m.* Gron. — Eadem luxuria laborasse præfectos omnes regios, qui præpositi ubique hibernis erant, maxime ad Bœotiam ubi pars maxima copiarum hibernabat, monet Crever. Ed. — *Per Phocidem Chæroneam*, Bœotiæ opp., *venisset* Chalcide Eubœæ, ubi hibernaverat. *Per Phocidem in Acarnaniam* ex cap. 12, et Appian. Syr. 16, conj. Sigon. Sed Crever. et Drak. docent ex Strabone, IX, 416, 424, et Palmer. Græc. ant. VI, 1, antiquitus Phocidem non tantum ab altera parte sinum Corinthiacum, sed etiam ab altera sinum Maliacum et mare Euboicum attigisse; adeoque non necesse fuisse Bœotiam intrare trajecturo ab Eubœa in Phocidem, quemadmodum etiam cap. seq. Antiochus *per Ætoliæ et Phocidis urbes Chalcidem redierit* non facta Bœotiæ mentione.

4. *Præter Calydonem et Lysimachiam*, oppida Ætoliæ. *Præter Chalcidem* edd. fere omnes ante Drakenb.

Digitized by Google

veniebant, occurrit. Ibi Mnesilochus princeps Acarnanum, multis emptus donis, non ipse solum gentem regi conciliabat, sed Clytum etiam prætorem, penes quem tum summa potestas erat, in suam sententiam adduxerat. Is quum Leucadios, quod Acarnaniæ caput est[5], non facile ad defectionem posse cerneret impelli, propter metum romanæ classis, quæ cum Atilio, quæve circa Cephaleniam erat, arte eos est aggressus. Nam quum in concilio dixisset, tuenda mediterranea Acarnaniæ esse, et omnibus, qui arma ferrent, exeundum ad Medionem et Thyrium[6], ne ab Antiocho aut Ætolis occuparentur; fuere, qui dicerent, nihil attinere omnes tumultuose concitari; satis esse quingentorum hominum præsidium. Eam juventutem nactus, trecentis Medione, ducentis Thyrii in præsidio positis, id agebat, ut, pro obsidibus[7] futuri, venirent in potestatem regis.

XII. Per eosdem dies legati regis Medionem venerunt. Quibus auditis, quum in concione, quidnam respondendum regi esset, consultaretur, et alii manen-

Χαλκὶς seu Χάλκεια nomen duorum Ætoliæ oppidorum, ad Evenum et Acheloum fl. vid. Strab. X, p. 459, sq. et 447; cf. et Schweigh. ad Polyb. V, 94, § 8. — *Ad Stratum;* vide ad VIII, 1, n. 1. *Stratus* metropolis olim Acarnaniæ, ad Acheloum fl., postea imperio Ætolorum subjecta. Confer. Palmer. Græc. ant. III, 5, et Cellar. Geogr. ant. II, 13, pag. 707. — *Mnesilochus p. A.;* vide ad XXXVII, 45, n. 8.

5. *Leucadios, Acarnaniæ caput;* videndum supra ad librum XXVI, cap. 26, n. 1.

6. *Ad Medionem et Thyrium* oppida Acarnaniæ. *Medeonem* al. non minus recte. Nam Μεδίων et Μεδεὼν nominatur hæc urbs, sita in extrema Acarnania, versus Epirum, non longe a sinu Ambracico; ab qua diversa est illa sive Medeon sive Meteon Labeatidis in Illyrico (Μεδεὼν τῆς Ηπείρου πόλις καὶ Κώμη Steph.), infra XLIV, 23, 32, et Polyb. XXIX, 2, § 5, memorata; vid. Drak. ad XLIV, 23, et Schweigh. ad Polyb. II, 2, § 5. Pro *Thyrium* alii mendose *Tyrrheum*, ut et cap. 12, et XXXVIII, 9. Græcis dicitur Θύριον, Θύρεον et Θούριον, civesque Θουριεῖς· vid. Drak. ad h. l. et XXXVIII, 9; Schweigh. ad Polyb. IV, 6, § 2; XXII, 12, § 4, et XXVIII, 5, § 1.

7. *Pro obsidibus futuri;* vide ad II, 7, n. 4.

Digitized by Google

dum in romana societate, alii non adspernandam amicitiam regis censerent; media visa est Clyti sententia [1] eoque accepta, ut ad regem mitterent legatos, peterentque ab eo, ut Medionios super tanta re consultare in concilio Acarnanum pateretur. In eam legationem Mnesilochus, et qui ejus factionis erant, de industria conjecti [2], clam missis, qui regem admovere copias juberent, ipsi terebant tempus. Itaque vixdum iis egressis legatis, Antiochus in finibus, mox ad portas erat, et trepidantibus, qui expertes proditionis fuerant, tumultuoseque juventutem ad arma vocantibus, ab Clyto et Mnesilocho in urbem est inductus; et, aliis sua voluntate affluentibus, metu coacti etiam, qui dissentiebant, ad regem convenerunt. Quos placida oratione territos quum permulsisset, ad spem vulgatæ clementiæ aliquot populi Acarnaniæ defecerunt. Thyrium a Medione profectus est, Mnesilocho eodem et legatis præmissis. Cæterum detecta Medione fraus cautiores, non timidiores, Thyrienses fecit, dato

Cap. XII. 1. *Media visa est Cl. sententia*, quatenus inter ea, quæ suasissent cæteri, mediam quasi viam ineundam esse censebat; vid. II, 30, n. 1. Ed.—*Eoque acc.;* vid. I, 11, n. 6. Post *accepta* ed. Mogunt. et seqq. adjecere *est*, quod ab omnibus MSS præter Mogunt. et ab edd. ante Mog. abest. Delevi suadente Duk. — Pro *eoque* plurimæ editt. perperam exhibent *eaque*. Τὸ *est* autem post *accepta*, servavit Doeringius, quem ejusmodi negligentia in optimis scriptoribus haud infrequens, non offendit. Ed.

2. *In eam legationem... conjecti;* vide ad XXXV, 28, n. 5.—Pro *conjecti*, in pluribus editt. legitur *collecti*, quod glossam redolere judicat Doering. Significanter enim Mnesilochus et qui ejus factionis erant, in eam legationem *conjecti* fuisse dicuntur, quia non sorte in eam electi, sed fere vi quadam ei obtrusi fuerant, et hinc quoque additur *de industria*. Ed. — *Placida oratione territos*. Suspecta est vox *territos* Doeringio, qui non facile aliquem simpliciter *territum*, nisi re qua terretur adjecta, dici posse existimat; deinde quia ea vox importuno plane loco posita est; ibi enim exspectes potius *appellatos*, *delinitos;* denique τὸ *territos* jam latet in *quos*, quum de *metu* eorum, *quos* rex *permulsit*, jam antea dictum sit. Itaque vir cl. hanc vocem e margine in textum irrepsisse arbitratur. Ed. — *Vulgatæ*. Sermonibus populorum prædicatæ. Ed.

Digitized by Google

ei haud perplexo responso, nullam se novam societatem, nisi ex auctoritate romanorum[3] imperatorum, accepturos, portisque clausis, armatos in muris disposuerunt. Et peropportune ad confirmandos Acarnanum animos Cn. Octavius missus a Quintio, quum præsidium et paucas naves ab A. Postumio, qui ab Atilio legato Cephaleniæ præpositus fuerat, accepisset, Leucadem venit, implevitque spei socios, M'. Acilium consulem jam cum legionibus mare trajecisse, et in Thessalia castra romana esse. Hunc rumorem quia similem veri tempus anni maturum jam ad navigandum faciebat; rex, præsidio Medione imposito[4] et in quibusdam aliis Acarnaniæ oppidis, Thyrio abscessit, et per Ætoliæ ac Phocidis urbes Chalcidem rediit.

XIII. Sub idem tempus M. Bæbius et Philippus rex, jam ante per hiemem in Dassaretiis congressi, quum Ap. Claudium, ut obsidione Larissam eximeret, in Thessaliam misissent, quia id tempus rebus gerendis immaturum erat, in hiberna regressi, principio veris conjunctis copiis in Thessaliam descenderunt. In Acarnania tum Antiochus erat. Advenientes Philippus Malloeam Perrhæbiæ, Bæbius Phacium est aggressus, quo primo prope impetu capto, Phæstum eadem celeritate capit. Inde Atracem quum se recepisset, Cyretias hinc et Eritium[1] occupat; præsidiisque per recepta oppida dispositis, Philippo rursus obsidenti Malloeam se conjungit. Sub adventum romani exer-

3. *Nisi ex auctoritate romanorum imperatorum*, Acilii, Livii, Quintii: nisi del. τὸ *imperatorum;* Gronov. — *Ab A. Postumio, qui ab Atilio legato*, etc. sed Atilius prætor fuit, cui classis et Macedonia erat decreta; vide ad XXXV, 20; 21, 37. Cum Jac. Perizonio legendum est, *legatus*, ut Postumius fuerit Atilii legatus.

4. *Præsidio Medione imposito;* vide ad XXXI, 18, n. 5.

Cap. XIII. 1. *Cyretias hinc et Eritium*, al. *Chyretias* et pro *Eritium* ex emend. Sigon. *Phricium*, mons Locridis (vid. Strab. XIII, 583 et 621), ab h. l. alienus.

Digitized by Google

citus, seu ad metum virium, seu ad spem veniæ, quum dedidissent sese; ad ea recipienda oppida, quæ Athamanes occupaverant, uno agmine ierunt. Erant autem hæc, Æginium [2], Ericinium, Gomphi, Silana, Tricca, Meliboea, Phaloria. Inde Pellinæum, ubi Philippus Megalopolitanus cum quingentis peditibus et equitibus quadraginta in præsidio erat, et circumsidunt, et, prius quam oppugnarent, mittunt ad Philippum, qui moneret, ne vim ultimam experiri vellet. Quibus ille satis ferociter respondit, vel Romanis, vel Thessalis se crediturum fuisse; in Philippi se potestatem commissurum non esse. Postquam apparuit vi agendum, quia videbatur et Limnæam eodem tempore oppugnari posse, regem ad Limnæam ire placuit; Bæbius restitit ad Pellinæum oppugnandum.

XIV. Per eos forte dies M'. Acilius consul, cum viginti millibus peditum, duobus millibus [1] equitum, quindecim elephantis, mari trajecto, pedestres copias Larissam ducere delectos militum tribunos jussit. Ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum venit. Adventu consulis deditio sine cunctatione est facta traditumque

2. *Æginium, Ericinium*, al. Ericinum. — Locus hic in MSS Bamberg. sic legitur, teste Goellero: *Erant autem hæ, Ceginium, Ercinium, Gompisi, Lanatricta, Mœlibœa.* Ed. — *Qui moneret.* Quidam codices apud Drak. et MSS Bamberg. dant, *qui monerent;* quod rectius omnino putat Doering. quia sequitur, *quibus respondit.* Ed.

Cap. XIV. 1. *Cum viginti millibus peditum, duobus millibus equitum;* alterum *millibus* delendum, et *viginti* leg. pro vulg. *decem*, vel *XX* pro *X*, ex Appiani Syr. 17, et quia Acilius duas legiones, primam et tertiam (vid. supra ad caput 3, et infra XXXVII, 2), habuit præter socios, peditum numerum æquantes, equitum præbentes duplicatum; Gron. E MS Victor. recepi *viginti* exemplo Crev. et probb. Drak. (qui putabat, scriptum fuisse *XX peditum*, et librarium accepisse alteram denarii numeri notam pro nota millenarii) et Duk. qui tamen simul monet, Livium in tradendo numero militum Acilii non satis accuratum esse: nam quum XXXV, 41 retulerit, consuli, cui sors esset bellum cum Antiocho, quatuor millia peditum et CCC equites cum 6400 sociis decreta fuisse, deinde Acilio duas legiones civium

Digitized by Google

præsidium regium, et cum iis Athamanes. Ab Limnæa Pellinæum consul proficiscitur. Ibi primi Athamanes tradiderunt sese, deinde et Philippus Megalopolitanus: cui, decedenti de præsidio, quum obvius forte fuisset Philippus rex, ad ludibrium regem eum consalutari jussit; ipse congressus fratrem, haud sane decoro majestati suæ joco, appellavit. Deductus inde ad consulem custodiri jussus, et haud ita multo post in vinculis Romam missus. Cætera multitudo Athamanum aut militum Antiochi regis, quæ in præsidiis deditorum per eos dies oppidorum fuerat, Philippo tradita regi est. Fuere autem ad tria millia hominum. Consul Larissam est profectus, ibi de summa belli consultaturus. In itinere ab Pieria et Metropoli[2] legati tradentes urbes suas occurrerunt. Philippus, Athamanum præcipue captivis indulgenter habitis, ut per eos conciliaret gentem, nactus spem Athamaniæ potiundæ, exercitum eo duxit, præmissis in civitates captivis. Et illi magnam auctoritatem apud populares habuerunt, clementiam erga se regis munificentiamque commemorantes; et Amynander, cujus præsentis majestas aliquos in fide continuisset, veritus ne traderetur Philippo jam pridem hosti et Romanis merito tunc propter defectionem infensis, cum conjuge ac liberis regno excessit, Ambraciamque se contulit. Ita Athamania omnis in jus ditionemque Philippi concessit. Consul, ad reficienda maxime jumenta, quæ et navigatione, et postea itineribus fatigata erant, paucos Larissæ moratus dies, velut renovato modica quiete

rom. tribui XXXVI, 1, et XXXVII, 2: nec tamen quidquam de aucto ei numero militum moneri.

2. *Ab Pieria et Metropoli;* vide ad XXXII, 15, n. 2.— Fortasse *Pieria*, inquit Doering. in Thessalia ignobile oppidum fuit; haud dubie enim multa antiquitus fuere loca, quorum aut nulla omnino, aut semel tantum facta est mentio. Ed.

Digitized by Google

exercitu Cranonem est progressus. Venienti Pharsalus, Scotussa et Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur. Ex iis interrogatis, qui manere secum vellent, mille volentes Philippo[3] tradit; cæteros inermes Demetriadem remittit. Proernam inde recepit, et quæ circa eam castella erant. Ducere tum porro in sinum Maliacum cœpit. Appropinquante faucibus, super quas siti Thaumaci sunt, deserta urbe, juventus omnis armata silvas et itinera insedit, et in agmen romanum ex superioribus locis incursavit. Consul primo mittere, qui ex propinquo colloquentes deterrerent eos a tali furore: postquam perseverare in incepto vidit, tribuno cum duorum signorum militibus circummisso, interclusit ad urbem iter armatis, vacuamque eam cepit. Tum, clamore ab tergo captæ urbis audito, refugientium undique ex silvis insidiatorum cædes facta est. A Thaumacis altero die consul ad Sperchium amnem pervenit: inde Hypatæorum agros vastavit.

XV. Quum hæc agebantur[1], Chalcide erat Antiochus: qui, jam tum cernens, nihil se ex Græcia, præter amœna Chalcide hiberna et infames nuptias, petisse, Ætolorum vana promissa incusare et Thoantem; Hannibalem vero, non ut prudentem tantum virum,

3. *Mille volentes Philippo tradit;* vide ad XXI, 39, n. 4.—*Proernam*, ut apud Strabon. IX, 434. Πρόαρνα πόλις Μηλιέων Steph. — *Circa eam.* Τὸ *eam* delent Gron. et Crev. sed hanc vocem, ambiguitatis evitandæ causa necessariam, e codd. auctoritate tuentur Drak. et Doering. Ed. — *In sinum Maliacum;* vide ad XXVIII, 5, n. 6. Eo prius venit, quam Hypatam, quod offendit Glar. et Sigon. inf. XXXVII, 6, non h. l. — *Appropinquante*, sc. eo, ut *progredientibus* XXXVIII, 15 pr. — *Duorum signorum*, manipulorum; vid. XXV, 23, n. 9. Ed.

Cap. XV. 1. *Quum hæc agebantur;* vide ad cap. 5, n. 1. — *Infames nuptias.* Regi scilicet has nuptias *infames* dici putat Doering. non tantum quia virginem humili loco natam sibi junxerat, sed etiam quia tempus rebus gravissimis impendendum, et famam, qua bella constant, turpiter in voluptatis fructu contriverat. Ed.

Digitized by Google

sed prope vatem omnium, quæ tum evenirent, admirari. Ne tamen temere cœpta segnitia insuper everteret, nuntios in Ætoliam mittit, ut omni contracta juventute, convenirent Lamiam: et ipse eo[2] decem millia fere peditum, ex iis, qui postea venerant ex Asia, expleta, et equites quingentos duxit. Quo quum aliquanto pauciores, quam unquam antea, convenissent, et principes tantummodo cum paucis clientibus essent, atque ii dicerent, omnia sedulo ab se facta, ut quam plurimos ex civitatibus suis evocarent, nec auctoritate, nec gratia, nec imperio adversus detrectantes militiam valuisse; destitutus undique et ab suis, qui morabantur in Asia, et ab sociis, qui ea, in quorum spem vocaverant, non præstabant, intra saltum Thermopylarum[3] sese recepit. Id jugum, sicut Apennini dorso Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit. Ante saltum Thermopylarum in septemtrionem versa Epirus et Perrhæbia et Magnesia et Thessalia est, et Phthiotæ Achæi[4] et sinus Maliacus. Intra fauces ad meridiem vergunt Ætoliæ pars major et Acarnania et cum Locride Phocis et Bœotia adjunctaque insula Eubœa, et, excurrente in altum, velut promontorio, Attica terra, sita ab tergo et Pelopon-

2. *Ut, omni contracta juventute, convenirent Lamiam: et ipse eo*, etc. recepi ex emend. Duk. quia inepte vulgo legitur *convenirent. Jam et ipse eo*, etc. Nomen loci excidisse tum ex his verbis, tum ex seqq. *quo quum aliquanto pauciores*, etc. patet, ut ex seqq. et cap. 16, hunc locum Thermopylis propinquum fuisse. Talis fuit Lamia, Ætolorum in potestatem tum redacta. Conf. XXXV, 43; XXXVI, 25, 29; XXXVII, 4.—*Expleta* cod. Mogunt. *et Creta.*— *Cum pauc. client. essent.* Doering. pro *essent* malit, *adessent*, quod fere res ipsa flagitare videtur. Ed.

3. *Intra saltum Thermopylarum;* vide ad XXXV, 11, n. 4. — *Id jugum* (Œtæ et Pindo continuum), *sicut... Hoc jugum, ab Leucate*, etc. conf. Herodot. VII, 176; Appian. Syr. 17; Strab. IX, p. 428; Plut. Cat. maj. p. 343; Plin. IV, 7.

4. *Et Phthiotæ Achæi;* vide ad XXXIII, 32, n. 6. — *Excurrente in altum;* vide ad XXII, 20, n. 8.

Digitized by Google

nesus. Hoc jugum, ab Leucate et mari ad occidentem verso per Ætoliam ad alterum mare orienti objectum tendens, ea aspreta rupesque interjectas habet, ut non modo exercitus[5], sed ne expediti quidem facile ullas ad transitum calles inveniant. Extremos ad orientem montes OEtam vocant, quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur[6]; in cujus valle ad Maliacum sinum vergente iter est non latius, quam sexaginta passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint. Ideo Pylæ, et ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur, nobilis Lacedæmoniorum adversus Persas[7] morte magis memorabili, quam pugna.

XVI. Haudquaquam pari tum animo[1] Antiochus, intra portas loci ejus castris positis, munitionibus insuper saltum impediebat; et, quum duplici vallo fossaque et muro etiam, qua res postulabat, ex multa copia passim jacentium lapidum, permunisset omnia, satis fidens, nunquam ea vim romanum exercitum facturum[2], Ætolos ex quatuor millibus (tot enim con-

5. *Ut non modo* non *exercitus*, etc. vide ad I, 40, n. 1.

6. *Callidromon appellatur*, etc. cf. scriptores laudati n. 3. — *Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possint*, adeoque lata ac strata, qua exercitus in provincias aut ad mare ducuntur. Conf. XLIV, 43 pr. Hotom. ad Cic. Prov. cons. 2, et inpr. Bergierius de Viis rom. publicis, III, 54. — *Ideo Pylæ... appellatur;* vide ad XXXI, 29, n. 1.

7. *Nobilis Lacedæmoniorum*, quibus Leonidas præerat, *adversus Persas*, etc. res nota vel ex Justino, II, 11; Herodoto, VII, 219, 224; Frontin. Strat. II, 2, n. 13. — Conf. et Nostratem *Barthélemi*, qui pulcherrimam hanc virorum fortissimorum mortem vivide adumbravit; *Voyage du jeune Anacharsis, Introduction, seconde partie, section deuxième*. Ed.

Cap. XVI. 1. *Haudq. pari tum animo*, eodem sc. quo Lacedæmonii olim hostem non fugientes, sed sponte morti occurrentes ad internecionem pugnare et vincere non destiterunt. Ed. — *Saltum impediebat;* vide ad IX, 43, n. 6. — *Et muro etiam* duplici. Conf. Appian. Syr. 18.

2. *Ea* parte *vim romanum factu-*

Digitized by Google

venerant) partim ad Heracleam præsidio obtinendam, quæ ante ipsas fauces posita est, partim Hypatam mittit, et Heracleam haud dubius consulem oppugnaturum, et jam multis nuntiantibus, circa Hypatam omnia evastari. Consul, depopulatus Hypatensem primo, deinde Heracleensem agrum, inutili utrobique auxilio Ætolorum, in ipsis faucibus prope fontes calidarum aquarum[3] adversus regem castra posuit. Ætolorum utræque manus Heracleam sese incluserunt. Antiochum, cui, prius quam hostem cerneret, satis omnia permunita et præsidiis obsepta videbantur, timor deinde incessit, ne quas per imminentia juga calles inveniret ad transitum Romanus. Nam et Lacedæmonios quondam ita a Persis circumitos fama erat, et nuper Philippum ab iisdem Romanis. Itaque nuntium Heraclæam ad Ætolos mittit, ut hanc saltem sibi operam eo bello præstarent, ut vertices[4] circa montium occuparent obsiderentque, ne qua transire Romanus posset. Hoc nuntio audito, dissensio inter Ætolos orta est. Pars imperio parendum regis atque eundum censebant, pars subsistendum Heracleæ ad utramque fortunam; ut, sive victus a consule rex esset, in expedito haberent integras copias ad opem propinquis

rum; vide ad XXXII, 9, n. 4. — Doeringius, quum vulgata lectio nimis dura videbatur, eam recepit quam apud Drak. exhibet cod. Lov. 1, *in ea*, scil. quæ permunita essent. Ed. — *Ante ipsas fauces*, ἐν τοῖς περὶ Θερμοπύλας στενοῖς Strab. I, pag. 10.

3. *In ipsis faucibus prope fontes c. a.* vide ad XXXI, 29, n. 1. — *Ætolorum utræque* (malim *utraque;* Gron.) *manus* in *Heracleam sese incluserunt*, forte *Heracleæ*, ut c. 17; aut *Heraclea* ex Harl. et Lov. 4. — *Per imminentia juga calles*, etc. inpr. Atropon. Confer. Appian. et Strab. ll. cc. supra.

4. *Nuntium Heracleam ad Ætolos mittit, ut* (vid. VIII, 19, n. 10) *hanc saltem..... ut*, etc. posterius *ut* e cod. suo addidere Moguntini: alterum vero haud dubie redundat; Gronov. At Drak. ad I, 17, n. 2, docet, Livium, si ratio locutionis exigat, ut vocula *ut* bis adhibeatur, eam interdum alterutro loco omisisse, interdum iterasse.

Digitized by Google

ferendam civitatibus suis; sive vinceret, ut dissipatos in fugam Romanos persequerentur. Utraque pars non mansit modo in sententia sua, sed etiam exsequuta est consilium. Duo millia Heracleæ subsisterunt: duo trifariam divisa Callidromum et Rhoduntiam et Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt[5]) occupavere.

XVII. Consul postquam insessa superiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem et L. Valerium Flaccum, consulares legatos[1], cum binis millibus delectorum peditum, ad castella Ætolorum, Flaccum in Rhoduntiam et Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit. Ipse, prius quam ad hostem copias admoveret, vocatos in concionem milites paucis est alloquutus: « Plerosque omnium ordinum, milites, « inter vos esse video, qui in hac eadem provincia « T. Quintii ductu auspicioque militaveritis. Macedo- « nico bello inexsuperabilis magis saltus ad amnem « Aoum fuit[2], quam hic. Quippe portæ sunt hæ, et « unus, inter duo maria clausis omnibus, vel ut na- « turalis transitus est. Munitiones et locis opportu- « nioribus tunc fuerunt, et validiores impositæ: exer- « citus hostium ille et numero major, et militum ge-

5. *Callidromum et Rhoduntia et Tichius, cacumina* Œtæ montis. Cf. Strab. IX, pag. 428; Steph. Byz. et Appian. Syr. 18, qui duo tantum cacumina memorat, millenis occupata militibus Ætolorum.

Cap. XVII. 1. *M. Porcium Catonem et L. Valerium Flaccum* (qui olim una consules fuerant; videatur XXXIII, 42, 43), *consulares legatos*, ut apud Phleg. Trall. de Mirab. cap. 3. Conf. ad XXXVI, 1, n. 4, et XXXVII, 1, n. 6. Tribunos autem militum eos faciunt Appian. Syr. 18; Frontin. Strat. II, 4, § 4; Aurel. Vict. de Vir. ill. XLVII; Plut. Cat. p. 342; et Cic. de Sen. 10: nec negari potest, tum consulares, tum prætorios, nonnunquam tribunos militum factos esse; vide tamen ad XXXVII, 1, n. 6; XLII, 49, n. 6; XLIII, 5; XLIV, 1, 37.

2. *Saltus ad amnem Aoum*, etc. cf. XXXII, 5, 10, 13. — *Portæ sunt hæ*, etc. vide ad XXXI, 29, n. 1. — *Inter duo maria*; conf. cap. 15.

Digitized by Google

« nere aliquanto melior. Quippe illic Macedones Thra-
« cesque et Illyrii erant, ferocissimæ omnes gentes;
« hic Syri et Asiatici Græci sunt, levissima genera ho-
« minum et servituti nata. Rex ille bellicosissimus,
« exercitatus jam inde ab juventa finitimis Thracum
« atque Illyriorum et circa omnium accolarum bellis;
« hic, ut aliam omnem vitam omittam, is est, qui,
« quum ad inferendum populo romano bellum ex
« Asia in Europam transisset, nihil memorabilius toto
« tempore hibernorum gesserit, quam quod amoris
« causa ex domo privata, et obscuri etiam inter po-
« pulares generis, uxorem duxit[3], et novus maritus,
« velut saginatus nuptialibus cœnis, ad pugnam pro-
« cessit. Summa virium speique ejus in Ætolis fuit;
« gente vanissima et ingratissima[4], ut vos prius ex-
« perti estis, nunc Antiochus experitur. Nam nec con-
« venerunt frequentes, nec contineri in castris potue-
« runt, et in seditione ipsi inter se sunt; et quum
« Hypatam tuendam Heracleamque depoposcissent,
« neutram tutati, refugerunt in juga montium, pars
« Heracleæ incluserunt sese. Rex ipse confessus, nus-
« quam æquo campo non modo congredi se ad pu-
« gnam audere, sed ne castra quidem in aperto po-
« nere[5], relicta omni ante se regione ea, quam se
« nobis ac Philippo ademisse gloriabatur, condidit se
« intra rupes; ne ante fauces quidem saltus, ut quon-
« dam Lacedæmonios fama est, sed intra penitus re-
« tractis castris. Quod quantum interest ad timorem

3. *Ex domo privata... uxorem duxit;* vid. cap. 11. — *Obscuri etiam inter populares generis* more oratorum augendæ turpitudinis causa dictum: nam Polyb. XX, 8, Cleoptolemum, patrem puellæ, ἕνα τῶν ἐπιφανῶν fuisse dicit; et ipse Livius capit. cit. eadem confirmat. Ed.

4. *Gente vanissima*, etc. v. XXVI, 25, n. 6.

5. *Castra in aperto ponere;* vide ad XXI, 32, n. 7.

Digitized by Google

« ostendendum, an muris alicujus urbis obsidendum « sese incluserit? Sed neque Antiochum tuebuntur « angustiæ, nec Ætolos vertices illi, quos ceperunt. « Satis undique provisum atque præcautum est[6], ne « quid adversus vos in pugna præter hostes esset. Il- « lud proponere animo vestro debetis, non vos pro « Græciæ libertate tantum dimicare (quanquam is « quoque egregius titulus esset, liberatam a Philippo « ante, nunc ab Ætolis et ab Antiocho liberare), ne- « que ea tantum in præmium vestrum cessura, quæ « nunc in regiis castris sunt, sed illum quoque omnem « apparatum, qui in dies ab Epheso exspectatur, prædæ « futurum; Asiam deinde Syriamque et omnia usque « ad ortus solis ditissima regna imperio romano aper- « turos[7]. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare « Rubrum Oceano fines terminemus, qui orbem terra- « rum amplexu finit, et omne humanum genus secun- « dum deos nomen romanum veneretur? In hæc tanta « præmia dignos parate animos, ut crastino die, bene « juvantibus diis, acie decernamus. »

XVIII. Ab hac concione dimissi milites, priusquam corpora curarent, arma telaque parant[1]. Luce prima, signo pugnæ proposito, instruit aciem consul arcta

6. *Provisum atque præcautum* cod. Mog. et Gaertn. *anteque præcautum* reliqui MSS et edd. ante Mog. Forte rectius, quia facilius illud, quam hoc a librariis substitui poterat. Conf. ad IX, 23, n. 1.

7. *Regna imperio romano* vos *aperturos;* vide supra ad XXX, 26, n. 3. *Aperturis* conj. Gron. ut referatur ad præcc. *in præmium vestrum cessura.* — *Acie decernamus;* vide supra ad XXI, 41, n. 2.

Cap. XVIII. 1. *Arma telaque parant;* vide ad I, 43, n. 4. Ad seqq. conf. Appian. Syr. 18, qui in dextro quidem regis cornu jaculatores, in sinistro elephantos dicit positos. Sed ibi Schweigh. suspicatur, verba ἐν ἀριστερᾷ iniquo loco inserta et pro præcedd. ἐπὶ δεξιὰ, quæ haud dubie inducenda sint, substituenda esse. Idem monet, consuli, e Thessalia ad Thermopylas advenienti, ad dextram montes, ad sinistram mare fuisse, Antiocho autem, Chalcide venienti, montes ad sinistram, mare ad dextram.

Digitized by Google

fronte[2], ad naturam et angustias loci. Rex, postquam signa hostium conspexit, et ipse copias eduxit. Levis armaturæ partem ante vallum in primo locavit : tum Macedonum robur, quos sarissophoros[3] appellabant, velut firmamentum circa ipsas munitiones[4] constituit. His ab sinistro cornu jaculatorum sagittariorumque et funditorum manum sub ipsis radicibus montis posuit, ut ex altiore loco nuda latera hostium incesserent. Ab dextro Macedonibus ad ipsum munimentorum finem, qua loca usque ad mare invia palustri limo et voraginibus claudunt, elephantos cum adsueto præsidio posuit; post eos, equites; tum, modico intervallo relicto, cæteras copias in secunda acie. Macedones, pro vallo locati, primo facile sustinebant Romanos, tentantes ab omni parte aditus[5]; multum adjuvantibus, qui ex loco superiore fundis, velut nimbum, glandes et sagittas simul ac jacula ingerebant. Deinde, ut major, nec jam toleranda vis hostium inferebat se, pulsi loco intra munimenta, sub-

2. *Instruit aciem consul arcta fronte*, etc. τὴν στρατιὰν ἐς λόχους ὀρθίους διῃρημένην· ὧδε γὰρ μόνως ἐν στενοῖς ἐδύνατο, Appian. — *In primo locavit;* videndum supra ad librum II, cap. 20, n. 3.

3. *Macedonum robur, quos sarissophoros appellabant;* vide ad IX, 19, n. 2. *Sarissophorus* plures MSS; vide ad XLIV, 28, n. 3. Sed unde in exercitu Antiochi Macedones, quorum rex Philippus hoc tempore favebat Romanis? conf. cap. 4, 8, 13, 14. Glareanus putabat, eos vel exsules fuisse, vel Macedonas, quos Livius, XXXVIII, 17, Plin. V, 29, 30, et Ptol. in Syria memorent; et Crev. eos fuisse Syro-Macedonas, posteros eorum, qui sub Alexandro Magno ac deinde Seleuco militaverint. Sed verius videtur, quod jam Duk. monuit, sub regibus Asiæ et Ægypti, Alexandri M. successoribus, robur peditum, retenta vetusta appellatione, ut *phalangem* et *phalangitas*, ita etiam Macedonas vocatum fuisse; non quod totum hoc corpus ex Macedonibus constaret, sed quod, ut ante, robur exercitus esset, et eamdem armaturam haberet. Confer. ad XXXVII, 40 pr. Appian. Syr. 18, 19; Polyb. V, 79, 82; et ad Sil. XIII, 878.

4. *Circa ipsas munitiones;* confer. cap. 16 pr. — *Ab dextro Macedonibus:* possumus carere tertia voce; Gronovius.

5. *Tentantes ab omni parte aditus;* vide ad IX, 35, n. 1.

3.

Digitized by Google

ductis ordinibus[6], concesserunt : inde ex vallo prope alterum vallum, hastis præ se objectis, fecerunt. Et ita modica altitudo valli erat, ut et locum superiorem ad pugnandum suis præberet, et propter longitudinem hastarum subjectum haberet hostem. Multi, temere subeuntes vallum, transfixi sunt; et aut incepto irrito recessissent, aut plures cecidissent, ni M. Porcius ab jugo Callidromi, dejectis inde Ætolis et magna ex parte cæsis (incautos enim et plerosque sopitos oppresserat), super imminentem castris collem apparuisset.

XIX. Flacco non eadem fortuna ad Tichiunta et Rhoduntiam[1], nequidquam subire ad ea castella conato, fuerat. Macedones quique alii in castris regiis erant primo, dum procul nihil aliud quam turba et agmen apparebat, Ætolos credere, visa procul pugna, subsidio venire. Cæterum, ut primum signaque et arma ex propinquo cognita errorem aperuerunt, tantus repente pavor omnes cepit, ut abjectis armis fugerent. Et munimenta sequentes impedierunt, et angustiæ vallis, per quam sequendi erant, et maxime omnium, quod elephanti novissimi agminis[2] erant, quos pedes ægre præterire, eques nullo poterat modo, timentibus equis, tumultumque inter se majorem quam in prælio, edentibus. Aliquantum temporis et direptio castrorum tenuit. Scarphiam tamen eo die

6. *Subductis ordinibus* ex acie, pedem referre jussis, ut XXVII, 48; XL, 30; XLIV, 37. — *Hastis præ se objectis...ni M. Porcius*, etc. cf. Appian. Syr. 19, et sup. ad XXXIII, 8, not. 5. *Prælongis hastis velut vallum ante clypeos objecit*, XXXI, cap. 39.

Cap. XIX. 1. *Ad Tichiunta et Rhoduntiam;* conf. 16 extr. et 17 pr.

2. *Novissimi agminis erant.* Extremum agmen claudebant; extremo agminis loco incedebant. *Novissimum agmen* est quod nos vocamus *l'arrière-garde.* Ed. — *Aliquantum temporis et direptio castrorum tenuit;* vide ad II, 3, n. 6, et II, 63, n. 3. — *Scarphiam;* vid. XXXIII, 3, n. 3.

Digitized by Google

persequuti sunt hostem. Multis in ipso itinere cæsis captisque, non equis virisque tantum, sed etiam elephantis, quos capere non potuerant, interfectis, in castra reverterunt; quæ tentata eo die inter ipsum pugnæ tempus ab Ætolis, Heracleam obtinentibus præsidio, sine ullo haud parum audacis incepti effectu, fuerant[3]. Consul, noctis insequentis tertia vigilia præmisso equitatu ad persequendum hostem, signa legionum prima luce movit. Aliquantum viæ præceperat rex[4], ut qui non ante, quam Elatiæ, ab effuso constiterit cursu; ubi primum reliquiis pugnæque et fugæ collectis, cum perexigua manu semiermium militum Chalcidem se recepit. Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiæ assequutus non est, sed magnam partem agminis, aut lassitudine subsistentis, aut errore, ut qui sine ducibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserunt: nec præter quingentos[5], qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit; etiam ex decem millibus militum, quos, Polybio auctore, trajecisse secum regem in Græciam scripsimus, exiguus numerus. Quid si Antiati Valerio credamus, sexaginta millia militum fuisse in regio exercitu scribenti, quadraginta inde millia cecidisse, supra quinque millia capta cum signis militaribus ducentis triginta? Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine pugnæ[6], ab incursu Ætolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt.

3. *Quæ tentata eo die...fuerant;* vide ad IX, 35, n. 1.

4. *Aliquantum viæ præceperat rex;* vide ad II, 39, n. 1, et III, 46, n. 5. — *Sed magnam partem agminis*, etc. illud *sed* eleganter, ut passim, abest a MSS et antt. edd.; Gronov.

5. *Nec præter quingentos* equites, etc. conf. Appian. Syr. 20. — *Ex decem millibus*, etc. confer. supra XXXV, 43.

6. *In ipso certamine pugnæ;* conf. X, 22; XXVIII, 19; XXXVII, 53, 54. — *Ab incursu Ætolorum*, Hera-

Digitized by Google

XX. Consule per Phocidem et Bœotiam[1] exercitum ducente, consciæ defectionis civitates cum velamentis ante portas stabant, metu ne hostiliter diriperentur. Cæterum per omnes dies haud secus, quam in pacato agro, sine vexatione ullius rei[2] agmen processit, donec in agrum Coronæum ventum est[3]. Ibi statua regis Antiochi, posita in templo Minervæ Itoniæ, iram accendit; permissumque militi est, ut circumjectum templo agrum popularetur. Deinde cogitatio animum subiit, quum communi decreto Bœotorum posita esset statua, indignum esse, in unum Coronensem agrum sævire. Revocato extemplo milite, finis populandi factus: castigati tantum verbis Bœoti ob ingratum in tantis tamque recentibus beneficiis animum erga Romanos. Inter ipsum pugnæ tempus decem naves regiæ cum præfecto Isidoro ad Thronium in sinu Maliaco stabant. Eo gravis vulneribus Alexander Acarnan, nuntius adversæ pugnæ, quum perfugisset, trepidæ inde recenti terrore naves Cenæum Euboeæ

cleam obtinentium præsidio, in castra romana; de quo vid. supra.

Cap. XX. 1. *Per Phocid. et Bœotiam:* a Thermopylis Græciam ingresso priorem occurrere Bœotiam, monet Doujat. «Sed sciendum est, Phocidem olim latius, quam postea, patuisse, et a maris Ionii sinu Corinthiaco usque ad Ægæi sinum Euboicum vel Opuntium vel Maliacum pertinuisse: quibus finibus circumscripta Phocis transeunda erat a Thermopylis Bœotiam adeunti, ut et Agesilao apud Plut. pag. 605.» Drak. — *Cum velamentis,* intellige *vittas* seu *velamina,* quibus obtecti supplices, vel qui pacem veniebant rogaturi, se offerre solebant; videndum est ad II, 54, n. 6. Ed.

2. *Sine vexatione ullius rei* recepi e MSS et edd. ante Ald. quæ ex codice Mogunt. substituit *violatione,* quod emendationem redolet. Conf. supra ad VII, 10, n. 8.

3. *In agrum Coronæum* (vide supra ad librum XXXIII, cap. 29, n. 4), ubi *templum Minervæ Itoniæ,* in quo Παμβοιώτια celebrari solebant. Minerva Ἰτωνία aut Ἰτωνὶς et Ἰτωνιὰς dicta vel ab Itone, seu Itono, Thessaliæ oppido, vel ab Itono, Amphictyonis filio, heroe aut sacerdote et conditore oppidi illius templique; vid. Strab. IX, pag. 411, 435, al. 665; Pausan. I, 13, III, 9, V, 1, IX, 1 et 34; Plut. Pyrrh. cap. 26, et Ages. c. 19; Schol. Apollon. I, 551, 721; Spanhem. ad Callim. Hymn. in Pall.

Digitized by Google

petierunt. Ibi mortuus sepultusque Alexander. Tres quæ ex Asia profectæ eumdem portum tenuerant naves, audita exercitus clade, Ephesum redierunt. Isidorus ab Cenæo Demetriadem, si forte eo deferret fuga regem[4], trajecit. Per eosdem dies A. Atilius, præfectus romanæ classis, magnos regios commeatus, jam fretum, quod ad Andrum insulam est[5], prætervectos, excepit; alias mersit, alias cepit naves. Quæ novissimæ agminis erant, cursum in Asiam verterunt. Atilius Piræeum, unde profectus erat, cum agmine captivarum navium revectus, magnam vim frumenti et Atheniensibus et aliis ejusdem regionis sociis divisit.

XXI. Antiochus, sub adventum consulis a Chalcide profectus, Tenum primo tenuit[1]: inde Ephesum transmisit. Consuli Chalcidem venienti portæ patuerunt, quum, appropinquante eo, Aristoteles, præfectus regis, urbe excessisset: et cæteræ urbes in Eubœa sine certamine traditæ, post paucosque dies, omnibus perpacatis, sine ullius noxa urbis exercitus Thermopylas reductus, multo modestia post victoriam, quam ipsa victoria, laudabilior. Inde consul M. Catonem, per quem, quæ gesta essent, senatus populusque romanus haud dubio auctore[2] sciret, Romam misit. Is a

61, et in Cer. 75; Berkel. et Holsten. ad Steph. Byz., et Schweigh. ad Polyb. IV, 25, § 2, et XXVI, 5, § 2.— Notat Doering. cultum hunc Minervæ *Itoniæ* fuisse propagatum ad Bœotos, qui eidem templum ad Coroneam exstruxerunt (vid. Pausan. Phoc. 34), quo, ut observat Crever. ad hunc locum, Bœoti de rebus communibus deliberaturi, convenire solebant. De *Minerva Itonia* conf. Voss. ad Catullum, LXIV, 227. Ed.

4. *Eo deferret fuga regem*, tropo sumpto a tempestate, qua *deferuntur* navigantes v. g. ad scopulos; Ern.

5. *Fretum ad Andrum iusulam;* v. ad XXXI, 45, not. 2. — *Novissimæ agminis erant*, alii *novissimi*, prob. Creverio.

Cap. XXI. 1. *Tenum primo tenuit;* vide ad I, 1, n. 8. Tenus inter Cycladas est in eo itinere, quod ab Eubœa Ephesum ducit; Glar. *Tenedum* alii.

2. *Haud dubio pectore*, forte *haud*

Digitized by Google

Creusa (Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum) Patras Achaiæ petit: a Patris Corcyram usque Ætoliæ atque Acarnaniæ litora[3] legit, atque ita ad Hydruntum Italiæ trajecit. Quinto die inde pedestri itinere Romam ingenti cursu pervenit. Ante lucem ingressus Urbem, a porta ad prætorem M. Junium iter intendit. Is prima luce senatum vocavit. Quo L. Cornelius Scipio, aliquot diebus ante a consule dimissus, quum adveniens audisset, prægressum Catonem in senatu esse, supervenit exponenti, quæ gesta essent. Duo inde legati jussu senatus in concionem sunt producti, atque ibi eadem, quæ in senatu, de rebus in Ætolia gestis exposuerunt. Supplicatio in triduum decreta est, et ut quadraginta hostiis majoribus prætor, quibus diis ei videretur, sacrificaret. Per eosdem dies et M. Fulvius Nobilior, qui biennio ante prætor in Hispaniam erat profectus, ovans Urbem est ingressus: argenti bigati præ se tulit centum triginta millia, et extra numeratum duodecim

dubium auctorem; Gron. et Crev. — Vulgatam lectionem tuetur Doering. *haud dubio auctore,* id est, quum ille esset haud dubius auctor. Quanquam, quum præcesserit *per quem,* oratio postulare *haud dubium auctorem* videbatur; sed sæpe fit, ut verba, per synesin quamdam, referantur ad id, non quod scriptum est, sed quod auctor se scripsisse existimabat. Ed. — *Creusa, Thespiens. emporium,* Κρέουσα, seu Κρεουσία, Κρεῦσις et Κρευσὶς, ἐπίνειον τῶν Θεσπιέων, Pausan. IX, 32, et Strab. IX, p. 627. C. *Thespia,* Θέσπεια, oppidum Bœotiæ; vid. Pausan. IX, 13, 14, 26, 27, 31.

3. *Acarnaniæ litora legit;* vide ad XXI, 51, n. 6. — *Ad Hydruntum Italiæ trajecit* oppidum, seu Calabriæ, quod Hydrus seu Hydruntum dicebatur, hod. *Otranto;* ubi Ionium mare dirimi ab Hadriatico, et brevissimum esse transitum in Græciam et quidem Apolloniatarum oppidum ex adverso situm, dicit Plinius, lib. III, cap. 11 seu 16. Plerumque tamen a Dyrrhachio Græciæ oppido Brundisium in Italiam trajici solebat: qui transitus longior quidem, sed commodior etiam ac tutior erat; vid. Strab. VI, 5, 7, 8, p. 281-284, al. 433. Cæterum Catonem Brundisium et Tarentum transmisisse dicit Plut. in Cat. — Mox *is prima luce in senatum vocavit* 7 MSS, prob. Gron. — Livius *senatum vocare* et *in senatum vocare* promiscue dicit. Ed.

Digitized by Google

millia pondo argenti; auri pondo centum viginti septem [4].

XXII. Acilius consul ab Thermopylis Heracleam ad Ætolos præmisit, *ut tunc saltem* [1], *experti regiam vanitatem, resipiscerent, traditaque Heraclea, cogitarent de petenda ab senatu seu furoris sui, seu erroris venia. Et cæteras Græciæ civitates defecisse eo bello ab optime de se meritis Romanis; sed, quia post fugam regis, cujus fiducia officio decessissent, non addidissent pertinaciam culpæ, in fidem receptas esse. Ætolos quoque, quanquam non sequuti sint regem, sed arcessierint, et duces belli, non socii, fuerint, si pœnitere possint, posse et incolumes esse.* Ad ea quum pacati nihil responderetur, appareretque, armis rem gerendam, et, rege superato, bellum Ætolicum integrum restare; castra ab Thermopylis ad Heracleam movit, eoque ipso die, ut situm nosceret urbis, ab omni parte equo mœnia est circumvectus. Sita est

4. *Per eosdem dies et M. Fulvius... viginti septem:* eadem et iisdem verbis repetuntur cap. 39 pr. unde ea ed. Frob. a. 1531, et proximæ ad Curion. prorsus, sed temere, omiserunt. Cf. ad XXXV, 22, n. 2; Pigh. in Ann. ad an. 562, pag. 283, et Periz. Anim. hist. cap. 4, p. 173, qui hæc e diversis auctoribus descripta putat; quam tamen suspicionem, quod jam Duker. monuit, eo ipse infirmat, quod c. 39 ex h. l. et e eod. Mog. eosdem numeros recipiendos censet, non, quos ibi habent reliqui MSS et edd. vett. *decem millia pondo* et *auri centum viginti sex.* — *Argenti bigati*, etc. vid. XXII, 52, n. 3. — *Extra numeratum*, signatum, in nummis.

Cap. XXII. 1. *Ad Ætolos præmisit, ut tunc* (f. *nunc*) *saltem*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10. — *Officio decessissent*, al. *ab off. d.*, et Gron. malebat *discessissent;* vide ad XXVII, 10, n. 1. — *Si pœnitere possint.* Hanc loquendi formam, quamvis parum usitatam, non ideo tamen mendi arguendam esse monet Crever. qui alia ejus exempla ex vett. scriptoribus exhibet. Nonius, cap. 7, e Pacuvio allegat, *nunc pœnitebunt;* Justinus, sive potius Trogus, lib. XI, cap. 3, *primi pœnitere cœperunt;* Gellius, V, 1, *et pudeat tacitus, et pœniteat.* Adde et Plautum, Casin. act. V, sc. 2, vs. 3, *ita nunc pudeo;* et Lucret. III, 894, *Ipse sui miseret.* Ex his exemplis patet, verba illa, *pœnitet, pudet, miseret,* non diversi generis fuisse antiquitus, ac cætera latinæ linguæ verba, quamvis postea in aliam formam

Digitized by Google

Heraclea in radicibus OEtæ montis[2]; ipsa in campo, arcem imminentem loco alto et undique præcipiti habet. Contemplatus omnia, quæ noscenda erant, quatuor simul locis aggredi urbem constituit: a flumine Asopo[3], qua et gymnasium est, L. Valerium operibus atque oppugnationi præposuit: arcem extra muros, quæ frequentius prope, quam urbs, habitabatur[4], Ti. Sempronio Longo oppugnandam dedit: a sinu Maliaco[5], quæ aditum haud facilem pars habebat, M. Bæbium; ab altero amniculo, quem Melana vocant, adversus Dianæ templum, Ap. Claudium opposuit. Horum magno certamine intra paucos dies turres arietesque et alius omnis apparatus oppugnandarum urbium perficitur; et quum ager Heracleensis, paluster omnis frequensque proceris arboribus, benigne ad omne genus operum materiam suppeditabat; tum, quia refugerant intra mœnia Ætoli, deserta, quæ in vestibulo urbis erant, tecta[6], in varios usus

transierint, sed ita tamen ut antiquus eorum usus non omnino obsolesceret. Ed.

2. *Sita est Heraclea*, etc. vide ad XXVIII, 5, n. 6.

3. *A flumine* Thessaliæ *Asopo*, quod in OEta monte oritur, et influit in sinum Maliacum; videatur Strab. IX, p. 382, 428.

4. *Arcem extra muros, quæ*, etc. « Sempronius jussus intentos tenere milites, dum aliæ tres pugnarent acies, signumque exspectare: quo dato ab sua parte primus oppidum cepit (vid. cap. 24 pr.). Si vero ab arce oppugnabat, eam haud dubie cepit. Quo igitur pacto Ætoli postea in arcem fugere poterant? (vid. cap. 24.) Nisi quis dicat, aut locos interea mutatos, aut duas ejus oppidi fuisse arces, aut pro *arce* leg. *suburbium*. » Glareanus. Recte: sed quatuor illa verba non leguntur in MSS et edd. antt. ante Mogunt., at mox *in urbe* pro *urbs*; unde leg. *partem, qua extra muros frequentius prope, quam in urbe, habitabatur*; Gron. probb. Duk. Crev. et Drak. (et Doer. qui ne porro apertum errorem propagaret, ex Gronovii conjectura locum sibi restituere bene videtur. Ed.) Emendationi favent verba cap. 24, *pars una* (ipsius urbis, at suburbium) *in qua ædificia extra urbem*, etc. Sed ex eodem capite mihi potius leviori mutatione legendum videtur *arcem extra muros, qua* (parte) *frequentius prope, quam in urbe, habitabatur*.

5. *A sinu Maliaco*, ab ea parte, qua urbs sinum Maliacum respicit, ei obvertitur; Drak. Cf. VIII, 17, n. 5.

6. *Deserta, quæ* (ex emend. Gron.

Digitized by Google

non tigna modo et tabulas, sed laterem quoque et cæmenta et saxa variæ magnitudinis, præbebant.

XXIII. Et Romani quidem, operibus magis quam armis, urbem oppugnabant: Ætoli contra armis se tuebantur[1]. Nam, quum ariete quaterentur muri, non laqueis, ut solet, exceptos declinabant ictus; sed armati frequentes, quidam ignes etiam, quos aggeribus injicerent, ferebant. Fornices quoque in[2] muro erant apti ad excurrendum: et ipsi, quum pro dirutis reficerent muros, crebriores eos, ut pluribus erumperetur in hostem locis, faciebant. Hoc primis diebus, dum integræ vires erant, et frequentes et impigre fecerunt: in dies deinde, pauciores et segnius. Etenim quum multis urgerentur rebus, nulla eos res æque ac vigiliæ conficiebant; Romanis in magna copia militum succedentibus aliis in stationem aliorum, Ætolos propter paucitatem eosdem dies noctesque assiduo labore urente[3]. Per quatuor et viginti dies, ita ut nullum tempus vacuum dimicatione esset, adver-

pro *desertaque*) *in vestibulo urbis erant, tecta;* vid. XXI, 30, n. 6.

Cap. XXIII. 1. *Ætoli contra armis se tuebantur:* post *armis* Gron. excidisse putabat *magis quam mœnibus*, et mox *erumpebant* post *armati frequentes*. Conf. XXXVII, 5 extr. Sed nihil forte mutandum præter vocem *armati*, pro quo reposuerim *tormenta*. — *Laqueis, ut solet* (*ut solent*, sc. qui oppugnantur, plerique MSS, non improbb. Crev. et Drak. vide ad XXIII, 14, n. 3), *exceptos declinabant ictus* arietis. *Alii laqueis captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, et cum ipsis testudinibus evertunt*, Veget. IV, 23. Conf. infra ad XLII, 63, n. 3; Casaub. ad Æneam Tact. c. 32; Lips. Poliorc. V, 8, et de ignibus in aggeres conjectis ibid. dial. 6. — *Aggeribus;* vide ad V, 7, n. 1. — Nimirum, inquit Doer., ligna quoque et stipites, qui accendi possent, *aggeribus* impacti fuere. Julius Cæsar, de Bello Civ. II, 14: « ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit ventus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormenta flammam conciperent ». Ed.

2. *Fornices quoque in muro* forte arcuati exitus per murum, per quos in hostem erumperetur, ut fortasse, XLIV, 11, fornices in muro Cassandreæ; Drak.

3. *Assiduo labore urente Ætolos;* vide ad X, 17, n. 1. — Quidam libri vett. *urgente*, teste Doer. sed melior

Digitized by Google

sus quatuor e partibus simul oppugnantem hostem nocturnus diurno continuatus labor est. Quum fatigatos jam Ætolos sciret consul et ex ratione temporis, et quod ita transfugæ affirmabant, tale consilium iniit. Media nocte receptui signum dedit, et ab oppugnatione simul omnes milites deductos usque ad tertiam diei horam quietos in castris tenuit. Inde cœpta oppugnatio ad mediam rursus noctem perducta est: intermissa deinde usque ad tertiam diei horam. Fatigationem rati causam esse Ætoli non continuandæ oppugnationis, quæ et ipsos affecerat, ubi Romanis datum receptui signum esset, velut ipsi quoque hoc revocati, pro se quisque ex stationibus decedebant; nec ante tertiam diei horam armati in muris apparebant.

XXIV. Consul, quum nocte media intermisisset oppugnationem, quarta vigilia rursus ab tribus partibus summa vi aggressus, ab una Ti. Sempronium tenere intentos milites signumque exspectantes jussit, ad ea in nocturno tumultu, unde clamor exaudiretur, haud dubie ratus hostes concursuros. Ætoli pars sopiti affecta labore ac vigiliis corpora ex somno moliebantur[1]; pars vigilantes adhuc ad strepitum pugnantium in tenebris currunt. Hostes partim per ruinas jacentis muri transcendere conantur; partim scalis adscensus tentant. Adversus quos undique ad opem ferendam occurrunt[2] Ætoli. Pars una, in qua ædificia extra urbem erant, neque defenditur, neque[3] oppugnatur:

pars codd. τὸ *urente* defendit, quod ideo quoque præferendum putat Drakenborchius, quia *urgere* modo præcessit. Eleganter autem *urere* dicuntur res, quæ molestæ, graves et intolerabiles fiunt; conf. Duk. ad Florum, II, 6, 2. Ed.

Cap. XXIV. 1. *Ætoli pars* (alii) *sopiti affecta* (vide ad V, 10, n. 6) .....*corpora ex somno moliebantur;* vide ad VI, 11, n. 5.

2. *Ad opem ferendam occurrunt;* vide ad XXI, 61, n. 1. *Concurrunt* cod. Mogunt. quod magis placebat Drakenb.

3. *Pars una, in qua ædificia*, etc.

Digitized by Google

sed, qui oppugnarent, intenti signum exspectabant; defensor nemo aderat. Jam dilucescebat, quum signum consul dedit; et sine ullo certamine partim per semiruta, partim scalis integros muros transcendere. Simul clamor, index capti oppidi, est exauditus, undique Ætoli, desertis stationibus, in arcem fugiunt. Oppidum victores permissu consulis diripiunt; non tam ab ira, nec ab odio, quam ut miles, coercitus in tot receptis ex potestate hostium urbibus, aliquo tandem loco fructum victoriæ sentiret. Revocatos inde a medio ferme die milites quum in duas divisisset partes, unam radicibus montium circumduci ad rupem jussit, quæ, fastigio altitudinis par, media valle velut abrupta ab arce erat; sed adeo prope geminata cacumina eorum montium sunt, ut ex vertice altero conjici tela in arcem possint: cum dimidia parte militum consul, ab urbe escensurus[4] in arcem, signum ab iis, qui ab tergo in rupem evasuri erant, exspectabat. Non tulere, qui in arce erant, Ætoli primum eorum, qui rupem ceperant, clamorem, deinde impetum ab urbe Romanorum, et fractis jam animis, et nulla ibi præparata re ad obsidionem diutius tolerandam; utpote congregatis feminis puerisque et imbelli alia turba in arcem, quæ vix capere, nedum tueri, multitudinem tantam posset. Itaque, ad primum impetum abjectis armis, dediderunt sese. Traditus inter

cf. ad cap. 22, n. 4. To *in* delendum putabant Crever. et Drak. — *Partim per semiruta*, muros semirutos, quæ supra *ruinæ jacentis muri* dicuntur; Drak. Alii *p. per erutos;* unde malim *partim prorutos* (ad quos scalis non opus erat); Gronov.— *Transcendere*, scil. Sempronius et milites ejus oppugnare jussi. — *Simul;* vide ad III, 62, n. 4. — *Ab ira et odio;* vide ad I, 1, n. 5. — *Miles coercitus*, retentus a prædandi licentia; Ern. Conf. infra XXXIX, 32. — *Receptis*, forte *ereptis;* Drak. — *Circumduci ad rupem*, ita quidem, ut circumducti sub montium radicibus milites ad rupem enitterentur atque evaderent. Ed.

4. *Ab urbe escensurus*, al. *ascensurus;* vide tamen ad librum II, cap. 7, n. 7.

Digitized by Google

cæteros princeps Ætolorum Damocritus est, qui principio belli decretum Ætolorum, quo arcessendum Antiochum censuerant [5], T. Quintio poscenti responderat: *In Italia daturum, quum castra ibi Ætoli posuissent.* Ob eam ferociam majus victoribus gaudium traditus fuit.

XXV. Eodem tempore, quo Romani Heracleam, Philippus Lamiam ex composito [1] oppugnabat, circa Thermopylas cum consule, redeunte ex Bœotia, ut victoriam ipsi populoque romano gratularetur, excusaretque, quod morbo impeditus bello non interfuisset, congressus. Inde diversi ad duas simul oppugnandas urbes profecti. Intersunt septem millia ferme passuum; et quia Lamia quum posita est in [2] tumulo, tum regionem eam maxime despectat, oppido qua breve intervallum videtur, et omnia in conspectu sunt. Quum enise, velut proposito certamine, Romani Macedonesque diem ac noctem aut in operibus, aut in præliis essent, hoc major difficultas Macedo-

5. *Damocritus, qui principio,* etc. vide ad XXXV, 33. — *Traditus fuit* (scil. Damocritus) ex emend. Freinsh. et primis edd. pro *traditum fuit.*

Cap. XXV. 1. *Ex composito.* Nimirum, ut notat Doering., Philippus et consul de hac re inter se egerant et convenerant, ut statim additur, *circa Thermopylas*, ubi Philippus antea cum consule congressus fuerat. Ed.— *Inde diversi...profecti;* vide ad III, 60, n. 1.

2. *Et quia Lamia quum posita,* etc. e plerisque MSS et edd. antt. restitui auctore Benedicto in Obss. ad Livium, Torg. 1804. Gelenius, Gronov. Crev. (male hic citatur Crever. qui edidit, *despectat, oppido quam breve,* etc. Ed.) et Drak. e cod. Mog. edidere: *et quia Lamia quum posita...ea maxime despectat oppidum, qua...sunt; quum enise,* etc. Ex qua lectione Sigon. quidem sensum, sed ipsa obscuriorem, et Gron. hunc elicit: hoc difficultatem attulisse Macedonibus, quod unde maxime tentari urbs poterat, nempe qua parte brevissimum erat intervallum seu spatium inter collem, cui erat imposita, et plana, in quibus tendebat Philippus, ea regio omnis oppidanis erat sub certissimo oculorum ictu, ut nihil movere posset, quin animadverterent occurrerentque obsessi, atque eo compelleretur dolis subterraneis agere, non supra terram moliri. Sententia hæc apta quidem, sed durius expressa; quod pluribus docuit Duker. Idem et Drak., quæ

Digitized by Google

nibus erat, quod Romani aggere et vineis et omnibus supra terram operibus, subtus Macedones cuniculis oppugnabant, et in asperis locis silex sæpe impenetrabilis ferro occurrebat. Et, quum parum procederet inceptum, per colloquia principum oppidanos tentabat rex, ut urbem dederent; haud dubius, quin, si prius Heraclea capta foret, Romanis se potius, quam sibi, dedituri essent, suamque gratiam consul in obsidione liberanda facturus esset[3]. Nec eum opinio est frustrata: confestim enim ab Heraclea capta nuntius venit, ut oppugnatione absisteret[4]: *æquius esse, romanos milites, qui acie dimicassent cum Ætolis, præmia victoriæ habere.* Ita recessum ab Lamia est, et propinquæ clade urbis[5] ipsi, ne quid simile paterentur, effugerunt.

hic leguntur, mutila et corrupta esse credebant; nec tamen ea emendare conati sunt. A nobis quoque nondum perspicua ac vera lectio restituta; et forte leg. *oppidis qua breve* (VII mill. pass.) *intervallum panditur* (inter Lamiam Heracleamque), *et*, etiam, *mœnia in conspectu sunt*, scil. Lamiæ Heracleensibus, et Heracleæ Lamianis. Sic omnia referenda sunt ad situm et propinquitatem urbium, cujus descriptioni etiam præsentia verborum tempora maxime conveniunt. — Vulgatam defendit Doeringius, satisque commodam et perspicuam hujus loci sententiam sic explanare sibi videtur: *et quia Lamia quum* (tam) *pos. est in tum. tum* (quam) hoc ipsum oppidum *desp. reg.*, desuper regioni imminet, *ea max.* parte, *qua breve int.*, breve spatium quo oppugnari et invadi possit oppidum, *videtur*, conspicitur, oculis oppidanorum subjectum est, *et omn. in consp. sunt*, et singula, quæ tentet hostis, ab oppidanis animadverti possunt, *quum enise*, etc. *hoc*, eo, vel ob hoc ipsum Lamiæ situm, *major difficultas*, etc. Ed.

3. *Suamque gratiam consul in obsidione liberanda facturus esset*: nimirum, liberatæ obsidione urbis gratiam ad se relaturus, sive sibi soli vindicaturus esset consul. Ed. — De locutione *in obsidione liberanda*, vid. XXVI, 8, n. 4. Ed.

4. *Nuntius venit, ut o. a.*; vide ad VIII, 19, n. 10.

5. *Et propinquæ clade urbis* Heracleæ, quoniam expugnata est Heraclea, prius quam Lamiani ad deditionem adigerentur, *ipsi*, incolæ Lamiæ (conf. ad III, 47, n. 1), *ne quid simile paterentur, effugerunt*, evaserunt simile excidium, scil. hoc anno: nam Lamia anno demum sequenti (vid. XXXVII, 4) a Romanis capta est; Drakenb. Sed rem ægerrime tulit Philippus; vid. XXIX, 23 et 28.

Digitized by Google

XXVI. Paucis, priusquam Heraclea caperetur, diebus Ætoli, concilio Hypatam coacto[1], legatos ad Antiochum miserunt; inter quos et Thoas idem, qui antea, missus est. Mandata erant, ut ab rege peterent primum, ut ipse, coactis rursus terrestribus navalibusque copiis, in Græciam trajiceret; deinde, si qua ipsum teneret res, ut pecuniam et auxilia mitteret. *Id quum ad dignitatem ejus fidemque pertinere*[2], *non prodi socios, tum etiam ad incolumitatem regni, non sinere, Romanos, omni cura vacuos, quum Ætolorum gentem sustulissent, omnibus copiis in Asiam trajicere.* Vera erant, quæ dicebantur: eo magis regem moverunt. Itaque in præsentia pecuniam, quæ ad usus belli necessaria erat, legatis dedit: auxilia terrestria navaliaque affirmavit missurum. Thoantem unum ex legatis retinuit, et ipsum haud invitum morantem, ut exactor præsens promissorum adesset.

XXVII. Cæterum Heraclea capta fregit tandem animos Ætolorum; et post paucos dies, quam ad bellum renovandum acciendumque regem in Asiam miserant legatos, abjectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad consulem miserunt. Quos dicere exorsos consul interfatus, quum alia sibi prævertenda[1] esse dixisset, redire Hypatam eos, datis dierum decem induciis, et L. Valerio Flacco cum iis misso, jussit; ei, quæ secum acturi fuissent, exponere, et si qua vellent alia. Hypatam ut est ventum, principes Ætolorum apud Flaccum concilium habuerunt, consultan-

Cap. XXVI. 1. *Concilio Hypatam coacto;* vid. XXXII, 2, n. 4.

2. *Id quum ad dignitatem ejus,* etc. vid. VI, 8, n. 2. — *Omni cura vacuos,* id est, quum jam nihil ab aliis gentibus timendum haberent; quum nihil aliunde instaret, quod illis injiceret curam, et rerum suarum incolumitati circumspiciendo consulere cogeret. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Alia sibi prævertenda;* vide ad II, 24, n. 3. Mox post *jussit* excidisse videtur *et.* Ad totum vero hoc cap. conf. Polyb.

Digitized by Google

tes, quonam agendum modo apud consulem foret. His parantibus antiqua fœderum ordiri[2] meritaque in populum romanum, *Absistere iis*, Flaccus jussit, *quæ ipsi violassent ac rupissent. Confessionem iis culpæ magis profuturam, et totam in preces orationem versam. Nec enim in causa ipsorum, sed in populi romani clementia spem salutis positam esse. Et se suppliciter agentibus iis adfuturum*[3], *et apud consulem, et Romæ in senatu. Eo quoque enim mittendos fore legatos.* Hæc una via omnibus ad salutem visa est, *ut in fidem se permitterent Romanorum*[4]. *Ita enim et illis violandi supplices verecundiam se impositurosi; et ipsos nihilominus suæ potestatis fore, si quid melius fortuna ostendisset.*

XXVIII. Postquam ad consulem ventum est, Phæneas legationis princeps longam orationem et varie ad mitigandam iram victoris compositam ita ad extremum finivit, ut diceret, *Ætolos se suaque omnia fidei*

XX, 9, exemplo Henrici Stephani in Schediasm. IV, 10-12; in Gruteri Thes. Crit. t. V Suppl. p. 135 sq.

2. *His parantibus antiqua fœderum ordiri*, i. e. antiqua fœdera, quasi antiquitates fœderum obsoletas, *den alten Kram;* Bauer. In aliis libris legitur *parantibus iis*, et e cod. Mogunt. post *antiqua* additur *jura:* sed hoc abest a MSS et vett. edd., poeticaque amat Livius. Conf. Drak. ad VII, 21, not. 8. Quo etiam pertinet τὸ *ordiri* (conf. ad Sil. I, 1); quod tamen cum *parantibus* junctum non satis fortasse placebit. Ablativi, quamvis *jussit* sequatur, nos minus offendunt, quam Bauerum: sunt enim sic dicti ablat. conseq. — *In causa ipsorum*, in bonitate, æquitate et justitia causæ, quæ XXVI, 23 *dura causa* dicitur; Duk. coll. cap. 35, et 37, 1. — *In causa.* Doering. exponit: in defensione et excusatione eorum, quæ fecissent; sive, in re ipsorum justa; nam *causa* passim de æqua et justa ratione, qua quid fit. Vid. Ernesti Clav. Cic. Ed.

3. *Se suppliciter a. iis adfuturum;* videndum supra ad librum III, cap. 14, n. 6.

4. *Ut in fidem se permitterent Romanorum;* vide ad cap. 28, n. 1. — *Ita enim et illis violandi supplices verecundiam se impositurosi;* vide ad III, 62, n. 8. Victor non superbiet, sed imitabitur potius animalia generosa: *non nocet leo jacenti; restitantibus nocet;* Gruter. — *Ipsos nihilominus suæ potestatis fore;* vide ad III, 62, n. 5.

Digitized by Google

populi romani permittere[1]. Id consul ubi audivit; « Etiam atque etiam videte, inquit, Ætoli, ut ita per« mittatis ». Tum decretum Phæneas, in quo id diserte scriptum erat, ostendit. « Quando ergo, inquit, « ita permittitis, postulo, ut mihi Dicæarchum civem « vestrum[2] et Menestam Epirotam (Naupactum is cum « præsidio ingressus ad defectionem compulerat), et « Amynandrum cum principibus Athamanum, quo« rum consilio ab nobis defecistis, sine mora dedatis.» Prope dicentem interfatus Romanum Phæneas, « Non « in servitutem, inquit, sed in fidem tuam nos tradi« dimus; et certum habeo[3], te imprudentia labi, qui « nobis imperes, quæ moris Græcorum non sint ». Ad hæc consul, « Nec, hercle, inquit, magnopere nunc « curo, quid Ætoli satis ex more Græcorum factum « esse censeant, dum ego more romano imperium

Cap. XXVIII. 1. *Se suaque fidei p. r. permittere*, ut mox *non in servitutem, sed in fidem tuam nos tradidimus;* conf. Polyb. XX, 9, 10, qui jam monuit, Ætolos ignorasse, quæ huic formulæ, de qua vide ad VII, 18, not. 1, vis inesset, deceptosque fuisse voce *fidei*, quasi spes certa clementiæ ea contineretur, quum potius *fidei alicujus se permittere* Romani dicant pro *victoris arbitrio se permittere*. « Idem tamen, quod Ætoli, sentiebant Galli, XXXIX, 54, *dedidisse se prius in fidem, quam in potestatem populi rom.* et senatus ipse, XLII, 8, gravissime tulit, Ligures, qui *se in fidem populi rom.* dediderant, a Popillio cos. ipsos bonaque eorum venditos ac deletos esse. Pariter populus rom. eam ob causam omnem iram in Faliscos placida mente deposuit apud Val. Maxim. VI, 5, 1. Cæterum *in fidem populi romani venire* non semper eadem significatione dici, docui ad VIII, 1.» Duker. — *Ita permittatis*, scil. quemamodum dicitis, permittatis vos et vestra omnia fidei populi romani. Sic paulo post: *ita permittitis*. Ed.

2. *Dicæarchum civem vestrum* (vid. XXXV, 12, n. 2) *et Menestam Epirotam*, etc. conf. Polyb. XX, 10. *Menetam* et *Menestem* quidam MSS et edd. h. l. et lib. XXXVIII, c. 10 extr. Μενεστᾶς dicitur Polyb. XXII, 14, § 13, at Μενέστρατος XX, 10, § 5, ubi Schw. notavit, eadem ratione dici Ἀλεξᾶς et Ἀλέξανδρος, Ἀμυνᾶς et Ἀμύνανδρος, Φιλᾶς et Φίλανδρος, Ἀπολλᾶς et Ἀπολλόδωρος aliaque talia. Conf. Duk. — *Sed in fidem tuam nos tradidimus*. Patet Ætolos per *fidem* intellexisse præsidium, quod jam supra expositum est. Ed.

3. *Certum habeo*, ut al. *persuasum habeo;* vide Drak.

Digitized by Google

« inhibeam in deditos[4] modo decreto suo, ante armis « victos. Itaque, ni propere fit, quod impero, vinciri « vos jam jubeo » : afferrique catenas, et circumsistere lictores jussit. Tum fracta Phæneæ ferocia Ætolisque aliis est; et tandem cujus conditionis essent sensere; et, *se quidem*, Phæneas, *et qui adsint Ætolorum, scire facienda esse, quæ imperentur*, dixit; *sed ad decernenda ea concilio Ætolorum opus esse. Ad id petere, ut decem dierum inducias daret.* Petente Flacco[5] pro Ætolis, induciæ datæ; et Hypatam reditum est. Ubi quum in consilio delectorum, quos Apocletos vocant, Phæneas, et quæ imperarentur, et quæ ipsis prope accidissent, exposuisset, ingemuerunt quidem principes conditioni suæ, parendum tamen victori censebant, et ex omnibus oppidis convocandos Ætolos ad concilium.

XXIX. Postquam vero omnis coacta multitudo eadem illa audivit, adeo sævitia imperii atque indignitate exasperati animi sunt, ut, si in pace[1] fuissent, illo impetu iræ concitari potuerint ad bellum. Ad iram accedebat et difficultas eorum, quæ imperarentur : *quonam modo enim utique regem Amynandrum se*

4. *Imperium inhibeam in deditos;* vide ad III, 38, n. 2, et XXVIII, 34, n. 3 : quo loco et rem et phrasin illustrari monet Gronov. — Vulgati habent *imperium id habeam*, scripti *adhibeam*. Rectissime Gronov. edidit *inhibeam*. Ed.

5. *Petente Flacco pro Ætolis*, scil. *inducias :* neque enim *petere pro aliquo* simpl. dicunt Latini, sed *deprecari, intercedere;* Bauer. Idem mox *censuerunt* accuratius fore notat, quam *censebant*. — *In consilio delectorum, quos Apocletos vocant;* vide ad I, 54, n. 1, et XXXV, 34, n. 2. Conf. Polyb. XX, 10. *Apocletus* unus codex pluresque edd. vett. vide ad XLIV, 28, n. 5.

Cap. XXIX. 1. *Si in pace fuissen* etiam si in pace fuissent. Intellige : dum, multo magis, quum in b etiam tunc agerent; Bauer. Con V, 51, n. 1. — *Ad iram acce* t. In quibusdam codd. apud Dr ab. legitur *accendebat*, unde Dr le- legendum fortasse conjicit *iran* cen- *debat*. Sed hac lectione sup imitur τὸ *ad*, aut saltem mutandum t in *at*. Multo simplicius legitur *a iram accedebat*. Ed.

Digitized by Google

tradere posse? Et spes forte oblata, quod Nicander eo ipso tempore ab rege Antiocho veniens, implevit exspectatione vana multitudinem, terra marique ingens parari bellum. Is duodecimo die, quam conscenderat navem, in Ætoliam, perfecta legatione, rediens Phalara in sinu Maliaco tenuit[2]. Inde Lamiam pecuniam quum devexisset, ipse cum expeditis vespera prima inter Macedonum romanaque castra medio agro, dum Hypatam notis callibus petit, in stationem incidit Macedonum, deductusque ad regem est, nondum convivio dimisso. Quod ubi nuntiatum est, velut hospitis, non hostis, adventu motus Philippus, accumbere eum epularique jussum[3], atque inde, dimissis aliis, solum retentum, ipsum quidem de se timere quidquam vetuit. Ætolorum prava consilia atque in ipsorum caput semper recidentia accusavit, qui primum Romanos, deinde Antiochum in Græciam adduxissent. *Sed præteritorum, quæ magis reprehendi, quam corrigi, possint, oblitum se, non facturum, ut insultet adversis rebus eorum. Ætolos quoque finire tandem adversus se odia debere, et Nicandrum privatim ejus diei, quo servatus a se foret, meminisse.* Ita datis, qui in tutum eum prosequerentur[4], Hypatam Nicander consultantibus de pace romana supervenit.

2. *Phalara in sinu Maliaco tenuit;* de ad I, 1, n. 8, et XXVII, 30, 3. — *Cum expeditis;* vide ad V, n. 2. Conf. Polyb. XX, 10, 11. *Macedonum romanaque castra.* In codice Mogunt. legitur *Romanorumque*, sed cæteri codd. nostram tuentur lectionem. Recte animadvertit Drak. Livium ita sæpe loqui, sicut supra, XXV, 6, *multo tamen major vis pestis Pœnorum castra quam romana affecerat*, XXXIII, 15, *equites discurrere ad depopulandos Pellenensium Sicyoniumque agros et Phliasium jubet.* Ed.

3. *Accumbere eum epularique jussum*, at non cum rege; vid. Polyb. XX, 11. — *De se timere quidquam vetuit;* metuebat enim iram Philippi, socii Romanorum, aut ne his dederetur. Sed Philippus Romanis minus jam favebat. Conf. ad cap. 26 f.

4. *In tutum eum prosequerentur;* vid. V, 38, n. 4.

Digitized by Google

XXX. M'. Acilius, vendita aut concessa militi circa Heracleam præda, postquam nec Hypatæ pacata esse consilia, et Naupactum concurrisse Ætolos, ut inde totum impetum belli sustinerent, audivit; præmisso Ap. Claudio cum quatuor millibus militum ad occupanda juga, qua difficiles transitus montium erant, ipse Œtam adscendit, Herculique sacrificium fecit in eo loco, quem Pyram, quod ibi mortale corpus ejus dei sit crematum[1], appellant. Inde toto exercitu profectus reliquum iter satis expedito agmine fecit. Ut ad Coracem[2] est ventum (mons est altissimus inter Callipolin et Naupactum), ibi et jumenta multa ex agmine præcipitata cum ipsis oneribus sunt, et homines vexati. Et facile apparebat, quam cum inerti hoste res esset, qui tam impeditum saltum[3] nullo præsidio, ut clauderet transitum, insedisset. Tum quoque vexato exercitu, ad Naupactum descendit, et uno castello adversus arcem posito, cæteras partes urbis, divisis copiis pro situ mœnium, circumsedit: nec minus operis laborisque ea oppugnatio, quam Heracleæ, habuit.

Cap. XXX. 1. *Pyram, ubi mortale corpus* Herculis *crematum;* vide ad Sil. III, 43, VI, 453; Heyn. ad Apollodor. II, 7, 7; Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. 159; Hemsterh. ad Luciani Timon. cap. 6. — *Satis expedito agmine,* sc. dum agmen pæne nullis viæ difficultatibus impeditum, satis celeriter incederet. Ed.

2. *Ad Coracem, montem* Ætoliæ orientalis, Œtæ conterminum, *inter Callipolin et Naupactum,* etc. conf. Appian. Syr. 21, et Polyb. XX, 11, § 11, vel Steph. voc. Κόραξ· Strab. IX et X, pag. 287 et 310, al. 417 et 450. *Callipolis* forte idem opp., quod Κάλλιον dicitur Pausan. X, 22, § 4. Conf. Palmer. Græc. Antiq. IV, 22, et Cellar. Geogr. Ant. II, 13, p. 713. — *Et facile apparebat.* Gron. lib. IV, 6, conjicit *facile apparebat,* quamvis anno 1665 *id facile apparebat* ediderit. Utrumque vitiosum censemus, quum Livius, notante Drak., similiter scripserit supra, XXXIII, 1, *et apparebat nihil liberæ consultationis concilio,* etc. infra vero XXXVII, 25, *et apparebat, si ea cura Rhodiis dempta esset,* etc. Ed.

3. *Tam impeditum saltum;* vide ad IX, 2, n. 5. — *Tum quoque,* licet nullus obstaret hostis, *vexato exerci-*

Digitized by Google

XXXI. Eodem tempore et Messene in Peloponneso ab Achæis, quod concilii eorum recusaret esse, oppugnari cœpta est. Etenim duæ civitates, Messene et Elis, extra concilium Achaicum erant; cum Ætolis sentiebant[1]. Elei tamen, post fugatum ex Græcia Antiochum, legatis Achæorum lenius responderant, *dimisso præsidio regio, cogitaturos se, quid sibi faciendum esset.* Messenii, sine responso dimissis legatis, moverant bellum; trepidique rerum[2] suarum, quum jam ager effuso exercitu passim ureretur, castraque prope urbem poni viderent, legatos Chalcidem ad T. Quintium, auctorem libertatis, miserunt, qui nuntiarent, Messenios Romanis, non Achæis, et aperire portas, et dedere urbem paratos esse. Auditis legatis, extemplo profectus Quintius, a[3] Megalopoli ad Diophanem prætorem Achæorum misit, qui extemplo reducere eum a Messene exercitum et venire ad se juberet. Dicto paruit Diophanes, et, soluta ob-

tu; Jac. Periz. *Tam* conj. Gron. minus apte; ut et lectio edd. antt. *Tum ergo v.*

Cap. XXXI. 1. *Et. duæ civitates, Messene et Elis, extra concilium* (corpus, fœderatam rempubl., σύστημα) *Achaicum erant; cum Ætolis sentiebant;* conf. XXXIX, 48 seq. et Polyb. XVI, 13, § 3, ubi Vales. monet, causas, cur Messenii ab Achæis desciverint, referre Pausan. IV, 29; inter Ætolos vero et Eleos cognationem intercessisse: Oxylum enim, ex posteris Ætoli, auctoris Ætolorum, Heraclidas in occupanda Peloponneso adjuvisse, et ab iis accepisse Elidem. Confer. Pausan. VIII, 49, et Strab. VIII, p. 354, 357; de Messeniis autem et Dinocrate, qui eos ab Achæorum societate abstraxit, inf. XXXIX, 48, 49; Plut. Philop. p. 366; Polyb. XXIV, 5 et 12. — *Etenim duæ civitates,* etc. Orationis nexus quodammodo juvatur lectione, quæ est in vett. edd. *etenim duæ civitates Messene et Elis, quæ extra concilium Achaicum erant, cum Ætolis sentiebant.* Τὸ *quæ* primus delevit Frob. anno 1535, quod in nullo codice comparere Drak. testatur. Ed.

2. *Trepidique rerum suarum;* vide ad V, 11, n. 3.

3. *Auditis legatis, extemplo profectus Quintius* Chalcide, *a Megalopoli,* quum eo pervenisset ex itinere, in castra prope Messenen *ad Diophanem,* etc. Gron. De *Diophane* conf. XXXVII, 20, 21, XXXVIII, 32; inpr. Polyb. XXI, 7, XXIII, 3, 10, XXV, 1, XXIX, 8; Appian. Syr. 26; Plut. in Philop. p. 364, in Quintio, p. 378. — *Reducere,* forte *dedu-*

Digitized by Google

sidione, expeditus ipse, prægressus agmen, circa Andaniam, parvum oppidum, inter Megalopolim Messenenque positum, Quintio occurrit[4]; et, quum causas oppugnationis exponeret, castigatum leniter, quod tantam rem sine auctoritate sua conatus esset, dimittere exercitum jussit, nec pacem omnium bono partam turbare. Messeniis imperavit, ut exsules reducerent, et Achæorum concilii essent. Si qua haberent de quibus aut recusare, aut in posterum caveri sibi vellent[5], Corinthum ad se venirent. Diophanem concilium Achæorum extemplo sibi præbere jussit[6]. Ibi, de Zacyntho intercepta per fraudem insula questus, postulavit, ut restitueretur Romanis. Philippi Macedonum regis Zacynthus fuerat: eam mercedem Amynandro dederat, ut per Athamaniam ducere exercitum in superiorem partem Ætoliæ liceret. Qua expeditione fractis animis, Ætolos compulit ad petendam pacem. Amynander Philippum Megalopolitanum insulæ præfecit: postea per bellum[7], quo se Antiocho adversus Romanos conjunxit, Philippo ad munia belli revocato, Hieroclem Agrigentinum successorem misit.

XXXII. Is, post fugam ab Thermopylis Antiochi Amynandrumque a Philippo Athamania pulsum, mis-

cere; Duker. — *Andaniam* Arcadiæ opp. apud Strab. VIII, 339, sed Messeniæ apud Steph. et regia olim Messeniorum apud Pausan. IV, 1, 3, 14, 17, 26 et 33.

4. *Quintio occurrit; et, quum,* etc. forte leg. *qui quum,* etc. Sed Livius etiam alibi, ut XXXIII, 41, n. 3, copulativis ad jungendam diversæ structuræ orationem utitur, qua non satis apte verba nonnunquam adnecti videntur; Duk. Conf. ad II, 56, n. 1, et XXVIII, 12, n. 8. — *Et Achæorum concilii essent,* elegante pro: in Achæorum concilii partem venirent, sicut supra, in princ. cap. *quod concilii eorum recusaret esse.* Ed.

5. *In posterum cav. sibi v.,* ut III, 52, 55. Alii *cavere sibi:* sed ita *recusare* supervacuum videri potest; nam utique etiam de iis sibi *cavere* volebant, quæ recusaturi erant; Duk. Conf. ad VII, 41, n. 1, et XXIV, 2, not. 3.

6. *Concilium Achæorum sibi præbere;* vide ad VIII, 5, n. 1.

7. *Postea per bellum;* vide supra ad II, 18, n. 1.

Digitized by Google

sis ultro ad Diophanem prætorem Achæorum nuntiis, pecuniam pactus, insulam Achæis tradidit. Id præmium belli suum esse, æquum censebant Romani. *Non enim M'. Acilium consulem legionesque romanas Diophani et Achæis ad Thermopylas*[1] *pugnasse.* Diophanes adversus hæc purgare interdum sese gentemque; interdum de jure facti disserere. Quidam Achæorum et initio eam se rem adspernatos testabantur, et tunc pertinaciam increpitabant prætoris; auctoribusque iis decretum est, ut T. Quintio ea res permitteretur. Erat Quintius, sicut adversantibus asper, ita, si cederes, idem placabilis. Omissa igitur contentione vocis vultusque, « Si utilem, inquit, possessionem ejus insulæ censerem Achæis esse, auctor « essem senatui populoque romano, ut eam vos habere sinerent. Cæterum sicut testudinem[2], ubi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus « video esse, ubi exserit partes aliquas, quodcumque « nudavit, obnoxium atque infirmum habere; haud « dissimiliter vos, Achæi, clausos undique mari, quæ « intra Peloponnesi sint terminos, ea et jungere vobis, et juncta tueri facile; simul aviditate plura am-

Cap. XXXII. 1. *Non M'. Acilium Diophani et Achæis pugnasse*, h. e. pro iis, in eorum gratiam commoduinque.

2. *Sicut testudinem*, etc. conf. Plut. in Quint. pag. 378, et Apophth. pag. 197. — Hearnius, auctore *Jac. de Wilde*, pag. 79, putat Quintium allusisse imagini Peloponnesi nummis antiquis expressæ, in quibus ea regio testudini assimilatur, forte ob prominentiarum, sive promontoriorum, maxime insignem Chelonatem, urbemque proximam Chelonem, h. e. testudinem. Sed ejusmodi doctam observationem, quum locus per se jam satis sit perspicuus, inutilem judicat Doering. Ed. — *Collecta in suum tegumen*, dorsum, testam, chelyon, quo tegitur. — *Obnoxium;* vide ad III, 39, n. 1.—*Simul aviditate plura amplectendi*, etc. cod. Mog. præfert *simul aviditate plura appetendi*, etc. sed elegantius videtur *amplectendi*. Supra XXX, 5, *ignis..... continua amplexus;* XXXVII, 54, *Græci domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur*. Ed.

Digitized by Google

« plectendi hinc excedatis, nuda vobis omnia, quæ « extra sint, et exposita ad omnes ictus esse. » Assentiente omni concilio, nec Diophane ultra tendere auso, Zacynthus Romanis traditur.

XXXIII. Per idem tempus Philippus rex, proficiscentem consulem ad Naupactum percunctatus, si se interim, quæ defecissent ab societate romana, urbes recipere vellet, permittente eo, ad Demetriadem copias admovit, haud ignarus, quanta ibi tum perturbatio esset. Destituti enim ab omni spe [1], quum desertos se ab Antiocho, spem nullam in Ætolis esse cernerent, dies noctesque aut Philippi hostis adventum, aut infestiorem etiam, quo justius irati erant, Romanorum exspectabant. Turba erat ibi incondita regiorum, qui, primo pauci in præsidio relicti, postea plures, plerique inermes, ex prælio adverso fuga delati, nec virium, nec animi satis ad obsidionem tolerandam habebant. Itaque præmissis a Philippo, qui spem impetrabilis veniæ ostendebant, responderunt patere portas regi. Ad primum ejus ingressum principum quidam urbe excesserunt; Eurylochus mortem sibi conscivit. Antiochi milites (sic enim pacti erant) per Macedoniam Thraciamque, prosequentibus Macedonibus, ne quis eos violaret, Lysimachiam deducti sunt. Erant et paucæ naves Demetriade, quibus præerat Isidorus: eæ quoque cum præfecto suo dimissæ sunt. Inde Dolopiam et Aperantiam [2] et Perrhæbiæ quasdam civitates recepit.

Cap. XXXIII. 1. *Ab omni spe*, forte *ope*, et mox *infestiorum*; Jac. Gron. — *Turba incondita* (vide ad XXI, 57, n. 11) *regiorum*, militum Antiochi.—*Delati* suppl. *eo*, vel aliud rei conveniens: sed non habeo exemplum. *Eo* latere potest in *ibi*. Ed.

2. *Dolopia et Aperantia* Thessaliæ urbes, illa in finibus Pæoniæ aut Epiri, hæc Ætoliæ. Conf. Polyb. XX, 11, et Drak. ad h. l. et XLIII, 22 extr.— *Aperantia* quæ sit regio, ignorare se

Digitized by Google

XXXIV. Dum hæc a Philippo geruntur, T. Quintius, recepta Zacyntho ab Achaico concilio, Naupactum trajecit; quæ jam per duos menses (sed prope excidium erat) oppugnabatur, et, si capta vi foret, omne ibi nomen Ætolorum ad internecionem videbatur venturum. Cæterum, quanquam merito iratus erat Ætolis, quod solos obtrectasse[1] gloriæ suæ, quum liberaret Græciam, meminerat, et nihil auctoritate sua motos esse, quum, quæ tum maxime acciderant, casura præmonens, a furioso incepto eos deterreret; tamen, sui maxime operis esse credens, nullam gentem liberatæ a se Græciæ funditus everti, obambulare muris, ut facile nosceretur ab Ætolis, cœpit. Confestim a primis stationibus cognitus est, vulgatumque per omnes ordines, Quintium esse. Itaque, concursu facto undique in muros, manus pro se quisque tendentes, consonante clamore nominatim Quintium orare, ut opem ferret ac servaret. Et tum quidem, quanquam moveretur his vocibus, manu tamen abnuit, quidquam opis in se esse[2]. Cæterum, postquam ad consulem venit: « Utrum fefellit, inquit, te, « M'. Acili, quid agatur? an, quum satis[3] pervideas,

fatetur Glareanus, et suspicatur corruptum nomen; nec merito: nam præter Polybium etiam Plutarchus hujus regionis in Quintio ita meminit: ἀγομένων δὲ καὶ φερομένων ὑπὸ τοῦ Μακεδόνος τοῦτο μὲν Δολόπων καὶ Μαγνήτων· τοῦτο δ' Ἀθαμάνων καὶ Ἀπεράντων. Testatur Sigonius eamdem regionem memorari etiam apud Thucydidem, et Strabonem, et alios. Ed.

Cap. XXXIV. 1. *Quod* (forte *quos;* Gron.) *solos obtrectasse*, etc. vide ad XXXIII, 31. — *Tum maxime*, eo maxime tempore: immo leg. *quum maxime*, id est, hoc maxime tempore; Drak. Confer. ad XXIX, 17, n. 6. — *Sui maxime operis esse credens*, etc. Putans, ut exponit Doering. maximopere per se prohibendum esse, ne ulla gens liberatæ a se Græciæ funditus evertatur. Infra, XXXVIII, 9, *Amynander quod sui maximi operis erat* (quod sibi maximopere agendum erat), impigre agebat. Ed.

2. *Manu tamen abnuit*, nutu gestuque manus significavit haud *quidquam opis in se esse*.

3. *Utrum fefellit... te, quid agatur? an*, etc. Consulto loqui Quintium paulo obscurius dicit Doer. et sic fere

Digitized by Google

« nihil id magnopere ad summam rem pertinere cen-
« ses? » Erexerat exspectatione consulem; et, « Quin
« expromis, inquit, quid rei sit? » Tum Quintius:
« Ecquid vides, te, devicto Antiocho, in duabus ur-
« bibus oppugnandis tempus terere, quum jam prope
« annus circumactus sit imperii tui? Philippum au-
« tem, qui non aciem, non signa hostium vidit, non
« solum urbes, sed tot jam gentes, Athamaniam, Per-
« rhæbiam, Aperantiam, Dolopiam sibi adjunxisse?
« Atqui non tantum interest nostra, Ætolorum opes
« ac vires minui, quantum, non supra modum Philip-
« pum crescere, et victoriæ tuæ præmium te milites-
« que tuos nondum duas urbes, Philippum tot gentes
« Græciæ habere[4] ».

XXXV. Assentiebatur his consul: sed pudor, si irrito incepto abscederet obsidione, occurrebat[1]. Tota inde Quintio res permissa est. Is rursus ad eam partem muri, qua paulo ante vociferati Ætoli fuerant, rediit. Ibi quum impensius orarent, ut misereretur gentis Ætolorum, exire aliquos ad se jussit. Phæneas ipse principesque alii extemplo egressi sunt. Quibus provolutis ad pedes, « Fortuna, inquit, vestra facit,
« ut et iræ meæ et orationi temperem. Evenerunt

sensum hujus loci explicat: Nonne adhuc respexisti ad progressus, quos ad augendam potentiam Philippus facit, dum tu in duabus urbibus oppugnandis tempus teris? an quum bene, quæ fiunt, perspicias, num illa, respectu summæ reipublicæ habito, parum curanda esse censes? Ed.—*Quum satis pervideas;* al. *provideas.* Confer ad Tacit. Ann. II, 7, n. 2. — *Nihil id magnopere ad summam rem pertinere;* vid. III, 5, n. 6, et XXXIII, 45, not. 1. — *Summam rei* aliqui legunt. Utrumque certe dicitur, ut patet ex citatis locis. Vid. cæterum Ern. Clav. Cic. sub voc. *summa.* Ed. — *Erexerat exspectatione c.* vide ad II, 54, n. 12.—*Quin expromis;* vide ad XXVII, 49, n. 5, et XXXII, 32, n. 1.

4. *Nondum duas urbes, Philippum tot gentes:* quædam edd. *nondum tot urbes, quot Philippum gentes,* prob. Gron. Sed adversantur MSS, et *duæ urbes* sunt Heraclea expugnata ac Naupactus obsessa; Drak.

Cap. XXXV. 1. *Sed pudor... occurrebat;* vide ad V, 54, n. 2.

Digitized by Google

« quæ prædixi eventura. Et ne hoc quidem reliqui « vobis est, ut indignis accidisse ea videantur. Ego « tamen, sorte quadam nutriendæ Græciæ datus[2], ne « ingratis quidem benefacere absistam. Mittite ora- « tores ad consulem, qui inducias tanti temporis pe- « tant, ut mittere legatos Romam possitis, per quos « senatui de vobis permittatis. Ego apud consulem de- « precator defensorque vobis adero ». Ita, ut censuerat Quintius, fecerunt: nec adspernatus est legationem consul; induciisque in diem certam datis, qua legatio renuntiari ab Roma[3] posset, soluta obsidio est, et exercitus in Phocidem missus. Consul cum T. Quintio ad Achaicum concilium Ægium trajecit[4]. Ibi de

2. *Sorte quadam nutriendæ Græciæ datus;* vide ad II, 1, n. 8, IV, 52, n. 2, et VI, 21, n. 1. — *Inducias tanti temporis* (ut *inducias temporis ejus, quod petebant* XXXVII, 7; et similia IV, 30, XXXVII, 7, et al.) pro vulg. *i. tantum t.* recepi ex Lov. 3, et emend. Duk. qui jam monuit, *tantum* non posse adverbium esse pro *solum*, quia omnes induciæ tantum temporis sint, nec bene pro *in tantum* dici posse. — *Per quos senatui de vobis permittatis;* vide ad IX, 43, n. 4.

3. *Legatio renuntiari ab Roma;* vide ad XXIII, 6, n. 2.—In Ciceronis Philippica IX, 1, occurrit etiam illa locutio: *si ille vir legationem renunciare potuisset.* Ed.

4. *Consul cum T. Quintio ad Achaicum concilium Ægium* (vid. XXVII, 30, n. 8) *trajecit,* soluta Naupacti obsidione et trajecto sinu Corinthiaco, *ubi de Eleis et de exsulibus Lacedæmoniorum restituendis actum,* etc. conf. Polyb. XX, 12, ibique notæ Schweigh. quæ sunt: « Legationem a Lacedæmoniis Romam missam silentio præterit Livius. Polybius scribit, rediisse eam hoc tempore, et senatum romanum respondisse, se de iis rebus, quas petiissent Lacedæmonii, mandata daturum legatis romanis in Græciam missis. In horum vero numero T. Quintius erat; videre est ad Liv. XXXV, 23. Igitur consentaneum erat, ut in concilio Achæorum, cui tunc intererat Quintius, eisdem de rebus ageretur, præsertim quum et Lacedæmonii recens tunc, occiso ab Ætolis Nabide, societati Achæorum essent adjuncti (vide ad Liv. XXXV, 35, 37), et ea, quæ postulaverant Lacedæmonii, ad Achæos nonnihil pertinerent. Polybius autem docet, missos fuisse legatos Lacedæmoniorum, ut peterent de *obsidibus*, de *pagis* seu vicis vel oppidis (nam κώμη etiam est oppidum non munitum), et de *exsulibus* Lacedæmoniorum restituendis. De omnibus his rebus haud dubie actum in eodem concilio Achæorum, quanquam non nisi posteriorem memorat Livius, qui in Græciæ rebus

Digitized by Google

Eleis et de exsulibus Lacedæmoniorum restituendis actum : et neutra perfecta res, quia suæ gratiæ reservari eam [5] Achæi, Elei per se ipsi, quam per Roma-

Polybium quidem presse sequutus, sed non omnes res ad Græcos pertinentes ita minutatim, ut a græco scriptore factum, persequutus est. *Obsides* sunt hi, qui in pace a Quintio Nabidi data huic imperati erant (vid. Liv. XXXIV, 35, 40), quorumque redditio nec ab Achæorum concilio, nec a Quintio peti poterat, sed ad senatum romanum pertinebat: quem et remisisse Spartanis obsides, excepto Nabidis filio, tradit Polyb. XX, 13. *Vici* et *oppida* Lacedæmoniorum sunt ea, quæ Quintius Nabidi adempta in fidem tutelamque Achæorum tradiderat, quibusque Lacedæmonios abstinere jusserat ex fœdere; vide ad Liv. XXXIV, 29. Eam conditionem pacis præterierat quidem Livius, XXXIV, 35; sed ex XXXVIII, 30, 31, res satis apparet. Receperat quidem Nabis interim Gythium, sed a Philopœmene rursus inde pulsus erat; Liv. XXXV, 25-30. Eodem vero etiam anno Lacedæmonii quidem societati Achæorum se adjunxerant (Liv. XXXV, 35-37); at vici et castella eis non sunt reddita, et in illo quoque Achæorum concilio nihil de iis novi decretum est, sed manserunt in tutela Achæorum, magnam partem habitata ab exsulibus Spartanis, ægre id patientibus cæteris Lacedæmoniis; Liv. XXXVIII, 30 sq. *Exsules* hi, quorum præter Livium et Polyb. mentionem quoque faciunt Plut. in Philop. p. 366, et Pausan. VIII, 51, erant cives Spartani, qui a Nabide et partim etiam ab eis, qui ante hunc tyrannidem Lacedæmone occupaverant, in exsilium fuerant pulsi; vid. Polyb. XIII, 6, § 3, et Liv. XXXIV, 26, 27. In pace a Quintio data Nabidi illorum in urbem restituendorum nulla fuerat mentio facta (Liv. XXXIV, 36); modo mandatum Nabidi, ut liberos et conjuges, quæcumque voluissent, exsulibus remitteret (ibid. c. 35). Nunc, liberata Lacedæmone a Nabidis tyrannide, et societati Achæorum adjuncta, spem redeundi in patriam ceperant hi exsules, non invitis Achæis, sed quam maxime invitis ipsis Lacedæmoniis, ut satis apparet ex Livio, XXXVIII, 34. Spartani legati de exsulibus ad senatum romanum retulisse videntur; et quid is responderit, perspicue docet Polyb. XX, 12. In concilio deinde Achæorum, de quo Livius hoc loco (XXXVI, 35) loquitur, ab Achæis postulatum, ut exsules in patriam restituerent: sed res tunc non perfecta est, non quod id nollent Achæi, sed quod ita rem factam vellent, ut non Romani, sed ut ipsi gratiam beneficii ferrent. Itaque dilata res est, et demum anno 563 decreto Tegeæ in concilio communi facto restituti in patriam exsules sunt a prætore Achæorum Philopœmene; vide ad Liv. XXXVIII, 30-34 ».

5. *reservari eam*, forte *hanc* vel *illam*, Duk. prob. Drak. — Τὸ *eam* debet intelligi de re ad Lacedæmonios exsules pertinente, cui in sequentibus opponuntur Elei. Sed id vocabulum non solet adhiberi in partitionibus. Addit Creverius, ex quo hanc notam deprompsimus, posse legi *alteram*. Recte observat Doering. vocem quoque *alter* non simpliciter, sed quasi dupliciter poni solere. Dukeri igi-

Digitized by Google

nos, maluerunt Achaico contribui concilio. Epirotarum legati ad consulem venerunt, quos non sincera fide in amicitia fuisse satis constabat: militem tamen nullum Antiocho dederant. Pecunia juvisse eum insimulabantur: legatos ad regem ne ipsi quidem misisse inficiabantur. Iis petentibus, ut in amicitia pristina esse liceret, respondit consul, *se utrum hostium, an pacatorum, eos numero haberet, nondum scire. Senatum ejus rei judicem fore. Integram se causam eorum Romam rejicere. Inducias ad id dierum nonaginta dare.* Epirotæ Romam missi senatum adierunt. Iis, magis, quæ non fecissent hostilia, referentibus, quam purgantibus ea, de quibus arguebantur, responsum datum est, quo veniam impetrasse, non causam probasse, videri possent. Et Philippi regis legati sub idem tempus in senatum introducti, gratulantes de victoria. Iis petentibus, ut sibi sacrificare in Capitolio, donumque ex auro liceret ponere in æde Jovis Optimi Maximi, permissum ab senatu. Centum pondo coronam auream posuerunt. Non responsum solum benigne legatis est; sed Philippi quoque filius Demetrius[6], qui obses Romæ erat, ad patrem reducendus legatis datus est. Bellum, quod cum Antiocho rege in Græcia gestum est a M'. Acilio consule, hunc finem habuit.

XXXVI. Alter consul P. Cornelius Scipio, Galliam provinciam sortitus, prius quam ad bellum, quod cum Boiis gerendum erat, proficisceretur, postulavit ab se-

tur cum Drakenb. mavult sup. citatam emendationem, *hanc* vel *illam;* vid. Gron. Obss. III, 16. Ed. — *Achaico contribui concilio;* conf. cap. 31. — *Centum pondo.* Ex Crever. marcarum nostratium 156, cum unciis 2. Ed.

6. *Philippi quoque filius Dem.* conf. Polyb. XX, 13, et XXI, 9, qui etiam ei, ob operam Romanis in bello Antiochico præstitam, remissum dicit tributum (conf. infra XXXVII, 25, 4), et complures urbes redditas.

Digitized by Google

natu, ut pecunia sibi decerneretur ad ludos, quos proprætor in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ vovisset[1]. Novum atque iniquum postulare est visus. Censuerunt ergo, *quos ludos inconsulto senatu ex sua unius sententia vovisset, eos uti de manubiis, si quam pecuniam ad id reservasset, vel sua ipse impensa faceret.* Eos ludos per dies decem P. Cornelius fecit. Per idem fere tempus ædes Matris Magnæ[2] Idææ dedicata est; quam Deam is P. Cornelius, advectam ex Asia P. Cornelio Scipione, cui post Africano fuit cognomen, P. Licinio consulibus, in Palatium a mari detulerat[3]. Locaverant ædem faciendam ex senatusconsulto M. Livius, C. Claudius censores, M. Cornelio, P. Sempronio consulibus: tredecim annis post, quam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus, ludique ob dedicationem ejus facti, quos primos scenicos fuisse, Antias Valerius est auctor, Megalesia

Cap. XXXVI. 1. *Quos proprætor in Hispania inter ipsum discrimen pugnæ* (vide ad IV, 18, n. 2; VI, 17, n. 1) *vovisset;* confer. XXXV, 1: ex quo loco *proprætor* pro vulg. *prætor* primus substituit Glar. Conf. tamen ad VI, 42, n. 7. — *Novum atque iniquum postulare est visus*, etc. « Ex Livio constat, imperatores ludos, quos in præliis aliove discrimine publico voverant, non potuisse facere, nisi ex SCto, et senatum iis pecuniam ad illos decrevisse: vid. XXVIII, 38; XXXIX, 5, 22; XL, 44, 52. Sed nusquam alibi prodidit, senatum cuiquam petenti sumptum ad eos faciendos negasse: nec alii magis, quam Nasica, senatum ante consulere potuerunt, an vovere illos liceret. Itaque causa hæc frivola videtur esse; et suspicor, hanc calumniam Catonis et aliorum ejusdem factionis Scipionibus inimicorum fuisse. » Duker.—*De manubiis*, etc. vide ad X, 46, n. 7. — *Ad id*, h. e. ad finem ludorum instituendorum. Ed.

2. *Matris Magnæ Ideæ*, alii *Deæ;* sed neutrum exstat in c. Lov. 6, prob. Drak. quoniam hæc quidem dea ad Suet. Tib. 2. *Mater Deum Idæa*, et in inscriptt. *Mater Magna Deum Idæa* (vid. Burm. ad Suet. l. l.), sed Livio non nisi *Mater Idæa* vel *Mater Deum*, vel *Mater Magna* dicitur. Confer Oudend. ad Jul. Obs. cap. 6.

3. *In Palatium a mari detulerat;* vide ad XXIX, 14, n. 8. — *Locaverant ædem faciendam*, etc. vide ad V, 23, n. 6. — Ambas voces *ex senatusconsulto*, quas quidem Gelenius addidit, in pluribus edd. deesse monet Drak. et solam earum posteriorem in quibusdam legi. In illis omissam utramque, in his alteram suspicatur, quia

Digitized by Google

appellatos[4]. Item Juventatis ædem in circo maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. Voverat eam sexdecim annis ante M. Livius consul, quo die Hasdrubalem exercitumque ejus cecidit: idem censor eam faciendam locavit, M. Cornelio, P. Sempronio consulibus. Hujus quoque dedicandæ causa ludi facti: et eo omnia cum majore religione facta, quod novum cum Antiocho instabat bellum.

XXXVII. Principio ejus anni, quo hæc, jam profecto ad bellum M'. Acilio, manente adhuc Romæ P. Cornelio consule, agebantur, boves duos domitos in Carinis per scalas pervenisse in tegulas ædificii proditum memoriæ est. Eos vivos comburi, cineremque eorum dejici in Tiberim, haruspices jusserunt. Tarracinæ et Amiterni nuntiatum est aliquoties lapidibus pluisse[1]; Minturnis ædem Jovis et tabernas circa forum de cælo tactas esse; Vulturni in ostio fluminis duas naves fulmine ictas conflagrasse. Eorum prodigiorum causa libros Sibyllinos ex senatusconsulto decemviri quum adissent, renuntiarunt, *Jejunium instituendum Cereri esse*[2], *et id quinto quoque anno servandum: et ut novemdiale sacrum fieret, et unum*

non assequebantur librarii notam compendiariam qua vox *senatusconsulto* indicata erat. In Liv. cæterum observat, nullam *senàtusconsulti* mentionem fieri de ædibus locatis a censoribus, lib. XXIX, 37. Ed.

4. *Quos primos scenicos fuisse, Antias Valerius est auctor* (vide ad II, 58, n. 1, et III, 1, n. 1), *Megalesia appellatos;* vid. II, 21, n. 1; XXIX, 14, n. 9, et inpr. XXXIV, 54, n. 2. —*Juventatis ædem... Lucullus duumvir dedicavit;* vide ad I, 55, n. 3 et 4, et ad XXIII, 30, n. 8. — *Et eo,* ideo, *omnia cum majore,* etc.

Cap. XXXVII. 1. *In Carinis.* Sic vocabatur quædam Romæ regio, ubi domus una Cic. fuit, ut testatur ejus Epist. ad Quint. fratr. II, 3. Ed. — *Lapidibus pluisse,* etc. vid. I, 31, n. 1.

2. *Jejunium instituendum Cereri,* etc. vid. Spanhem. ad Callim. H. in Cer. 6 et 12, et Morin. Diss. II, t. V. Memor. Acad. Reg. Inscr. Hag. 1724. — Non solum in Cereris, sed et in honorem quorumdam ex diis aut deabus instituta jejunia, nempe Jovis, apud Hor. lib. II, Sat. 3, 290, *illo Mane die, quo tu indicis jejunia.* Ed.—*Novemdiale sacrum;* vide ad I, 31, n. 3.

Digitized by Google

diem supplicatio esset: coronati supplicarent; et consul P. Cornelius, quibus diis quibusque hostiis edidissent decemviri, sacrificaret. Placatis diis, nunc votis rite solvendis, nunc prodigiis expiandis, in provinciam proficiscitur consul, atque inde Cn. Domitium proconsulem, dimisso exercitu, Romam decedere jussit: ipse in agrum Boiorum legiones induxit.

XXXVIII. Sub idem fere tempus Ligures, lege sacrata coacto exercitu [1], nocte improviso castra Q. Minucii proconsulis aggressi sunt. Minucius usque ad lucem intra vallum militem instructum tenuit; intentus, ne qua transcenderet hostis munimenta. Prima luce duabus simul portis eruptionem fecit. Nec primo impetu, quod speraverat, Ligures pulsi sunt: duas amplius horas dubium certamen sustinuere. Postremo, quum alia atque alia agmina erumperent, et integri fessis succederent ad pugnam, tandem Ligures, inter cætera etiam vigiliis confecti [2], terga dederunt. Cæsa supra quatuor millia hostium; ex Romanis sociisque minus trecenti perierunt. Duobus fere post mensibus P. Cornelius consul cum Boiorum exercitu signis collatis egregie pugnavit. Duodetriginta millia hostium cæsa, Antias Valerius scribit [3], capta tria millia et quadringentos, signa militaria centum viginti quatuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta qua-

— Ut *coronati supplicarent;* vide ad XXIII, 11, n. 7. — *Edidissent.* Male legitur *edixissent* in vett. edd. Recte observant Gron. et Drak. ad XXI, 62, n. 7, *edere* proprie de decemviris dici, qui ex libris Sibyll. *edunt*, h. e. monent et aperiunt, quid diis placeat. Ed.

Cap. XXXVIII. 1. *Lege sacrata coacto exercitu;* vide ad IV, 26, n. 2. — *Intentus; ne qua*, etc. Vossius edidit *intentum.* Melius legitur *intentus* cum cæteris edd. et MSS. Ed.

2. *Inter* (præter) *cætera etiam vigiliis c.;* ut XLII, 49, n. 5. — *Cæsa supra quatuor millia.* De variis numeris quos in eo capite Livius supputat, multum inter se MSS dissidere notat Drak. Ed.

3. *Duodetriginta millia hostium cæsa Antias Valerius* (vide ad III, 1, n. 1) *scribit..... in augendo* numero

draginta septem; ex victoribus mille quadringentos octoginta quatuor cecidisse. Ubi ut in numero scriptori parum fidei sit (quia in augendo eo non alius intemperantior est), magnam victoriam fuisse apparet, quod et castra capta sunt, et Boii post eam pugnam extemplo dediderunt sese, et quod supplicatio ejus victoriæ causa decreta ab senatu, victimæque majores cæsæ.

XXXIX. Per eosdem dies M. Fulvius[1] Nobilior ex ulteriore Hispania ovans Urbem est ingressus. Argenti transtulit duodecim millia pondo; bigati argenti centum triginta; auri centum viginti septem pondo. P. Cornelius consul primo, obsidibus a Boiorum gente acceptis, agri parte fere dimidia eos mulctavit; quo, si vellet, populus romanus colonias mittere posset. Inde, Romam, ut ad triumphum haud dubium, decedens, exercitum dimisit, et adesse Romæ ad diem triumphi jussit. Ipse, postero die, quam venit, senatu in ædem Bellonæ vocato[2], quum de rebus ab se gestis disseruisset, postulavit, ut sibi triumphanti liceret in Urbem invehi. P. Sempronius Blæsus tribunus plebis, *non negandum Scipioni, sed differendum honorem triumphi*, censebat. *Bella Ligurum Gallicis semper juncta fuisse: eas inter se gentes mutua ex propinquo*

non alius intemperantior est; sed vide ad cap. 40, n. 3. — *Ubi ut* (quamvis) *in numero scriptori parum fidei sit, magnam tamen victoriam fuisse apparet:* quod *tamen* adjicit MS Mog. Sed vide ad VII, 19, n. 3.

Cap. XXXIX. 1. *Per eosdem dies M. Fulvius... septem pondo;* vide ad cap. 21, n. 4.—Quamvis iisdem fere verbis repetat Livius quæ cap. 21 narraverat, non hanc culpam in librarios transferendam censet Doering., sed cum Crev. et multis aliis, scriptorem solum oblivionis accusandum. Conf. Periz. in Animadv. Hist. IV, pag. 173. Ed. — *Agri parte fere dimidia eos* Boios *mulctavit:* hæc est postrema apud Livium mentio Boiorum, ad Padum incolentium, qui deinde prorsus ex Italia pulsi ad Istrum fl. commigrarunt; vid. Strab. V, pag. 213.

2. *Senatu in ædem Bellonæ v.* etc. vide ad XXVI, 21, n. 1.

Digitized by Google

ferre auxilia. Si P. Scipio, devictis acie Boiis, aut ipse cum victore exercitu in agrum Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minucio misisset, qui jam tertium ibi annum dubio detineretur bello, debellari cum Liguribus potuisse. Nunc ad triumphum frequentandum deductos esse milites, qui egregiam navare operam reipublicæ potuissent: possent etiam, si senatus, quod festinatione triumphi prætermissum esset, id restituere differendo triumpho vellet. Juberent consulem cum legionibus redire in provinciam; dare operam, ut Ligures subigantur. Nisi illi cogantur in jus judiciumque populi romani[3], *ne Boios quidem quieturos: aut pacem, aut bellum utrobique habenda. Devictis Liguribus, paucos post menses proconsulem P. Cornelium multorum exemplo, qui in magistratu non triumphaverunt*[4], *triumphaturum esse.*

XL. Ad ea consul, *Neque se Ligures provinciam sortitum esse*, ait, *neque cum Liguribus bellum gessisse, neque triumphum de iis postulare. Q. Minucium confidere brevi, subactis iis, meritum triumphum postulaturum atque impetraturum esse. Se de Gallis Boiis postulare triumphum, quos acie vicerit, castris exsuerit; quorum gentem biduo post pugnam totam acceperit in deditionem*[1]*; a quibus obsides abduxerit, pacis futuræ pignus. Verum enimvero illud multo majus esse, quod tantum numerum Gallorum occiderit in*

3. *Cogantur in jus judiciumque p. r.* MSS et vett. edd. non *ditionemque.* Conf. XXXIX, 34; XLI, 22, et ad XXXV, 16, n. 4.

4. *Multorum exemplo, qui in magistratu non triumphaverunt;* vid. III, 2, n. 1; XXVI, 21, n. 1; XXVIII, 38, n. 4. — Obliquæ orationi magis convenire *triumphaverint* arbitrantur Crever. et Doer. Dukerus vero supra ad III, 2, n. 3, observat sæpe apud scriptores veteres, in indirecta oratione, poni indicativum pro conjunctivo. Ed.

Cap. XL. 1. *Acceperit in deditionem. In ditionem*, h. e. potestatem, conj. Gron. vide supra ad lib. VIII, cap. 20, n. 7.

5.

Digitized by Google

acie, quod cum tot millibus[2] *certæ Boiorum nemo ante se imperator pugnaverit: plus partem dimidiam ex quinquaginta millibus hominum cæsam*[3], *multa millia capta: senes puerosque Boiis superesse. Itaque id quemquam mirari posse, cur victor exercitus, quum hostem in provincia neminem reliquisset, Romam venerit ad celebrandum consulis triumphum? Quorum militum si et in alia provincia opera uti senatus velit, utro tandem modo promptiores ad aliud periculum novumque laborem ituros credat, si persoluta iis sine detrectatione prioris periculi laborisque*[4] *merces sit, an si spem pro re ferentes dimittant, jam semel in prima spe deceptos? Nam, quod ad se attineat, sibi gloriæ in omnem vitam illo die satis quæsitum*[5] *esse, quo se virum optimum judicatum ad accipiendam*

2. *Quod cum tot mill.*; MS Buslid. *qui cum millibus*; unde Ruhen. et Gron. conj. *quot cum millibus*, prob. Crev. Ibi legitur in Lov. 3, et *quod cum millibus* in Lov. 1. Indicat ita Cornelius, tot se Gallos prælio interfecisse, quot cum Gallis, certe Gallis Boiis, nemo ante pugnarat; Drak.

3. *Plus* quam *partem dimidiam ex L millibus hominum cæsam*; vide ad IV, 52, n. 6. *Plus parte dimidia cæsum* malebat Gron. Sed vel sic præstiterit *plus partem dimidiam cæsum*, quod loquendi genus ipse Gronov. ad XXXI, 34, not. 7, ex h. l. illustrat; Drak. Gravius est, quod Duker. notavit: « Si verum est, consulem ipsum in senatu hunc numerum cæsorum hostium retulisse, non video, quomodo Livio, cap. 38, suspecta esse potuerit fides Valerii Antiatis, qui *XXVIII millia Boiorum* cecidisse scripserat. Sin autem ipse, quo justiorem causam triumphi petendi videretur habuisse Scipio, hoc de suo ei largitus est, ut sæpe historici in orationibus, quas aliis tribuunt, multa exaggerant, Valerius Antias non videtur eo nomine notandus fuisse ». — *Utro tandem modo promptiores ..... ituros credat.* Ultima vox Crev. supervacanea videtur, et ab illis addita qui aliquo velut fulcro hoc putarent membrum egere, dum non egeat magis, quam hoc paulo superius: *id quemquam mirari posse?* verum nullis libris hæc confirmatur conjectura. Ed.

4. *Sine detrectatione prioris periculi laborisque*, ut XXXVIII, 49, *detrectare vires*, deterere, imminuere, proprie de iis aliquid detrahere: unde forsan leg. *detractatio* et *detractare*. Confer tamen ad librum III, cap. 60, n. 5.

5. *Sibi gloriæ... illo die satis quæsitum esse* (vide ad II, 43, n. 7), *quo se virum optimum... senatus*; vide ad XXIX, 14.

Digitized by Google

Matrem Idæam misisset senatus. Hoc titulo, etsi nec consulatus nec triumphus adjicitur[6], *satis honestam honoratamque P. Scipionis Nasicæ imaginem fore.* Universus senatus non ipse modo ad decernendum triumphum consensit, sed etiam tribunum plebis auctoritate sua compulit ad remittendam intercessionem. P. Cornelius consul triumphavit de Boiis. In eo triumpho gallicis carpentis arma signaque et spolia omnis generis transvexit[7], et vasa ænea gallica; et cum captivis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit. Aureos torques transtulit mille quadringentos septuaginta unum: ad hoc auri pondo ducenta quadraginta septem, argenti infecti factique in gallicis vasis, non infabre suo more factis, duo millia trecenta quadraginta pondo, bigatorum nummorum ducenta triginta quatuor. Militibus, qui currum sequuti sunt, centenos vicenos quinos asses[8] divisit; duplex centurioni, triplex equiti. Postero die, concione advocata, de rebus ab se gestis, et de injuria tribuni bello alieno

6. *Hoc titulo, etsi nec consulatus nec triumphus adjicitur* (forte *adjiciatur*, vel ex plerisque edd. *addatur*), *satis honestam honoratamque* (ut III, 58, et *honore honestatos* apud Sall. Cat. 35, ubi vid. intpp. vel *et honestus et honoratus* apud Cic. Brut. 81), *Scipionis imaginem fore*, statuam, titulo in basi ornatam. *Oneratamque* MS Voss. *ornatamque* cod. Gaertn. non improb. Gron.

7. *Spolia omnis generis transvexit... traduxit.., transtulit*: forte duo verba sunt glossatoris. — *Auri pondo ducenta quadraginta septem.* Legit Crev. *auri pondo ducenta quadraginta quinque*, quæ marcis nostratibus 382 cum unciis sex et semuncia æstimat. — *Argenti... duo millia trecenta quadraginta pondo*, ex ejusdem supputationibus, marcas nostrates 3,656, cum unciis 2. Ed.

8. *Bigatorum nummorum ducenta triginta quatuor..... centenos vicenos quinos asses.* Primo loco edidit Crevers *bigatorum..... triginta tria*, quæ subaudita voce *millia*, æquiparat denariis 233,000, marcis argenti 3,640, cum unciis 5; secundo, *trecenos vicenos quinos asses*, quos ait repræsentari denariis paulo plus 20, semunciis argenti nostratibus paulo plus 5. Ed. — *Centenos vicenos quinos asses* recepi ex omnibus MSS (præter Mogunt. in quo corrupte legitur *militibus divisit, qui currum sequuti sunt, viginti quinque asses divisit*) et edd. ante Froben. a. 1535, quæ prima *trecenos*

Digitized by Google

se illigantis[9], ut suæ victoriæ fructu se defraudaret, quum disseruisset, milites exauctoratos dimisit.

XLI. Dum hæc in Italia geruntur, Antiochus Ephesi securus admodum de bello romano erat, tanquam non transituris in Asiam Romanis. Quam securitatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut assentando faciebat. Hannibal unus, cujus eo tempore vel maxima[1] apud regem auctoritas erat, *magis mirari se*, aiebat, *quod non jam in Asia essent Romani, quam venturos dubitare. Propius esse, in Asiam ex Græcia, quam ex Italia in Græciam trajicere; et multo majorem causam Antiochum, quam Ætolos, esse. Neque enim mari minus*[2], *quam terra, pollere romana arma. Jam pridem classem circa Maleam esse. Audire sese, nuper novas naves novumque imperatorem rei gerendæ causa ex Italia venisse. Itaque desineret Antiochus pacem sibi ipse spe vana facere. In Asia et de ipsa Asia brevi terra marique dimicandum ei cum Romanis esse; et aut imperium adimendum orbem terrarum affectantibus, aut ipsi regnum amittendum.* Unus vera et providere, et fideliter præ-

v. q. a. substituit. Nostram lectionem tum auctoritate librorum firmari, tum eo quod vel sic Scipio Nasica inter milites diviserit dimidium ferme ejus, quod Quintius et Scipio Asiaticus post ditissimam victoriam et ex tanto majore præda divisisse dicuntur XXXIV, 52, et XXXVII, 59, jam monuit Drakenb. a quo veriora non restituta esse miror.

9. *Tribuni bello alieno se illigantis*, postulantis, ut in aliena, Q. Minucii, provincia cum Liguribus bellum gerat; vid. cap. 40. — *Exauctoratos*; vide ad VIII, 34, n. 8.

Cap. XLI. 1. *Val maxima*, ut II, 50. Duo MSS et ed. Camp. *ut m.* al. — *Propius esse in Asiam... trajicere.* Quum ex Italia in Græciam brevior sit trajectus, quam ex Græcia in Asiam, Doujatius et post hunc Crev., ac recentissimus nostras Livii interpres V. cl. *Noel*, τὸ *propius* explicant, facilius, promptius; sed recte observat Doer. difficile vocem *propius* ita explicari posse. Mavult in τῷ *propius* aliam quamdam vocem latere, quæ conjuncta cum *esse* significet fere « utilius et magis e re Romanorum esse ». Ed.

2. *Neque enim mari minus*, etc. Imme *etiam* pro *enim*; nam tres dein-

Digitized by Google

dicere visus. Itaque ipse rex navibus, quæ paratæ instructæque erant, Chersonesum petit [3], ut ea loca, si forte terra venirent Romani, præsidiis firmaret. Cæteram classem Polyxenidam parare et deducere jussit; speculatorias naves ad omnia exploranda [4] circa insulas dimisit.

XLII. C. Livius præfectus romanæ classis, cum quinquaginta navibus tectis [1] profectus ab Roma Neapolim, quo ab sociis ejus oræ convenire jusserat apertas naves, quæ ex fœdere debebantur, Siciliam inde petit; fretoque Messanam prætervectus, quum sex punicas naves ad auxilium missas accepisset, ab Rheginis Locrisque et ejusdem juris sociis debitas exegisset naves, lustrata classe ad Lacinium, altum petit. Corcyram, quam primam Græciæ civitatium adiit, quum venisset, percunctatus de statu belli (necdum enim omnia in Græcia perpacata erant), et ubi classis romana esset, postquam audivit, circa Thermopylarum saltum in statione consulem ac regem esse, classem Piræei stare, maturandum ratus omnium rerum causa, pergit protenus navigare Peloponnesum. Samen Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse, protenus depopulatus [2], Maleam petit, et, prospera

ceps ponit Hannibal rationes, cur miretur magis, Romanos nondum in Asia esse, quam venturos dubitet: prima est ob exiguum trajectum; secunda ob causam; tertia, quæ in his verbis est, ob potentiam navalem: quare τὸ *enim* primæ potius rationi apponendum erat, non huic tertiæ; Jac. Gron. — Pro *enim* malit Doeringius *denique*. Ed.

3. *Chersonesum petit*, etc. cf. Appian. Syr. 21. — *Classem parare et deducere;* vide ad VIII, 26, n. 1.

4. *Speculatorias naves ad omnia expl.;* vide supra ad XXII, 19, n. 4.

Cap. XLII. 1. *Navibus tectis* et... *apertis;* vide ad XXII, 19, n. 4. Mox post *missas accepisset* (audisset) excidit forte *et*. — *Navigare Peloponnesum*, pro *in* vel *versus* Peloponnesum; optimi quique scriptores plerumque præpositiones in nominibus regionum omittunt. Sic Noster supra XXXIII, 41, *Cyprum nihilominus tendens;* et infra XXXVII, 31, *Chium navigat*. Conf. Drakenb. ad XXXIII, 41, n. 6. Ed.

2. *Samen* (vid. ad XXXII, 16, n. 2)

Digitized by Google

navigatione usus, paucis diebus Piræeum ad veterem classem pervenit. Ad Scyllæum Eumenes rex cum tribus navibus occurrit; quum Æginæ diu incertus consilii fuisset, utrum ad tuendum rediret regnum (audiebat enim Antiochum Ephesi navales terrestresque parare copias), an nusquam abscederet ab Romanis, ex quorum fortuna sua penderet. A Piræeo A. Atilius, traditis successori quinque et viginti navibus tectis, Romam est profectus. Livius una et octoginta rostratis navibus[3], multis præterea minoribus, quæ aut apertæ rostratæ, aut sine rostris speculatoriæ erant, Delum trajecit.

XLIII. Eo fere tempore consul Acilius Naupactum oppugnabat. Livium Deli per aliquot dies (et est ven-

Zacynthumque, quia partis Ætolorum maluerant esse (vide ad III, 36, n. 4, et III, 62, n. 5), *protenus depopulatus* Livius, ignarus forte, Zacynthum ab Achæis populo romano concessam esse; Glar. et Sigon. coll. cap. 31, 32. « Sed quo tempore id factum est? non modo nondum tradita erat Romanis, verum ne parebat quidem Achæis, sed erat adhuc in potestate Amynandri regis Athamanum, cujus nomine ei præerat Hierocles Agrigentinus, qui *post fugam* demum *ab Thermopylis Antiochi* insulam Achæis tradidit; cap. 32. Livius omnia ordine, sed per partes, narrat, primo res ab Acilio cos., nunc res a C. Livio præfecto classis gestas. Cæterum *partis Ætolorum* dicitur, quia ipse Amynander Ætolis adhærebat, qui concitores hujus belli erant et in eo præcipuas partes obtinuerunt: unde et bellum hoc *magis Ætolicum quam regium* fuisse dicit Livius, XXXVII, 58, et de Ætolis triumphatum esse XXXVII, 46. » Drak. — *Ad Scyllæum*, quod naviganti a Malea Piræeum in medio est; Glar. Vide ad XXXI, 44, n. 1.

3. *Livius LXXXI rostratis navibus*, etc. « atqui præter has etiam aliæ rostratæ in classe Livii fuerunt. Apertum est, LXXXI has naves opponi minoribus tamquam majores, verum discrimen inter illas non in eo poni, quod majores rostratæ, minores sine rostris, sed quod hæ *apertæ*, illæ non apertæ, i. e. tectæ, essent. Et hoc verum est. Nam Livius cum *L* tectis navibus ab Italia profectus fuerat, eique Atilius *XXV* tectas tradiderat. His si *VI* punicas auxiliares addas, quas itidem tectas fuisse probabile est, sunt *LXXXI* naves tectæ. Hinc leg. *constratis navibus*: quod et confirmat Appian. Syr. 22. *Tectæ* naves et *constratæ* eædem sunt; iisque, quod majores erant, recte opponuntur *apertæ* et *speculatoriæ*, utpote minores. » Duker. De his navium generibus, vide ad XXII, 19, n. 4. Cæterum illis *LXXXI* navibus Livii Eumenes, cap. 43, *XXIV*

Digitized by Google

tosissima regio inter Cycladas[1], fretis alias majoribus, alias minoribus divisas) adversi venti tenuerunt. Polyxenidas, certior per dispositas speculatorias naves factus, Deli stare romanam classem, nuntios ad regem misit; qui, omissis, quæ in Hellesponto agebat, cum rostratis navibus, quantum accelerare potuit, Ephesum rediit, et consilium extemplò habuit, faciendumne periculum navalis certaminis foret. Polyxenidas negabat cessandum[2], *et utique prius confligendum, quam classis Eumenis et rhodiæ naves conjungerentur Romanis. Ita numero non ferme impares futuros se, cæteris omnibus superiores, et celeritate navium, et varietate auxiliorum. Nam romanas naves quum ipsas inscite factas immobiles esse, tum etiam, ut quæ in terram hostium veniant, oneratas commeatu venire; suas autem, ut pacata omnia circa se relinquentes, nihil præter militem atque arma habituras. Multum etiam adjuturam notitiam maris terrarumque et ventorum; quæ omnia ignaros turbatura hostes essent.* Movit omnes auctor consilii, qui et re consilium exsequuturus erat. Biduum in apparatu morati: tertio die centum navibus[3], quarum septuaginta tectæ, cæteræ apertæ, minoris omnes formæ, erant, profecti

adjecisse dicitur: unde in fine ejusdem cap. pro *CL tectis navibus* Jac. Gron. et Jac. Periz. jam recte emendaverunt *CV tectis navibus.*

Cap. XLII. 1. *Est ventosissima regio inter Cycladas*, etc. quas ambit mare Ægæum, quod et procellosissimum est ob aquilones sæviores, in eo flantes, et ob vada, scopulos ac promontoria periculosissimum. Conf. ad Sil. I, 468 seq. IV, 244 seq. Heyn. ad Virgil. Æn. XII, 366, et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 1, vs. 15, et I, 14, vs. 19 et 20.

2. *Polyxenidas negabat*, dicebat non *cessandum*, *et*, etc. Ad hoc et seqq. capp. conf. Appian. Syr. 22.

3. *Tertio die centum navibus*, Sigon. conj. *ducentis* ex Appiano. Sed hic potius vel alios sequutus est auctores, vel ex Livio emendandus est, quia Polyxenidas supra dixit, classem suam navium *numero non ferme imparem* esse romanæ, de qua vid. not. 3 Sigon. Nisi hic ex Livio emendandus. — *Quarum LXX tectæ, c. apertæ;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Minoris omnes formæ*, ut *majoris formæ na-*

Digitized by Google

Phocæam petierunt. Inde, quum audisset, appropinquare jam romanam classem, rex, quia non interfuturus navali certamini erat, Magnesiam, quæ ad Sipylum est[4], concessit, ad terrestres copias comparandas. Classis ad Cyssuntem portum Erythræorum[5], tanquam ibi aptius exspectatura hostem, contendit. Romani, ubi primum aquilones (ii namque per aliquot dies tenuerant[6]) cecidere, ab Delo Phanas, portum Chiorum in Ægæum mare versum, petunt: inde ad urbem circumegere naves, commeatuque sumpto, Phocæam trajiciunt. Eumenes, Elæam ad suam classem profectus, paucis post inde diebus, cum quatuor et viginti navibus tectis, apertis pluribus, paulo a Phocæa ad Romanos, parantes instruentesque se ad navale certamen, rediit[7]. Inde centum quinquaginta tectis na-

ves XXXVII, 23 et 30. Edd. antt. *minores o. ferme;* unde Gron. conj. *moneres o. ferme.* Conf. ad XXXVIII, 38, n. 4. — *Varietate auxiliorum; auxilia* non de copiis auxiliaribus explicat Doering. sed, et merito, de iis quæ futura essent in pugna navali commodo et auxilio: sequentia verba *multum adjuturam notitiam maris*, etc. hunc sensum tuentur. Ed.—*Phocæam*, Φώκαιαν, non Φωκίδα, quod vulgo apud Appian. legitur; vide ad V, 34, n. 7.

4. *Magnesiam, quæ ad Sipylum est,* montem Lydiæ: alia fuit super seu ad Mæandrum, Ioniæ fl. (vid. XXXVII, 45. Μαγνησία ἡ πρὸς Μαιανδρῷ, Μαγνήτων ἀποικία τῆς ἐν Θετταλίᾳ καὶ Κρητῶν, Strab. XIV, pag. 636; Plin. V, 29 seu 31), et tertia in Magnesia, parte Thessaliæ (XLII, 54; XLIV, 11), sub Pelio monte. Nostra Magnesia dicitur M. ἀπὸ Σιπύλου, et πρὸς Σιπύλῳ et ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ut forte *Magnesia sub Sipylo* XXXVII, 44, n. 2, leg. cum Gron. quia ibi in MS Voss. est *ab Sipylo*, in edd. antt. *et ab Sip.* vid. ad Tacit. Ann. II, 47, n. 5.

5. *Ad Cyssuntem portum Erythræorum* in Ionia, cujus urbs maritima, Erythræ, Sibyllæ patria fuisse dicitur. Portus forte idem quoque nomen, quod urbs, habuit; vid. Strab. XIV, pag. 644.

6. *Aquilones per aliquot dies tenuerant;* vide ad II, 3, n. 6. — *Ab Delo Phanas, portum* et promont. *Chiorum*, in quo templum fuit Apollinis Phanæi; confer. XLIV, 28, et Strab. XIV, 645. *Chius* insula maris Icarii (hod. *Chio* seu *Scio*), inter Samum Lesbumque, ex adverso Erythrææ, nobilitata marmore vinoque Chio et Ariusio. — *Inde ad urbem circumegere naves*, nempe ad Chium, urbem insulæ cognominem. Ed.

7. *Cum XXIV navibus tectis, apertis* (vide ad XXII, 19, n. 4) *pluribus paulo, a Phocæa ad Romanos... rediit:* ita vulgo legitur interpungitur-

Digitized by Google

vibus, apertis ferme quinquaginta, profecti, primo, aquilonibus transversis quum urgerentur in terram, cogebantur tenui agmine prope in ordinem singulæ naves ire; deinde, ut lenita paulum vis venti est, ad Corycum portum, qui super Cyssuntem est, conati sunt trajicere.

XLIV. Polyxenidas, ut appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit, dextrum cornu præfectos navium ad terram explicare jubet, et æqua fronte ad pugnam procedebat. Quod ubi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, et, simul armamenta componens[1], opperitur insequentes naves. Jam ferme

que. Verum recte Dukerus hæc adnotavit: « Paucis ante verbis, Eumenem Elæam ad suam classem profectum fuisse, hic eum a Phocæa ad Romanos, qui eo e Chiorum portu trajecerant, rediisse scribit. Si a Phocæa ad Romanos rediit, relinquitur intelligendum, eum primum ab Elæa Phocæam trajecisse, et, quum ibi classem romanam non invenisset, eum cum suis navibus a Phocæa sequutum esse. Sed mihi sermo, in quo hæc omnia supplenda sunt, nimis quam obscurus et perplexus esse videtur, et leg. *Phocæam ad Romanos rediit*, i. e. venit». Difficultatem distinctione, non post *paulo*, sed post *pluribus* posita tollere conati sunt Ascens. et Drak. Huic tamen emendatio illa verisimillima videbatur. *Ad Phocæam* conj. Crever. et Jac. Periz. Sed ita præpos. *ad* quater h. l. posita est. — Doering. ante *paulo* nomen loci... *paulo a Phocæa* distantis, quo Livius Eumenem ad Romanos rediisse designaverat, excidisse existimat. Omnia in hoc loco sic expedita censet. Judicent periti. Ed.—*Inde CL tectis navibus;* vide ad c. 42, n. 3. — *Ad Corycum* promont. Tejorum et *portum*, qui etiam Casyste dictus est. Conf. XXXVII, 12, et Strab. XIV, 644.

Cap. XLIV. 1. *Vela contrahit, malos inclinat et armamenta componit*, ut mox *demere;* quod faciunt, qui ad pugnam navalem se expediunt. Conf. ad XXI, 49, n. 7. Quum itaque majora vela essent contracta, malique inclinati non tam facile erigi et vela illa in his expandi possent, magna autem opus esset celeritate, mox Romani *dolonibus erectis altum petere intendunt* (conf. ad IV, 19, n. 1). Hinc et Polyxenidas c. 45 pr. et infra ad XXXVII, 30, *sublatis dolonibus effuse fugere intendit*, ut apud Diodor. XX, 61, ἡ γὰρ ναῦς, φοροῦ πνεύματος ἐπιλαβομένη, τοῦ δόλωνος ἀρθέντος, ἐξέφυγε τὸν κίνδυνον, et μιᾶς νηὸς ἐπαραμένης τὸν δόλωνα (sc. quo celerius profugere posset), apud Polyb. XVI, 15, § 2 ubi Schweigh. jam monuit, *dolonem*, δόλωνα, esse anterius, in prora, velum minimum-

Digitized by Google

triginta in fronte erant, quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum petere intendit; jussis, qui sequebantur, adversus dextrum cornu prope terram proras dirigere. Eumenes agmen cogebat[2]. Cæterum, ut demendis armamentis tumultuari primum cœptum est, et ipse, quanta maxima celeritate potest, concitat naves. Jam omnibus in conspectu erant[3]: duæ punicæ naves antecedebant romanam classem, quibus obviæ tres fuerunt regiæ naves: et, ut in numero impari, duæ regiæ unam circumsistunt; et primum ab utroque latere remos detergunt[4]; deinde transcendunt armati, et, dejectis cæsisque propugnatoribus, navem capiunt. Una, quæ compari marte concurrerat[5], postquam captam alteram navem vidit, prius quam a tribus simul circumveniretur, retro ad classem refugit. Livius, indignatione accensus, prætoria nave in hostes tendit. Adversus quam eadem spe duæ, quæ punicam unam navem circumvenerant, quum inferrentur, demittere in aquam remos ab utroque latere remiges stabiliendæ navis causa jussit, et

que ex tribus, quibus vulgo Veteres, Græci certe, usi sint (vid. Pollux. I, 91; Hesych. et Suid.), et, ex navali pugna si fuga proripere se navis velit, dolonem erigi, quum quod id citius fieri possit, tum ne, majori velo expanso, nimis et conspicua sit hostibus omnibus fuga, et turpior simul videatur. Tria Græcorum vela erant, δόλων, minimum in prora, ἐπίδρομος majus in puppi, et ἀκάτιον maximum in media nave. — Conf. Scheffer de Milit. nav. II, 5, 140. Ed. — *Jussis, qui sequebantur*, h. e. præfectis navium, qui nondum accesserant. Ed.

2. *Eumenes agmen cogebat;* vide ad XXXII, 2, n. 4.

3. *Jam omnibus in conspectu erant* MS Lov. 5, et edd. ante Ald. *omnes*, quod multo melius: nam noluit Romanorum imperator prælium committere ante quam omnes, etiam ultimæ naves, in conspectu essent; Jac. Periz. — *Duæ punicæ naves*, etc. conf. Appian. Syr. 22, qui utramque captam tradit.

4. *Ab utroque latere remos detergunt;* vide ad XXVIII, 30, n. 7.

5. *Una, quæ compari marte concurrerat*, h. e. cum una nave hostili. *Una cum pari* multi MSS; *una compari* Lov. 2; *una quæ pari* Lov. 5, et primæ edd. *una, quum pari*, — Sed *marte concurreret* conj. Drak. Possis et *una compari marte concurrerat, et, postquam*, etc.

Digitized by Google

in advenientes hostium naves ferreas manus[6] injicere, et, ubi pugnam pedestri similem fecisset, meminisse romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia. Haud paulo facilius, quam ante duæ unam, tunc una duas naves expugnavit cepitque. Et jam classes quoque undique concurrerant, et passim permixtis navibus pugnabatur. Eumenes, qui extremus commisso certamine advenerat, ut animadvertit lævum cornu hostium ab Livio turbatum, dextrum ipse, ubi æqua pugna erat, invadit.

XLV. Nec ita multo post primum ab lævo cornu fuga cœpit. Polyxenidas enim, ut virtute militum haud dubie superari se vidit, sublatis dolonibus effuse fugere intendit[1]: mox idem et, qui prope terram cum Eumene contraxerant certamen, fecerunt. Romani et Eumenes, quoad sufficere remiges potuerunt[2], et in spe erant extremi agminis vexandi, satis pertinaciter sequuti sunt. Postquam celeritate navium, utpote levium, suas commeatu onustas eludi frustra tendentes viderunt, tandem abstiterunt; tredecim captis navibus cum milite ac remige, decem demersis. Romanæ classis una punica navis, in primo certamine ab duabus circumventa, periit. Polyxenidas non prius, quam in portu Ephesi, fugæ finem fecit. Romani eo die, unde egressa regia classis erat, manserunt: postero

6. *In naves ferreas manus injicere;* vide ad XXIV, 34, n. 6. — *Similem fecisset* Livius; nisi cum Gronov. leg. *fecissent;* sc. remiges. — Hæc ultima lectio quam probat Creverius, dura admodum Doering. videtur. Nobis alterutrum pariter placeret, nisi in codd. fere omnibus, teste Drak. τὸ *fecisse* compareret. Ed.

Cap. XLV. 1. *Sublatis dol. e. f. i.;* vide ad cap. 44, n. 1. — *Mox idem et, qui.* Τὸ *et,* jam in voce *idem* inclusum, Doering. delendum videtur, nec immerito. Ed.

2. *Quoad sufficere remiges potuerunt,* satis virium habuere ad celeriter remigandum hostemque consequendum; vid. ad X, 18, n. 9. Conf. Appian. Syr. 22. — *Romani eo die, unde egressa regia classis erat, manserunt;* videtur Crever. hic excidisse nomen loci, in quo Romani manse-

Digitized by Google

die hostem persequi intenderunt[3]. Medio fere in cursu obviæ fuere iis quinque et viginti tectæ rhodiæ naves, cum Pausistrato præfecto classis. Iis adjunctis, Ephesum hostem persequuti, ante ostium portus acie instructa steterunt. Postquam confessionem victis satis expresserunt, Rhodii et Eumenes domos dimissi: Romani, Chium petentes, Phœnicuntem primum portum Erythrææ terræ[4] prætervecti, nocte ancoris jactis, postero die in insulam ad ipsam urbem trajecerunt. Ubi paucos dies remige maxime reficiendo morati, Phocæam transmittunt. Ibi relictis ad præsidium urbis quatuor quinqueremibus, ad Canas[5] classis venit; et, quum jam hiems appeteret, fossa valloque circumdatis naves subductæ. Exitu anni comitia Romæ habita, quibus creati sunt consules L. Cornelius Scipio et C. Lælius, intuentibus cunctis ad finiendum cum Antiocho bellum[6]. Postero die prætores creati, M. Tuccius, L. Aurunculeius, Cn. Fulvius, L. Æmilius, P. Junius, C. Atinius Labeo.

runt, et legendum forsan *Cyssunte, unde egressa*, etc. sed τὸ *unde* ad omissum *ibi* facile referri potest. Ed.

3. *Hostem persequi intenderunt;* vid. IV, 19, n. 1.—*XXV tectæ* (vide ad XXII, 19, n. 4) *rhodiæ naves: XXVII* apud Appian. ut supra. — *Cum Pausistrato;* vide ad XXXIII, 18, n. 1.

4. *Phœnicuntem portum Erythrææ terræ* in Ionia, ὑπὸ τῷ Μίναντι, Thucyd. VIII, 34. Conferatur ad cap. 43, not. 5, et ad librum XXXVII, cap. 16, n. 3.

5. *Ad Canas* seu Canam, promont. et opp. Æolidis; vid. Steph. et Strab. XIII, 615; Plin. V, 30 seu 35; Mel. I, 18. — *Hiems appeteret;* vide ad V, 19, n. 2. — *Naves subductæ;* vide ad VIII, 26, n. 1.

6. *Creati sunt consules L. Corn. Scipio et C. Lælius, intuentibus cunctis ad finiendum cum A. bellum;* vide ad I, 9, n. 3. *Intentis* conj. Gron. *C. Lælius Africanus* vel *C. Lælius. Africanum intuentibus*, vel *Africanus legitur annuentibus* vel *imminentibus cunctis* MSS et edd. ante Mog. Sed vocem *Africanus* a glossatore vel ex XXXVII, 1, et ex eo quod postea demum factum est, vel ex permutatione hujus Scipionis cum Africano, vel denique ex Cassiod. et Mariano Scoto, qui non modo Scipioni, sed etiam Lælio, individuo ejus comiti, cognomen *Africani* tribuunt, insertam suspicatur Drak.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXVII.

BREVIARIUM.

Cap. I; A senatu rom. infecta pace dimittuntur legati Ætolorum, et L. Scipioni cos. provincia Græcia datur, quia P. Scipio Africanus frater dixerat, se legatum cum eo iturum. — II; Cæteris magistratibus decernuntur legiones et provinciæ. — III; Prodigia procurantur, et P. Scipio fornicem ponit in Capitolio. Ætolorum XLIII principes in Lautumias conjiciuntur, et munera dantur legatis Ptolemæi et Cleopatræ. — IV; L. Scipio et L. Æmilius Regillus, classi præfectus, ab Urbe proficiscuntur, et L. Aurunculeius novas parare naves jubetur. Ætoli occupant Coracem montem, et M'. Acilius præter eorum opinionem Lamiam corona aggreditur. — V; Qua urbe intra paucas horas capta, Amphissam operibus oppugnat. — VI; Eodem mox L. Scipio consul ducit exercitum; in cujus castra legati Ætolorum Atheniensiumque, pro his deprecantium, veniunt, qui durius ab eo responsum ferunt, clementius ab Africano. — VII; Per hunc tamen redeuntes inducias impetrant; et consul, soluta obsidione Amphissæ, per Macedoniam Thraciamque, prosequente et præparante omnia Philippo, ad Hellespontum pervenit. — VIII; Antiochus per hiemem terrestres maritimasque reparat vires. Classis rom. ad Canas hibernat; et Eumenes magnam ex agris circa Thyatira prædam agit. — IX; Phocææ seditio oritur, quibusdam ad Antiochum plebis animos avocantibus. Vere autem ineunte et rhodia et romana classis vela dat in altum. Illi præest Pausistratus, huic C. Livius; qui profectus

Digitized by Google

Hellespontum, ut transitum exercitus consularis præpararet, ante omnia fauces ejus et castella, Sestum Abydumque, occupat. — X, XI; At Polyxenidas, regius præfectus, ad Panormum Samiæ terræ, totam pæne Rhodiorum classem fraude capit, et Pausistratus impigre pugnans interficitur. Phocæa quoque, Cyme aliæque ejusdem oræ urbes ad Seleucum, Antiochi filium, deficiunt. — XII; Hinc Livius Canas, ubi quasdam reliquerat naves, et inde Samum petit, quo etiam Eumenes et nova classis Rhodiorum, Eudamo tradita, tendunt cursum. — XIII; Polyxenidas Æthaliam insulam trajicit, ut naves hostium tempestate sparsas aggrediatur; sed infecta re Ephesum redit. Eodem mox proficiscuntur romana rhodiaque classes: regiis autem certamen fugientibus, Samum repetunt. — XIV; Ibi L. Æmilius Regillus classem accipit a C. Livio; qui in consilio a successore advocato suadet, ut onerariæ naves, multa saburra gravatæ, in faucibus Ephesii portus supprimantur. — XV; Nulli ea placet sententia. — XVI; Livius cum aliquot navibus in Lyciam mittitur, et Pataris, capite gentis, frustra tentatis, in Græciam et inde in Italiam trajicit. — XVII; Æmilius ab Epheso repellitur tempestate, consilioque Patara proficiscendi capto, exscensionem facit ad Jassum; cujus urbis oppugnatione absistit, motus Rhodiorum Eumenisque precibus, et, ne ab tergo relictus hostis in sociorum grassetur urbes, Samum reducit naves. — XVIII; Interea Seleucus in fines regni Attali, et, omissa oppugnatione Elææ, Pergamum proficiscitur; quo et mox venit Antiochus pater. Hinc propere Eumenes et paulo post romana rhodiaque classis Elæam contendunt. Quos ubi exposuisse copias audit Antiochus, et consulem cum exercitu jam in Macedonia esse, de pace agit cum Æmilio. — XIX; Is vero quum Eumene auctore respondisset, adventum consulis exspectandum esse; rex, filio relicto, castra movet, et opulentum Thebes campum depopulatur, subsequentibus Æmilio et Eumene. — XX; Per eosdem dies Diophanes, Philopœmenis discipulus, parvam Achæorum manum deducit Pergamum, et negligentes inordinatasque hostium stationes improviso adortus cædem passim fugamque per campos facit. — XXI; Seleucus iterum fusus ex agro Pergameno movet castra, et Antiochus Sardes redit: classis autem romana cum sociis frustra oppugnat Phocæam. — XXII; Inde Eumenes Elæam, ut adjuvet consulem ad trajiciendas in Asiam legiones, Romani Samum redeunt cum Rhodiis; qui paulo post adversus

Digitized by Google

classem regiam, ex Syria venientem, Rhodum, et hinc juncti aliis navibus, a Rhodo cum Pamphilida præfecto missis, Phaselidem proficiscuntur. — XXIII; Hanc urbem, in confinio Lyciæ et Pamphyliæ sitam, mox pestilentiæ metu relinquunt, et ad Sidam conspiciunt regiam classem, cui Hannibal et Apollonius præsunt. — XXIV; Rhodii eam vertunt in fugam, et Chariclitum cum xx navibus ad Megisten portum et Patara mittunt, qui prohibeat, quo minus Hannibal conjungatur veteri regiæ classi. — XXV; Ad Prusiam, Bithyniæ regem, legati veniunt et Antiochi, et Scipionum senatusque romani. — XXVI; Antiochus Ephesum ad classem revertit, Notiumque, oppidum propinquum, oppugnare aggreditur, non dubitans, Romanos ad opem ferendam sociæ urbi classem a Samo moturos, eamque occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. — XXVII; L. Æmilius Regillus ab Samo profectus Chiorum Teiorumque maritimam depopulatur oram, et ad Myonnesum promont. piratas persequitur. — XXVIII; Ibi Polyxenidas nocte occupare fauces et terrà marique simul hostes, ut antea Pausistratum Rhodium ad Panormum, opprimere conatur. — XXIX; Sed Æmilius, ab agresti quodam certior de eo consilio factus, e portu in altum evehitur; et classes utrimque aciem explicant. — XXX; Polyxenidas vincitur et Ephesum refugit, XLII navibus in ea pugna amissis. — XXXI; Antiochus, jam diffidens longinqua tueri se posse, ab Lysimachia, urbe munitissima refertaque omnium rerum commeatibus, deducit præsidium, et Sardes se recipit. Rhodii domum dimittuntur, et Æmilius Chium indeque Phocæam trajicit. — XXXII; Quam urbem ubi cepit diripuitque, portus ejus ad hibernandum classi deligit. — XXXIII; L. Cornelius Scipio consul, Lysimachiæ paucos dies moratus, pervenit Hellespontum, ibique omnibus cura Eumenis, Æmilii et Rhodiorum ad transitum præparatis, velut in pacata litora, nullo prohibente, sine tumultu trajicit. — XXXIV; Per eos forte dies, legatus ab Antiocho in castra rom. venit Byzantius Heraclides, de pace afferens mandata, et jussus primum adire P. Scipionem, cujus indoles et animi magnitudo omnibus nota, filiusque captus in potestate regis erat. — XXXV; Advocato frequenti consilio legatus verba facit. — XXXVI; Idem privatim P. Scipioni ingens auri pondus societatemque regni pollicetur, et filium ei sine pretio redditum iri dicit. Is vero respondet, se nihil regi dare posse, nisi privatam

Digitized by Google

gratiam pro privato beneficio et fidele consilium, nullam pacis conditionem recusandi. — XXXVII; Consul per Troadem iter facit, et Eumenes cum parva manu venit in castra ejus, ad Caici amnis posita. Antiochus autem P. Scipioni, qui æger Elæam delatus erat, remittit filium, eoque auctore non ante in aciem descendere statuit, quam in castra illum fratris redisse audiat. — XXXVIII; Consul, transgressus Phrygium amnem, circa Magnesiam, quæ ad Sipylum est, non longe ab hoste ponit castra. — XXXIX; Rex primum detrectat certamen; sed metuens, ne invadantur castra sua et animi militum minuantur, non ultra tergiversatur. Forma aciei romanæ, — XL; et regiæ. — XLI-XLIII; Pugna et clades Antiochi, — XLIV; qui, cum paucis fugiens, Sardes et inde Apameam ad filium contendit. — XLV; Asiæ civitates in fidem consulis sese tradunt, et Polyxenidas, relicta classe, cum paucis Syriam petit itinere pedestri. Sardibus jam consul est: quo mox et P. Scipio et oratores regis veniunt, Zeuxis et Antipater. His Africanus e consilii sententia conditiones pacis dicit; iisque confestim acceptis, Romam mitti legatos placet. — XLVI; M'. Acilius de Antiocho et Ætolis triumphat sine exercitu, et paucis diebus post mortem voluntariam Damocriti, Ætolorum ducis; cujus triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispania tristis de clade L. Æmilii proconsulis. Triumviri creantur ad colonos deducendos Placentiam et Cremonam, inopiam eorum querentes. — XLVII; C. Lælius cos. ex Gallia redit; et supplicationes decernuntur ob victoriam navalem L. Æmilii prætoris primumque Romanorum transitum in Asiam. Consules (M. Fulvius Nobilior et Cn. Manlius Vulso) prætoresque creantur. — XLVIII; Rumor Romæ est celeber, Scipiones, in colloquium evocatos Antiochi, comprehensos esse, et deletas omnes copias Romanorum. — XLIX; Ætolorum legati dimittuntur a senatu cum tristi responso. — L; Magistratus sorte et ex senatusconsulto provincias legionesque accipiunt. — LI; Q. Fabius Pictor prætor, quia simul est flamen Quirinalis, Sardiniam provinciam prætura urbana permutare cogitur. Fama de rebus in Asia gestis temere vulgata, post dies paucos veniunt nuntii certi. — LII; Eumenes in senatu ei dato jubetur dicere, quid sibi a Romanis tribui æquum censeat, idque eorum arbitrio permittit. — LIII; Sed senatu in eadem perstante sententia, gratam Patribus orationem habet. — LIV; Eam, interposita brevi Smyrnæorum legatione, excipit longa Rhodiorum oratio,

Digitized by Google

quæ apta magnitudini romanæ videtur. — LV; Post Rhodios Antiochi vocantur legati, et pacis leges, a Scipionibus dictæ, confirmantur. Audiuntur deinde aliæ legationes ex Asia, et decem legati decernuntur, qui res Asiæ disceptent componantque. — LVI; Senatusconsultum de summa rerum, ab his ordinandarum, placet omnibus, nisi quod Rhodii ægre ferunt, Solos, Ciliciæ urbem, sibi cognatam, non eximi ex servitute regia. — LVII; L. Bæbius prætor, ab Liguribus circumventus, ex vulneribus moritur. L. Æmilius Paullus vincit Lusitanos. Bononiam deducitur colonia latina. Censuram multi clarique viri petunt, et favore populi, congiariis empto, in M'. Acilium Glabrionem, novum hominem, inclinante, duo tribuni pl. ei diem dicunt, et inter testes, adversum illum prolatos, est M. Cato competitor. LVIII; Censores T. Quintius Flamininus et M. Claudius Marcellus creantur. Triumphus navalis decernitur L. Æmilio Regillo, et supplicatio ob L. Æmilii Paulli victoriam. L. Scipio ad Urbem venit, et Asiaticum se appellari vult. — LIX; Triumphus ejus. — LX; Cn. Manlius cos. in Asia bellum gerit cum Gallis, et Q. Fabius Labeo prætor, classi præfectus, cum Cretensibus.

I. L. Cornelio Scipione, C. Lælio consulibus, nulla prius secundum religiones[1] acta in senatu res est, quam de Ætolis. Et legati eorum institere, quia brevem induciarum diem habebant; et ab T. Quintio, qui tum Romam ex Græcia redierat, adjuti sunt. Ætoli, ut quibus plus in misericordia senatus, quam in causa, spei esset, suppliciter egerunt, veteribus benefactis nova pensantes maleficia[2]. Cæterum et præsentes interrogationibus undique senatorum, confessionem magis noxæ, quam responsa, exprimentium, fatigati sunt, et, excedere curia jussi, magnum certamen præ-

Cap. I. 1. *Secundum religiones;* vide ad I, 4, n. 1; XXI, 63, n. 10. Ad seqq. de *Ætolis* conf. Polyb. XXI, § 1.—*Brevem... diem*, hoc est, breve tempus. *Dies* pro tempore præfinito sæpe usurpatur; sic infra, XLI, 10, *brevis dies ad conveniendum edicta est.* Vid. lib. IV, cap. 30, n. 9. Ed.

2. *Benefactis pensantes maleficia;* vide ad XXVI, 37, n. 2. — *Interrogationibus senatorum*, etc. vide ad XXX, 22, n. 2.

Digitized by Google

buere. Plus ira, quam misericordia, in causa eorum valebat; quia non ut hostibus modo, sed tanquam indomitæ et insociabili genti, succensebant. Per aliquot dies quum certatum esset, postremo neque dari, neque negari pacem placuit. Duæ conditiones eis latæ sunt[3]: vel senatui liberum arbitrium de se permitterent; vel mille talentum darent, eosdemque amicos atque inimicos haberent. Exprimere cupientibus, quarum rerum in se arbitrium senatui permitterent, nihil certi responsum est. Ita infecta pace dimissi, Urbe eodem die, Italia intra quindecim dies excedere jussi. Tum de consulum provinciis cœptum est agi. Ambo Græciam cupiebant. Multum Lælius in senatu poterat. Is, quum senatus aut sortiri, aut comparare inter se provincias[4] consules jussisset, elegantius facturos dixit, si judicio Patrum, quam si sorti, eam rem permisissent. Scipio, responso ad hoc dato, *cogitaturum, quid sibi faciendum esset*, cum fratre uno loquutus, jussusque ab eo permittere audacter senatui, renuntiat collegæ, *facturum se, quod is censeret.* Quum res, aut nova, aut vetustate exemplorum memoriæ jam exoletæ, relata exspectatione certaminis senatum[5] erexisset; P. Scipio Africanus dixit, *Si L. Scipioni fratri suo provinciam Græciam decrevissent, se legatum*[6] *iturum.* Hæc vox, magno assensu audita, sustulit certamen.

3. *Duæ conditiones iis latæ s.* etc. conf. Polyb. XXI, 1. — *Mille talentum*, marcas argenti nostrates 93750, ex Crev. rationibus. Ed.—*Exprimere cupientibus*, sc. extorquere, ut paulo ante: *confessionem magis noxæ, quam responsa, exprimentium.* Ed.

4. *Aut sortiri, aut comparare inter se provincias;* vide ad III, 2, n. 1.— *Elegantius facturos;* vide ad XXXV, 14, n. 3.

5. *Exspectatione c. s. erexisset;* vide ad II, 54, n. 12.

6. *Se legatum iturum*, σύμβουλον apud Appianum, Syr. 21 f. et 30 pr. qui tamen eum a senatu fratri adjunctum dicit. Confer Schweigh. ad Polyb. VI, 35, § 4, ubi præter alia notavit hæc: « Συμβουλοὶ et πρεσβευταὶ h. l., ut apud Diodor. t. II, p. 607, ed. Wessel., synon. dicuntur legati militares, qui imperatores comitaban-

Digitized by Google

Experiri libebat, utrum plus regi Antiocho in Hannibale victo, an in victore Africano consuli legionibusque romanis, auxilii foret; ac prope omnes Scipioni Græciam, Lælio Italiam decreverunt.

II. Prætores inde provincias sortiti, L. Aurunculeius urbanam [1], Cn. Fulvius peregrinam, L. Æmilius Regillus classem, P. Junius Brutus Tuscos, M. Tuccius Apuliam et Bruttios, C. Atinius Siciliam. Consuli deinde, cui Græcia provincia decreta erat, ad eum exercitum, quem a M'. Acilio (duæ autem legiones erant) accepturus esset, in supplementum addita peditum civium romanorum tria millia, equites centum, et socium latini nominis quinque millia, equites ducenti; et adjectum, ut, quum in provinciam venisset, si e re publica videretur esse [2], exercitum in Asiam trajiceret. Alteri consuli totus novus exercitus decretus, duæ legiones romanæ, et socium latini nominis quindecim millia peditum, equites sexcenti.

tur, sive ab ipsis lecti, sive a senatu iis adjuncti, ut et consiliis suis eos juvarent, et, ubi opus esset, parti copiarum præessent. De munere horum legatorum nihil legi apud Polybium, mireris. Sive, quod de eo dixit, a compilatore horum Excerptorum prætermissum est, sive Polybii ætate nondum fuit more receptum, ut cuique imperatori *semper* adjuncti essent *legati*, et ut cuique legioni, ut vulgo putant, legatus præesset, qui dignitate et imperio inter imperatorem et tribunos militum fuerit medius. Apud Polyb. certe nullum ejus rei vestigium occurrit. Ordinarii consiliarii imperatorum tribuni militum erant; et ex his, quicumque vel prudentia et peritia rei militaris, vel virtute, vel fide et gratia præ cæteris apud imperatorem valebant, ii vice legatorum fungebantur. Hinc et tribuni militum Liv. XXXVI, 17 pr. *consulares legati* vocantur. Extra ordinem vero, his quidem temporibus, factum interdum videtur, ut alii legati imperatoribus adjungerentur. » Conf. ad XXXVI, 1, n. 4, *se ei legatum iturum* (ut XXXVIII, 58, et in Epit. XI) conj. Duk.

Cap. II. 1. *Provincias sortiti... urbanam;* vide ad II, 40, n. 9.—Post *sortiti* plurimos codd. ferre τὸ *sunt* monet Drakenb. quod quidem expunxit Frob. anno 1535, nec immerito; prorsus enim ad juvandam orationis perspicuitatem inutile. Idem notat *Cn. Fulvius peregrinam* deesse in quibusdam codd. Ed.

2. *Si e republica v. esse;* vide ad I,

Digitized by Google

Exercitum ex Liguribus Q. Minucius (jam enim confectam provinciam scripserat[3], et Ligurum omne nomen in deditionem venisse) traducere in Boios et P. Cornelio proconsuli tradere jussus. Ex agro, quo victos bello mulctaverat Boios[4], deductæ urbanæ legiones, quæ priore anno conscriptæ erant, M. Tuccio prætori datæ, et socium ac latini nominis peditum quindecim millia, equites sexcenti, ad Apuliam Bruttiosque obtinendos. A. Cornelio superioris anni prætori, qui Bruttios cum exercitu obtinuerat, imperatum, si ita consuli videretur, ut legiones in Ætoliam trajectas M'. Acilio traderet, si is manere ibi vellet: si Acilius redire Romam mallet, ut A. Cornelius cum eo exercitu in Ætolia remaneret. C. Atinium Labeonem provinciam Siciliam exercitumque a M. Æmilio accipere placuit, et in supplementum scribere ex ipsa provincia, si vellet, peditum duo millia et centum equites. P. Junius Brutus in Tuscos exercitum novum, legionem unam romanam, et decem millia socium ac latini nominis scribere et quadringentos equites; L. Æmilius, cui provincia maritima erat, viginti na-

27, n. 5. — *Q. Minucius*, sc. ut notat Drak., Q. Minucius Thermus, qui ante triennium consul creatus, Ligures provinciam sortitus est, et per proximum biennium, prorogato imperio, ibidem optime res gessit. Ed.

3. *Confectam provinciam scripserat;* sic Noster, XXVIII, 24, med. *si debellatum jam et confecta provincia esset.* Conf. ad II, 40, n. 9. Ed.

4. *Quo victos bello mulctaverat Boios*, sc. P. Cornelius (vid. XXXVI, 39), non Minucius: unde *hic* ante *victos* excidisse putabat Duk. — *Deductæ urbanæ legiones*, MSS *deducendæ*. « Legiones videntur esse duæ illæ, quas Cn. Domitius *anno priore* quidem, sed belli gerendi causa, non ut *urbanæ legiones* essent, *conscripsit* (XXXV, 20), quasque senatus hoc anno *urbanas legiones* esse voluit; vid. XXXVI, 1 et 37. Quomodo autem eædem *urbanæ legiones* hoc anno in Boiis esse potuerunt? Dicendum, quum P. Nasica victis Boiis exercitum suum dimisisset (XXXVI, 39, 40), duas has *urbanas legiones*, quæ paratæ esse debebant, quo senatus censuisset (XXXVI, 1), in Boios missas fuisse, quæ gentem modo subactam continerent, ne aliquid rerum novarum moliretur ». Duk.

Digitized by Google

ves longas et socios navales[5] a M. Junio prætore superioris anni accipere jussus, et scribere ipse mille navales socios, duo millia peditum; cum iis navibus militibusque in Asiam proficisci, et classem a C. Livio accipere. Duas Hispanias Sardiniamque obtinentibus prorogatum in annum imperium est, et iidem exercitus decreti. Siciliæ Sardiniæque binæ eo anno decumæ frumenti imperatæ: siculum omne frumentum in Ætoliam ad exercitum portari jussum: ex Sardinia pars Romam, pars in Ætoliam, eodem quo siculum.

III. Prius quam consules in provincias proficiscerentur, prodigia per pontifices procurari[1] placuit. Romæ Junonis Lucinæ templum de cælo tactum erat, ita ut fastigium valvæque deformarentur. Puteolis pluribus locis murus et porta fulmine icta, et duo homines exanimati. Nursiæ sereno satis constabat nimbum ortum: ibi quoque duos liberos homines exanimatos. Terra apud se pluisse Tusculani nuntiabant, et Reatini mulam in agro suo peperisse. Ea procurata, Latinæque instauratæ[2]; quod Laurentibus carnis, quæ dari debet, data non fuerat. Supplicatio quoque earum religionum causa fuit, quibus diis decemviri ex libris ut fieret ediderunt[3]. Decem ingenui, decem virgines,

5. *Naves longas et socios navales;* vide ad IX, 38, n. 1, et XXI, 17, n. 5. — *Decumæ frumenti i.;* vide ad XXXVI, 2, n. 7.—*Pars in Ætoliam, eodem quo siculum;* verba *in Ætoliam* quæ Crev. glossema videntur sapere, in omnibus codd. testatur Drak. superesse. Ed.

Cap. III. 1. *Prodigia per pontifices procurari;* vide ad I, 20, n. 11, et XXIV, 44, n. 5. — *Liberos homines e.;* vide ad XXXIV, 45, n. 6.

2. *Latinæque instauratæ* (vide ad I, 45, n. 2); *quod Laurentibus carnis* (ἀρχαϊκῶς pro *caro;* conf. Prisc. VI, 684). — Ex Prisciani auctoritate τὸ *carnis* intelligunt interpretes; sed quum hujus insolentioris formæ exempla desint, suspicatur Doer. aut ante aut post *carnis,* vocem aliquam, verbi causa, *pars* vel *portio,* vel simile nomen excidisse. Ed.—*Quæ dari debet, data non fuerat;* vide ad XXXII, 1, n. 6.

3. *Supplicatio quoque earum religionum causa fuit diis, quibus ut fie-*

Digitized by Google

patrimi omnes matrimique, ad id sacrificium adhibiti; et decemviri nocte lactentibus rem divinam fecerunt. P. Cornelius Scipio Africanus, prius quam proficisceretur, fornicem in Capitolio adversus viam, qua in Capitolium ascenditur, cum signis septem auratis et duobus equis[4], et marmorea duo labra ante fornicem posuit. Per eosdem dies principes Ætolorum[5] tres et quadraginta, inter quos Damocritus et frater ejus erant, ab duabus cohortibus, missis a M'. Acilio, Romam deducti, et in Lautumias conjecti sunt[6]. Cohortes inde ad exercitum redire L. Cornelius consul jussit. Legati a Ptolemæo et Cleopatra, regibus[7] Ægypti, gratulantes, quod M'. Acilius consul Antiochum regem Græcia expulisset, venerunt, adhortantesque, ut in Asiam exercitum trajicerent, *omnia perculsa metu non in Asia modo, sed etiam in Syria, esse; reges Ægypti*

ret supplicatio, *decemviri ex libris ediderunt;* vide ad I, 18, n. 2; II, 5, n. 4, et III, 10, n. 6. Ordo verborum a librariis forte perturbatus est, et post *fuit* inserendum *et*, aut major distinctio restituenda. Τὸ *ut* primus omisit Grut. et ante *fieret* MS Harl. et quædam edd. antt. adjecerunt *sacra*, forsan ex glossa, quæ verbum *fieri* eo sensu capiendum significavit, de quo vide ad X, 42, n. 9. Eo etiam referri possunt verba seqq. *ad id sacrificium*, quæ tamen Drak. eo spectare monet, quod nulla fuerit supplicatio sine sacrificio.—Tentavit hujus loci difficultatem hac emendatione explanare Creverius: *Quibus diis fieret, decemviri ex libris ediderunt.* Ed. — *Lactentibus rem div. fec.;* vide ad XXVII, 4, n. 7.

4. *Fornicem in Capitolio... cum signis septem auratis et duobus equis;* vide ad XXII, 36, n. 10. — Confer Ernest. in Clav. Cic. sub vocab. *fornix*. Ed. — *Labra*, vasa balnearia.

5. *Principes Ætolorum XLIII*, etc. vide ad cap. 46, n. 2.

6. *In Lautumias conjecti sunt;* vide ad XXVI, 27, n. 2.

7. *Ab Ptolemæo et Cleopatra regibus Æ.;* vide ad XXVII, 4, n. 6. — Vox *reges* a Livio nomen communis generis haberi potuit. Supra I, 39, Tarquinus Priscus et Tanaquil *reges* appellantur. Sic magnus ille nostras *Racine*, *Esther*, Act. I, sc. 1, loquutus de Assuero ejusque sponsa, dixit: « Et même ses bienfaits, dans toutes ses provinces, Invitèrent le peuple aux noces de leurs princes ». Eodem modo Virgil. Æneidos lib. II, v. 630 Venerem deum appellavit: « descendo, ac ducente deo, etc. » quod quidem ex Græcis usurpatum est; Euripides nempe in Troad. v. 948, Venerem intelligens: τὴν θεὸν κόλαζε· Demo-

Digitized by Google

ad ea quæ censuisset senatus paratos fore. Gratiæ regibus actæ : legatis munera dari jussa, in singulos quaternum millium æris.

IV. L. Cornelius consul, peractis, quæ Romæ agenda erant, pro concione edixit, ut milites, quos ipse in supplementum scripsisset, quique in Bruttiis cum A. Cornelio proprætore essent, ut hi omnes Idibus Quintilibus Brundisium convenirent. Item tres legatos nominavit, Sex. Digitium, L. Apustium, C. Fabricium Luscinum, qui ex ora maritima undique naves Brundisium contraherent; et, omnibus jam paratis, paludatus ab Urbe est profectus. Ad quinque millia voluntariorum ex Romanis sociisque, qui emerita stipendia sub imperatore P. Africano habebant, præsto fuere exeunti consuli, et nomina dederunt[1]. Per eos dies, quibus est profectus ad bellum consul, ludis Apollinaribus, ante diem quintum Idus[2] Quintiles, cælo sereno interdiu obscurata lux est, quum luna sub orbem solis subisset. Et L. Æmilius Regillus, cui navalis provincia evenerat[3], eodem tempore profectus est. L. Aurunculeio negotium ab senatu datum est, ut triginta quinqueremes, viginti triremes faceret; quia fama erat, Antiochum post prælium navale majorem classem aliquanto reparare. Ætoli, postquam

sthenes in exordio orationis de Corona: Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Ed. — *Quaternum millium æris;* fieri sex argenti marcas nostrates cum duabus unciis ait Crev., si grave æs intelligatur. Ed.

Cap. IV. 1. *Et nomina dederunt;* vid. I, 11, n. 3.—*Paludatus*, paludamento, veste imperatoria, indutus. Ed.

2. *Ludis Apollinaribus ante d. V Idus Quintiles;* conf. ad VI, 1, n. 9. « Hi ludi hoc tempore per plures dies edebantur, a III Non. Quint. in tertium Idus ejusdem mensis. Confer ad XXVII, 23, n. 4. Noris. ad Cenot. Pis. diss. II, c. 6, pag. 137; Dodwell. de Cyclis, diss. IV, seu XVI, et in Adp. ad Præl. Cambd. pag. 757 sq. Alia quæstio est, utrum eclipsis illa solis, quæ mox memoratur, in illum diem hoc anno inciderit; de quo vid. Dodwell. ll. ll. et Ism. Bullialdi Diss. ad calcem Livii Gron. » Drak.

3. *Cui navalis provincia evenerat;*

Digitized by Google

legati ab Roma retulerunt, nullam spem pacis esse, quanquam omnis ora maritima eorum, quæ in Peloponnesum versa est, depopulata ab Achæis erat, periculi magis, quam damni, memores, ut Romanis intercluderent iter, Coracem montem occupaverunt. Neque enim dubitabant, ad oppugnationem Naupacti eos principio veris redituros esse. Acilio, qui id exspectari sciebat, satius visum est, inopinatam aggredi rem, et Lamiam oppugnare. Nam et a Philippo prope ad excidium adductos esse; et tunc eo ipso, quod nihil tale timerent, opprimi incautos posse. Profectus ab Elatia primum in hostium terra circa Sperchium amnem posuit castra: inde nocte motis signis, prima luce corona mœnia est aggressus [4].

V. Magnus pavor ac tumultus, ut in re improvisa, fuit. Constantius tamen [1], quam quis facturos crederet, in tam subito periculo, quum viri propugnarent, feminæ tela omnis generis saxaque in muros gererent, jam multifariam scalis appositis, urbem eo die defenderunt. Acilius, signo receptui dato, suos in castra medio ferme die reduxit; et tunc cibo et quiete refectis corporibus, prius quam prætorium dimitteret, denuntiavit, *ut ante lucem armati paratique essent. Nisi expugnata urbe, se eos in castra non reducturum.* Eodem tempore, quo pridie, pluribus locis aggressus, quum oppidanos jam vires, jam tela, jam

vide ad II, 40, n. 9. — *Lamiam oppugnare;* observat Crev. Lamiam deditam esse Romanis, auctore Liv. inf. XXXIX, 23, postquam ab ea Philippus recesserit; atque idcirco, quum hic eadem urbs rursus oppugnetur, dicendum eam rebellasse, ne secum pugnet Livius. Ed. — *Adductos esse;* Lamiæ scilicet incolas. Ed. — *Et tunc eo ipso*, etc. mavult Doer. *nunc* pro *tunc*, quam lectionem juvant quidam codd. teste Drakenb. Ed.

4. *Corona mœnia est aggressus;* vide ad II, 17, n. 3.

Cap. V. 1. *Constantius tamen quam*, etc. hunc locum sic expedi: *Quum tamen viri, constantius propugnarent, quam quis..... feminæ* vero *tela*, etc.

Digitized by Google

ante omnia animus deficeret, intra paucas horas urbem cepit. Ibi, partim divendita, partim divisa præda, consilium habitum, quid deinde faceret. Nemini ad Naupactum iri placuit, occupato ad Coracem ab Ætolis saltu. Ne tamen segnia æstiva essent, et Ætoli non impetratam pacem ab senatu nihilominus per suam cunctationem haberent, oppugnare Acilius Amphissam statuit. Ab Heraclea per Œtam exercitus eo ductus. Quum ad mœnia castra posuisset, non corona, sicut Lamiam, sed operibus oppugnare urbem est adortus. Pluribus simul locis aries admovebatur; et quum quaterentur muri, nihil adversus tale machinationis genus[2] parare, aut comminisci oppidani conabantur. Omnis spes in armis et audacia erat. Eruptionibus crebris et stationes hostium, et eos ipsos, qui circa opera et machinas erant, turbabant.

VI. Multis tamen locis murus decussus erat, quum allatum est, successorem, Apolloniæ exposito exercitu, per Epirum ac Thessaliam venire. Cum tredecim millibus[1] peditum et quingentis equitibus consul veniebat. Jam in sinum Maliacum venerat, et præmissis Hypatam, qui tradere urbem juberent, postquam responsum est, nihil, nisi ex communi Ætolorum decreto, facturos; ne teneret se oppugnatio Hypatæ, nondum Amphissa recepta, præmisso fratre Africano, Amphissam ducit. Sub adventum eorum oppidani, relicta urbe (jam enim magna ex parte nudata mœnibus erat), in arcem, quam inexpugnabilem habent,

Ed. — *Prætorium dimitteret;* vide ad XXI, 54, n. 3.

2. *Tale machinationis genus;* vide ad XXIV, 34, n. 4.

Cap. VI. 1. *Cum XIII millibus peditum* ex emend. Sigon. conf. c. 2 et 4; *cum III millibus peditum* omnes MSS et edd. vett. — *In sinum Maliacum*, etc. vide ad XXVII, 30, n. 3; XXVIII, 5, n. 6, et XXXVI, 14, n. 3.—*Fratre Africano* Scipione. Conf. cap. 1 extr.

Digitized by Google

omnes armati atque inermes concessere. Consul sex millia ferme passuum[2] inde posuit castra. Eo legati Athenienses primum ad P. Scipionem, prægressum agmen (sicut ante dictum est), deinde ad consulem venerunt, deprecantes pro Ætolis. Clementius responsum ab Africano tulerunt; qui, causam relinquendi honeste ætolici belli quærens, Asiam et regem Antiochum spectabat, jusseratque Athenienses, non Romanis solum, ut pacem bello præferrent, sed etiam Ætolis persuadere. Celeriter, auctoribus Atheniensibus, frequens ab Hypata legatio Ætolorum venit; et spem pacis eis sermo etiam Africani, quem priorem adierunt, auxit, commemorantis, *multas gentes populosque in Hispania prius, deinde in Africa, in fidem suam venisse*[3]. *In omnibus se majora clementiæ benignitatisque, quam virtutis belticæ, monimenta reliquisse.* Perfecta videbatur res, quum aditus consul idem illud responsum retulit, quo fugati[4] ab senatu

2. *Consul sex millia ferme passuum*, etc. cf. Polyb. XXI, 2. Ex eo *septem* vel *octo millia f. p.* conjicere possis: nam dixit ἐν ξ' σταδίοις, *LX* stadia. « Quod Casaub. non male reddidit *octo ferme passuum millia.* Nam Polyb. pro mille passibus numerare solet octo stadia et duo jugera, sive tertiam stadii partem (vid. Strab. VII, 322, et Schweigh. ad Polyb. III, 39, § 8; XXXIV, 12, § 5). Sexaginta igitur stadia efficiunt 7200 passus, ac stadium continet *CXX* passus. At sex millia passuum efficiunt *L* stadia; neque tamen dici potest, Livium legisse: ἐν ν σταδίοις· ita enim non addidisset voculam *ferme*, quæ tum usurpatur, quum numerus vel paulo minor, vel, ut hic, paulo major sit, quam qui editur; vide ad I, 40, n. 3. » Drak. — *P. Scipionem* Africanum, fratrem consulis. — *Asiam et regem Antiochum spectabat;* vid. lib. I, 9, n. 3, et in eodem lib. I, cap. 34, n. 5. — Cf. quoque Polyb. in Excerpt. Leg. 17. Ed.

3. *In fidem suam venisse;* vide ad lib. VII, 18, n. 1, et lib. XXXVI, 28, n. 1.

4. *Idem illud responsum, quo fugati*, Urbe et Italia excedere jussi, *ab senatu f.* (vid. cap. 1), *retulit*, iterum dedit, iteravit, repetiit. Ita Duk. et Crever. coll. III, 55; XXIV, 45; XXVI, 19. *Reddidit* conj. Gron. Perperam: nempe præter Livium hoc verbo usus est Cicero pro Cæc. c. 29. Cf. Drak. ad hunc locum. Mox *profectum;* mallet Doering. *perfectum*, quod est in plurimis codd. apud Drakenb. et præcedentibus verbis *perfe-*

Digitized by Google

fuerant. Eo tanquam novo quum icti Ætoli essent (nihil enim nec legatione Atheniensium, nec placido Africani responso profectum videbant), referre ad suos dixerunt velle.

VII. Reditum inde Hypatam est, nec consilium expediebatur. Nam neque, unde mille talentum daretur, erat; et, permisso libero arbitrio[1], ne in corpora sua sæviretur, metuebant. Redire itaque eosdem legatos ad consulem et Africanum jusserunt, et petere, ut, si dare vere pacem, non tantum ostendere[2], frustrantes spem miserorum, vellent, aut ex summa pecuniæ demerent, aut permissionem extra civium corpora fieri juberent. Nihil impetratum, ut mutaret consul; et ea quoque irrita legatio dimissa est. Sequuti et Athenienses sunt; et princeps legationis eorum Echedemus fatigatos tot repulsis Ætolos, et complorantes inutili lamentatione fortunam gentis, ad spem revocavit, auctor inducias sex mensium petendi, ut legatos Romam mittere possent. *Dilationem nihil ad præsentia mala, quippe quæ ultima essent, adjecturam. Levari per multos casus, tempore interposito, præsentes clades posse.* Auctore Echedemo iidem missi, prius P. Scipione convento[3], per eum inducias temporis ejus, quod petebant, a consule impetraverunt; et, soluta obsidione Amphissæ, M'. Acilius, tradito consuli exercitu, provincia decessit, et consul ab

cta videbatur res, melius respondet. Ed.— *Icti;* vide supra ad librum I, cap. 16, n. 2.

VII. 1. *Unde mille talentum daretur*, et *permisso* senatui romano *libero arbitrio* de Ætolis. Alterutrum postulaverat senatus ab Ætolis pacem petentibus; vid. cap. 1. Ad hæc et seqq. conf. Polyb. XXI, 2 et 3.

2. *Dare vere pacem, non tantum ostendere;* vide ad IV, 30, n. 1. — *Permissionem* in liberum arbitrium fidemque senatus *extra civium corpora fieri*, ea conditione, ne in ea serviretur; τῆς ἐπιτροπῆς ἐκτὸς ποιῆσαι τοὺς πολιτικοῦς ἄνδρας καὶ τὰς γυναῖκας. Polyb.

3. *Prius P. Scipione convento;* vide

Amphissa Thessaliam repetit, ut per Macedoniam Thraciamque duceret in Asiam. Tum Africanus fratri, « Iter, quod insistis, L. Scipio, ego quoque approbo; « sed totum id vertitur in voluntate Philippi. Qui, si « imperio nostro fidus est, et iter et commeatus et « omnia, quæ in longo itinere exercitus alunt juvant- « que, nobis suppeditabit. Si is destituat[4], nihil per « Thraciam satis tutum habebis. Itaque prius regis « animum explorari placet. Optime explorabitur, si « nihil ex præparato agentem opprimet, qui mittetur ». Ti. Sempronius Gracchus, longe tum acerrimus juvenum ad id delectus, per dispositos equos prope incredibili celeritate ab Amphissa (inde enim est dimissus) die tertio Pellam pervenit. In convivio rex erat, et in multum vini processerat: ea ipsa remissio animi suspicionem dempsit, novare eum quidquam velle. Et tum quidem comiter acceptus hospes. Postero die commeatus exercitui paratos benigne, pontes in fluminibus factos, vias, ubi transitus difficiles erant, munitas vidit. Hæc referens eadem, qua ierat, celeritate Thaumacis occurrit consuli. Inde certiore et majore spe lætus exercitus ad præparata omnia in Macedoniam pervenit. Venientes regio apparatu et accepit, et persequutus est rex. Multa in eo et dexteritas et humanitas visa, quæ commendabilia apud Africanum erant; virum, sicut ad cætera[5] egregium,

ad XXXIV, 61, n. 2. — *Totum id vertitur in voluntate Philippi.* Pro vulgari: omnis hujus itineris eventus ab eo pendebit animo, quo erga nos affectus est Philippus. Ed.

4. *Si is destituat* enallage numeri, nisi leg. *destituit*, ut *si fidus est;* Duk. —*Per dispositos equos*, h. e. equos ita dispositos per certa viæ intervalla, ut quo Gracchus accessisset, adessent subito, pro fessis, equi recentes et integris viribus. Nos: *relais*. Ed.

5. *Virum ad cæt. egregium.* « Præpositionem *ad* a læva manu huc irrepsisse crediderim, et ipse auctor id demonstrat in illis quæ contuli ad lib. XXI, 34; XXVII, 11, *ut pleraque faciliora ad duplicanda verba græco*

Digitized by Google

ita a comitate, quæ sine luxuria esset, non aversum. Inde non per Macedoniam modo, sed etiam Thraciam, prosequente et præparante omnia Philippo, ad Hellespontum perventum est.

VIII. Antiochus post navalem ad Corycum pugnam [1], quum totam hiemem liberam in apparatus terrestres maritimosque habuisset, classi maxime reparandæ, ne tota maris possessione pelleretur, intentus fuerat. Succurrebat, *Superatum se* [2], *quum classis abfuisset Rhodiorum. Quod si ea quoque (nec commissuros Rhodios, ut iterum morarentur) certamini adesset, magno sibi navium numero opus fore, ut viribus et magnitudine classem hostium æquaret.* Itaque et Hannibalem in Syriam miserat ad Phœnicum arcessendas naves, et Polyxenidam, quo minus prospere gesta res erat, eo enisius et eas, quæ erant, reficere, et alias parare naves jussit. Ipse in Phrygia hibernavit, undique auxilia arcessens: etiam in Gallogræciam miserat. Bellicosiores ea tempestate [3] erant, Gallicos adhuc, nondum exsoleta stirpe gentis, servantes animos. Filium Seleucum in Æolide reliquerat cum exercitu ad maritimas continendas urbes; quas illinc a Pergamo Eumenes, hinc a Phocæa Erythrisque [4] Romani sollicitabant. Classis romana, sicut ante dictum est, ad Canas hibernabat [5]. Eo media ferme hieme rex Eumenes cum duobus millibus peditum,

sermone. » Jac. Gron. Eam conjecturam veram Drak. se fatetur credituruum, si codicum fide niteretur. Conf. ad lib. I, cap. 32, n. 2. Ed.

Cap. VIII. 1. *Navalem ad Corycum pugnam;* vide ad XXXVI, 43 seq.

2. *Succurrebat, superatum se;* vide ad V, 54, n. 2. — *Phrygia* sc. Majore, ut observat post Doujat. Doer. Ed.

3. *Bellicosiores ea temp. erant,* sc. Gallogræci; vide ad III, 47, n. 1. De *Gallogræcis,* seu Galatis et Gallis, vide ad XXXVIII, 16.

4. *Illinc a Pergamo, hinc a Phocæa E.;* vide supra ad librum VIII, cap. 17, n. 5.

5. *Ad Canas hibernabat;* vide ad XXXVI, 45.

Digitized by Google

equitibus centum, venit. Is, quum magnam prædam agi posse dixisset ex hostium agro, qui circa Thyatira esset, hortando perpulit Livium, ut quinque millia militum secum mitteret. Missi ingentem prædam intra paucos dies averterunt [6].

IX. Inter hæc Phocææ seditio orta [1], quibusdam ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. Gravia hiberna navium erant; grave tributum, quod togæ quingentæ imperatæ erant cum quingentis tunicis; gravis etiam inopia frumenti, propter quam naves quoque et præsidium romanum excessit. Tum vero liberata metu factio erat, quæ plebem in concionibus ad Antiochum trahebat. Senatus et optimates in romana societate perstandum censebant: defectionis auctores plus apud multitudinem valuerunt. Rhodii, quo magis cessatum priore æstate erat, eo maturius æquinoctio verno eumdem Pausistratum classis præfectum cum sex et triginta navibus miserunt. Jam Livius a Canis cùm triginta navibus et septem quadriremibus, quas secum Eumenes rex adduxerat, Hellespontum petebat, ut ad transitum [2] exercitus, quem terra venturum opinabatur, præpararet, quæ opus essent. In portum, quem vocant Achæorum, classem primum advertit. Inde Ilium ascendit, sacrificioque Minervæ facto, legationes finitimas ab Elæunte et Dardano et Rhœteo, tradentes in fidem

6. *Ingentem prædam... averterunt;* vide ad I, 7, n. 6.

Cap. IX. 1. *Inter hæc Phocææ seditio o.* etc. cf. Polyb. XXI, 4.

2. *Ad transitum exercitus* consularis, L. Scipionis.—*In port. quem vocant Achæorum*, ad ostia Simoentis: qui λιμὴν Ἀχαιῶν dictus est ab Achæis seu Græcis, qui Trojam obsessuri eo appulere; vid. Strab. XIII, p. 595; Plin. IV, 12 seu 26, et V, 30 seu 33; Ciaccon. ad Mel. I, 18; Appian. Syr. 23 et 6, Mithrid. 77, et Bello Civ. V, 137 seq. — *Ilium ascendit, sacrificioque Minervæ facto;* vid. XXXV, 43, n. 1. — *Elæunte*, urbe ad Hellesponti fauces, nunc *Critea.*—*Dardano* urbe Minoris Phrygiæ, ita appel-

Digitized by Google

civitates suas, benigne audivit. Inde ad Hellesponti fauces navigat, et, decem navibus in statione contra Abydum relictis, cætera classe in Europam ad Sestum oppugnandam trajecit. Jam subeuntibus armatis muros, fanatici Galli[3] primum cum solenni habitu ante portam occurrunt. Jussu se Matris Deum famulos Deæ venire memorant, ad precandum Romanum, ut parceret mœnibus urbique. Nemo eorum violatus est: mox universus senatus cum magistratibus ad dedendam urbem processit. Inde Abydum trajecta classis: ubi quum, tentatis per colloquia animis, nihil pacati responderetur, ad oppugnationem sese expediebant.

X. Dum hæc in Hellesponto geruntur, Polyxenidas regius præfectus (erat autem exsul Rhodius[1]), quum audisset, profectam ab domo popularium suorum classem, et Pausistratum præfectum superbe quædam et contemptim in se concionantem dixisse, præcipuo certamine animi adversus eum sumpto, nihil aliud dies noctesque agitabat animo, quam ut verba magnifica ejus rebus confutaret. Mittit ad eum hominem et illi notum, qui diceret, *et se Pausistrato patriæque suæ magno usui, si liceat, fore; et a Pau-*

lata ab ejus conditore *Dardano*, nunc *Dardanello*. Ed.—*Rhœteum*, Ῥοίτειον et minus recte Ῥοίτιον. Conf. Drak. ad h. l. Wasse ad Thucyd. IV, 52, VIII, 101; Hard. ad Plin. VIII, 29.—Nunc vocatur Rhœteum *Peskia*. Ed.—*Hellesponti fauces, Abydum et Sestum*; vide ad XXXI, 17, n. 1.

3. *Fanatici Galli... Matris Deum famuli*, sacerdotes Cybeles, quorum furor satis notus. Huc spectat fragm. Polyb. (t. V, pag. 41, ed. Schweigh. apud Suid. voc. προστηθίδιον) Ἐξελθόντες μὲν Γάλλοι δύο μετὰ τύπων καὶ προστηθιδίων (cum figuris et imagunculis a pectore suspensis) ἐδέοντο μηδὲν ἀνήκεστον βουλεύεσθαι περὶ τῆς πόλεως. De illo Gallorum habitu conf. Dionys. Hal. II, 19; et in simili narratione Polyb. XXII, 20, § 4 seq. ubi vid. Schweigh.

Cap. X. 1. *Polyxenidas..... exsul Rhodius*, etc. Conf. ad hoc et seq. cap. Appian. Syr. 24.—*Certamine animi*, ut II, 59; IV, 56; V, 24; VI, 24. *Unum* pro *animi* conj. Gron. offensus forte repetitione voc. *animi*. Conf. ad I, 3, n. 8. — *Si liceat*, si operam dare velit Pausistratus, ut merces petita concedatur, vel *si liceat*, sc. per Pau-

sistrato se restitui in patriam posse. Quum, quonam modo ea fieri possent, mirabundus Pausistratus percunctaretur, fidem petenti dedit agendæ communiter rei, aut silentio tegendæ. Tum internuntius, *regiam classem aut totam, aut majorem ejus partem, Polyxenidam traditurum ei. Pretium tanti meriti nullum aliud pacisci, quam reditum in patriam.* Magnitudo rei, nec ut crederet, nec ut aspernaretur dicta, effecit. Panormum Samiæ terræ[2] petit, ibique ad explorandam rem, quæ oblata erat, substitit. Ultro citroque nuntii cursare, nec fides ante Pausistrato facta est, quam coram nuntio ejus Polyxenidas sua manu scripsit, *se ea, quæ pollicitus esset, facturum*, signoque suo impressas tabellas misit. Eo vero pignere velut auctoratum[3] sibi proditorem ratus est. Neque enim eum, qui sub rege viveret, commissurum fuisse, ut adversus semet ipsum indicia manu sua testata daret. Inde ratio simulatæ proditionis composita. *Omnium se rerum apparatum omissurum*, Polyxenidas dicere; *non remigem, non socios navales*[4] *ad classem frequentes habiturum: subducturum per simulationem reficiendi quasdam naves, alias in propinquos portus dimissurum: paucas ante portum Ephesi in salo habiturum; quas, si exire res cogeret, objecturus certamini foret.* Quam negligentiam Polyxenidam in classe sua habiturum Pausistratus audivit, eam ipse extemplo habuit. Partem navium ad commeatus arcessendos Halicarnassum, partem Samum ad urbem

sistratum, si sinat Pausistratus; Crev. et Drak. *Si libeat* conj. Tan. Faber.— *Tum internuntius*, sc. dixit, ut XLI, 3, n. 1, *nuntius*, sc. venit. *Aperit* addidit Mog.

2. *Panormum Samiæ terræ*, in Samiorum agro, sed in litore Ephesiorum; Glar. conf. Strab. XIV, 639. — *Panormus*, hodie *Macri*. Ed.

3. *Eo vero pignere velut auctoratum;* vide ad VIII, 34, n. 8.

4. *Socios navales;* vide ad IX, 38, n. 1. — *Subducturum naves*; vide ad VIII, 26, n. 1. — *Objecturus certa-*

Digitized by Google

misit[5], ut paratus esset, quum signum aggrediendi a proditore accepisset. Polyxenidas augere simulando errorem: subducit quasdam naves, alias velut subducturus esset, navalia reficit; remiges ex hibernis non Ephesum arcessit, sed Magnesiam occulte cogit.

XI. Forte quidam Antiochi miles, quum Samum rei privatæ causa venisset, pro speculatore deprehensus deducitur Panormum ad præfectum. Is percunctanti quid Ephesi ageretur, incertum metu, an erga suos haud sincera fide, omnia aperit: classem instructam paratamque in portu stare: remigium omne Magnesiam ad Sipylum[1] missum: perpaucas naves subductas esse, et navalia tegi: nunquam intentius rem navalem administratam esse. Hæc ne pro veris audirentur, animus errore et spe vana præoccupatus fecit. Polyxenidas, satis omnibus comparatis, nocte remige a Magnesia arcessito, deductisque raptim, quæ subductæ erant, navibus, quum diem non tam in apparatu absumpsisset, quam quod conspici proficiscentem classem nolebat; post solis occasum profectus

mini foret; mutatio orationis (vide ad I, 13, n. 4), nisi leg. *objecturum c. fore;* vide ad VI, 42, n. 7.

5. *Partem Samum ad urbem misit*, etc. Hæc parum cohærere monet Crev. Quum enim ex seqq. constet, Pausistratum Panormi mansisse, dici non posse, eum partem navium Samum misisse, ut paratus esset: immo Livium observare, Pausistratum partem classis Halicarnassum, partem Samum ablegare, ut notet ejus negligentiam. Hinc suspicatur, ante verba *ut paratus esset* excidisse *ipse Panormi substitit* aut similia. — *Augere simulando errorem*, h. e. auget errorem præ se ferendo speciem negligentiæ.— *Subducit quasdam naves;* confer ad lib. XXIX, 1, n. 6, et VIII, 26, n. 1. Ed.

Cap. XI. 1. *Magnesiam ad Sipylum;* vide ad XXVI, 43, n. 4. Hanc urbem plus æquo abesse, et in hac narratione Magnesiam bis simpl. memorari, adeoque verba *ad Sypilum* pro glossemate habenda esse, non male monuit Crev. *Magnesiam* (ad Meandrum) *ac Sipylum* (oppid. vicinum Smyrnæ apud Strab. ac Plin. V, 29) conj. Doujat. *Magnesiam missum, ad Sipylum perpaucas naves subductas esse* recepit Ald. ex cod. Mog. Multum Creverii conjecturam Doer. probat. Ed. — *Et navalia tegi*, ex cap. præc. *refici* conj. Drak.

Digitized by Google

septuaginta navibus tectis[2], vento adverso, ante lucem Pygela portum tenuit. Ubi quum interdiu ob eamdem causam quiesset, nocte in proxima Samiæ terræ trajecit. Hinc Nicandro quodam archipirata quinque navibus tectis Palinurum jusso petere, atque inde armatos, qua proximum per agros iter esset, Panormum ad tergum hostium ducere; ipse interim, classe divisa, ut ex utraque parte fauces portus teneret, Panormum petit. Pausistratus primo, ut in re necopinata, turbatus parumper, deinde vetus miles, celeriter collecto animo, terra melius arceri, quam mari, hostes posse ratus, armatos duobus agminibus ad promontoria, quæ cornibus objectis ab alto portum faciunt[3], ducit: inde facile telis ancipitibus hostem submoturus. Id inceptum ejus Nicander a terra visus quum turbasset, repente mutato consilio, naves conscendere omnes jubet. Tum vero ingens pariter militum nautarumque trepidatio orta, et velut fuga in naves fieri, quum se mari terraque simul cernerent circumventos. Pausistratus, unam viam salutis esse

— Fatetur Doering. se primum Drak. eo lubentius adstipulatum, quod idem sibimetipsi sponte in mentem venerat; sed mox cogitandum esse suspicatur de casis, quibus naves et navium instrumenta per hiemem in navalibus asservantur, et sic *navalia tegere* fortasse esse: navalium casas munire et resarcire, ut naves tutæ sint ab hieme et pluvia: sed durum hoc admodum. Ed.

2. *Profectus LXX navibus tectis;* vide ad I, 14, n. 4, et XXII, 19, n. 4. — *Pygela portum tenuit;* vide ad I, 1, n. 8. *Pygela* seu *Phygela* (hod. Figena) urbs Ioniæ, sic dicta, quoniam vel socii Agamemnonis, morbo τῶν πυγῶν laborantes, ibi manserunt, vel eam condiderunt fugitivi, φυγάδες. Vid. Strab. XIV, pag. 639; Harpocrat. voc. Πύγελα, ibique intp. Mela, I, 17; Plin. V, 29 seu 31; Steph. Byz. et Suidas. Inde οἶνος φυγελίτης apud Dioscor. V, 12. — *Quinque navibus;* al. *cum quinque n.;* vide ad I, 14, n. 4.

3. *Ad promontoria, quæ cornibus objectis ab alto portum faciunt;* quæ *cornua* aliis *brachia* et *latera* dicuntur. Cf. ad Juven. XII, 75 seq. et Heyn. ad Virgil. Æn. I, 159 seq. — *Facile telis ancipitibus;* vide ad I, 25, n. 4. *Facile ex ancipitibus* omnes MSS præter Mog. et edd. ante Ascens. a. 1513, non improb. Drak. ut *ancipitia* sint

ratus, si vim facere[4] per fauces portus, atque erumpere in mare apertum posset, postquam conscendisse suos vidit, sequi cæteris jussis, ipse princeps concitata nave remis ad ostium portus tendit[5]. Superantem jam fauces navem ejus Polyxenidas tribus quinqueremibus circumsistit. Navis rostris icta supprimitur: telis obruuntur propugnatores: inter quos et Pausistratus impigre pugnans interficitur. Navium reliquarum ante portum aliæ, aliæ in portu deprehensæ, quædam a Nicandro, dum moliuntur a terra[6], captæ. Quinque tantum Rhodiæ naves[7] cum duabus Cois effugerunt, terrore flammæ micantis via sibi inter confertas naves facta. Contis enim binis a prora prominentibus trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant[8]. Erythrææ triremes, quum haud procul a Samo Rhodiis navibus, quibus ut essent præsidio, veniebant, obviæ fugientibus fuissent, in Hellespontum ad Romanos cursum averterunt[9]. Sub idem tempus Seleucus proditam Phocæam, porta una

fauces portus, in quas ex utroque cornu vel promontorio jacula emitti possint. Conf. ad XXX, 33, n. 9.

4. *Vim facere;* vide ad XXXII, 9, n. 4. *Viam f.* male edd. vett. — *Conscendisse;* vide ad XXXI, 29, n. 3.

5. *Remis ad ostium portus tendit;* vide ad IV, 19, n. 1.

6. *Dum moliuntur a terra;* vide ad VI, 11, n. 5. — Recte monet Doer. *moliri* pro moveri, sæpius non tantum apud Nostrum, sed et apud Tacitum occurrere. Ed.

7. *Quinque tantum rhodiæ naves,* etc. septem apud Appian. Syr. 24. Sed nil interest, nisi quod hic coas naves non distinxit a rhodiis; Duk. Recte, puto; sed si cuiquam id displiceat, addere potest, eum alios annales sequutum esse: certe classis Rhodiorum apud Liv. est *XXXVI* navium, apud Appian. *XXVII*, ex quibus *VII* effugerunt, *XX* captæ sunt; Drak.

8. *Contis enim binis a prora prominentibus trullis ferreis multum conceptum ignem præ se portabant,* quod strategema præter alia commentus erat Pausistratus. Conf. cap. 30; Appian. Syr. 24, et, qui rem copiosius exponit, Polyb. XXI, 5. *Trulla*, quæ Polyb. dicitur κημὸς, machina seu vas, quo ignis recipitur et ex uno in alium transfertur, μηχανικόν τι πυρφόρον μηχάνημα apud Suid. πύρφορα ἀγγεῖα σιδήρεα apud Appian. Multa, sed parum apte, ut solet, ad h. l. disputat Marc. Donatus.

9. *Ad Romanos cursum averterunt;*

Digitized by Google

per custodes aperta, recepit; et Cyme aliæque ejusdem oræ urbes ad eum metu defecerunt.

XII. Dum hæc in Æolide geruntur, Abydus quum per aliquot dies obsidionem tolerasset, præsidio regio tutante mœnia, jam omnibus fessis, Philota quoque præfecto præsidii permittente, magistratus eorum cum Livio de conditionibus tradendæ urbis agebant. Rem distinebat, quod, utrum armati, an inermes, emitterentur regii, parum conveniebat. Hæc agentibus quum intervenisset nuntius Rhodiorum cladis, emissa de manibus res est. Metuens enim Livius, ne successu tantæ rei elatus [1] Polyxenidas classem, quæ ad Canas erat, opprimeret, Abydi obsidione custodiaque Hellesponti extemplo relicta, naves, quæ subductæ Canis erant, deduxit. Et Eumenes Elæam venit. Livius omni classe, cui adjunxerat triremes duas Mitylenæas, Phocæam petit. Quam quum teneri valido regio præsidio audisset, nec procul Seleuci castra esse; depopulatus maritimam oram, et præda maxime hominum raptim in naves imposita, tantum moratus dum Eumenes cum classe assequeretur, Samum petere intendit. Rhodiis primo audita clades simul pavorem, simul luctum ingentem fecit. Nam, præter navium militumque jacturam, quod floris, quod roboris in juventute fuerat, amiserant, multis nobilibus sequutis inter cætera auctoritatem Pausistrati, quæ

vide ad III, 63, n. 2. — *Cyme aliæque ejusdem oræ*. Multos edidisse *Cymæ*, *Cyma* aut *Cima* monet Drakenb. sed *Cyme* edendum. Appianus, in Syr. 102, καὶ ἐπὶ τῇ νίκῃ Φώκαια αὖθις, καὶ Σάμος, καὶ Κύμη πρὸς Ἀντίοχον μετετίθεντο. Legi Κύμη affirmat Duk. quum apud alios, tum in marmorea basi colossi Tiberio positi, ad quem Laurent. Theod. Gronov. cap. XIX, scribit, patrem suum hic emendasse *Cyme*. Urbs Æolidis *Cyme*, hodie *Castri*. Ed.

Cap. XII. 1. *Successu tantæ rei elatus* ed. Ald. et seqq. ex cod. Mogunt. *Inflatus* reliqui MSS et primæ edd. — *Naves, subductas Canis, deduxit;* vide ad VIII, 26, n. 1.

Digitized by Google

inter suos merito maxima erat. Deinde, quod fraude capti, quod a cive potissimum suo forent[2], in iram luctus vertit. Decem extemplo naves, et diebus post paucis decem alias, præfecto omnium Eudamo, miserunt; quem, aliis virtutibus bellicis haudquaquam Pausistrato parem, cautiorem, quo minus animi erat, ducem futurum credebant. Romani et Eumenes rex in Erythræam primum classem applicuerunt. Ibi noctem unam morati, postero die Corycum Teiorum promontorium tenuerunt[3]. Inde quum in proxima Samiæ vellent trajicere, non exspectato solis ortu, ex quo statum cæli notare gubernatores possent, in incertam tempestatem miserunt[4]. Medio in cursu, Aquilone in septemtrionem verso, exasperato fluctibus mari jactari cœperunt.

XIII. Polyxenidas, Samum petituros ratus hostes, ut se rhodiæ classi conjungerent, ab Epheso profectus, primo ad Myonnesum[1] stetit; inde ad Macrin (quam vocant) insulam trajecit, ut, prætervehentis

2. *Fraude capti a cive suo f.;* vid. cap. 10 pr. — *Vertit*, scilicet, se, pro *vertitur*, ut sexcenties apud Nostrum notandum est: vide ad II, 62, n. 4, et præsertim ad II, 3, n. 2. Ed. — *Præfecto omnium Eudamo*, qui a Rhodiis suffectus est Pausistrato, et sub cujus imperio fuisse Pamphilidam (vid. XXXVII, 22), probabile fit ex XXXVII, 23 et 24. Hunc vero Pamphilidam successorem Pausistrato datum dicit Polyb. XXI, 5, ubi ejus ingenium et audacia laudantur. Cæterum *Eudamus* dorice dicitur, qui Εὔδημος Polyb. XXI, 5, 8, et Εὔδωρος, corrupte forsan, Appian. Syr. 27. — *In Erythræam* (ut XLIV, 28), sc. terram, ut XXXVI, 45. Τὴν Ἐρυθραίαν apud Strab. XIII, 644.

3. *Corycum Teiorum prom. tenuerunt;* vide ad I, 1, n. 8.

4. *In incertam tempestatem miserunt*, sc. classem seu se. — *Aquilone in septemtrionem verso:* nam *septemtriones venti*, ut apud Cic. ad Att. IX, 6, sunt Thrascias, Aparctias, Aquilo: at *septemtrio* ventus, ut sup. XXVI, 45, n. 4, κατ' ἐξοχὴν Aparctias, interjectus inter Thrasciam et Aquilonem, Gell. II, 22, *septemtrionarius;* Gron. Cf. Sen. Nat. Quæst. V, 16 (*A septemtrionali latere summus est Aquilo, medius Septemtrio, imus Thrascias*), et Vitruv. I, 6.

Cap. XIII. 1. *Ad Myonnesum;* Livius, infra cap. 27, *Myonnesum* promontorium inter Teum et Samum fuisse perhibet. Sed recte monent Drak.

Digitized by Google

classis si quas aberrantes ex agmine naves posset, aut postremum agmen opportune adoriretur. Postquam sparsam tempestate classem vidit, occasionem primo aggrediendi ratus, paulo post increbrescente vento et majores jam volvente fluctus, quia pervenire se ad eos videbat non posse, ad Æthaliam insulam trajecit, ut inde postero die Samum ex alto petentes naves aggrederetur. Romani, pars exigua, primis tenebris portum Samiæ desertum tenuerunt[2]: classis cætera, noctem totam in alto jactata, in eumdem portum decurrit. Ibi ex agrestibus cognito, hostium naves ad Æthaliam[3] stare, consilium habitum, utrum extemplo decernerent[4], an rhodiam exspectarent classem. Dilata re, ita enim placuit, Corycum, unde venerant, trajecerunt. Polyxenidas quoque, quum frustra stetisset, Ephesum rediit: tum romanæ naves vacuo ab hostibus mari Samum trajecerunt. Eodem et rhodia classis post dies paucos venit. Quam ut exspectatam esse appareret, profecti extemplo sunt Ephesum, ut aut decernerent navali certamine, aut, si detrectaret hostis pugnam (quod plurimum intererat ad animos civitatium), timoris confessionem exprimerent. Contra fauces portus instructa in frontem navium acie stetere. Postquam nemo adversus ibat, classe divisa, pars in salo ad ostium portus in ancoris

atque Doeringius, *Myonnesum* insulam esse inter Teon ac Lebedum Ioniæ maritimas urbes, auctore Strabone, XIV, 643. Ed.—*Ad Macrin insulam*, Icariam, Cycladem, quam nautæ *Macrin* appellavere. Confer cap. 28, et Eustath. ad Dionys. v. 520.

2. *Portum Samiæ desertum tenuerunt*; vide ad I, 1, n. 8. *Samiæ*, sc. terræ, nisi leg. *Sami*.

3. *Ad Æthaliam* ins., quæ a Steph. et Eustath. inter Cycladas, a Mela et aliis inter Sporadas recensetur. Eam a Chio diversam fuisse, etsi hanc priseo nomine Æthaliam appellatam tradant Plin. V, 31 seu 38, et Steph., docet Duker.

4. *Utrum extemplo decernerent*; scil. *navali certamine*, quod infr. Livius addidit; vide ad XXI, 41, n. 2.

Digitized by Google

stetit; pars in terram milites exposuit. In eos, jam ingentem prædam late depopulato agro agentes, Andronicus Macedo[5], qui in præsidio Ephesi erat, jam mœnibus appropinquantes eruptionem fecit, exsutosque magna parte prædæ ad mare ac naves redegit. Postero die, insidiis medio ferme viæ positis, ad eliciendum extra mœnia Macedonem, Romani ad urbem agmine iere: inde, quum ea ipsa suspicio, ne quis exiret, deterruisset, redierunt ad naves; et, terra marique fugientibus certamen hostibus, Samum, unde venerat, classis repetit. Inde duas sociorum ex Italia, duas rhodias triremes cum præfecto Epicrate Rhodiorum[6] ad fretum Cephalleniæ tuendum prætor misit. Infestum id latrocinio Lacedemonius Hybristas cum juventute Cephallenum faciebat; clausumque jam mare commeatibus italicis erat.

XIV. Piræei L. Æmilio Regillo, succedenti ad navale imperium, Epicrates occurrit. Qui, audita clade Rhodiorum, quum ipse duas tantum quinqueremes haberet, Epicratem cum quatuor navibus in Asiam secum reduxit. Prosequutæ etiam apertæ Atheniensium naves[1] sunt. Ægeo mari trajecit. Eodem Timasicrates Rhodius cum duabus quadriremibus ab Samo nocte intempesta venit[2]; deductusque ad Æmilium,

5. *Andronicus Macedo*, etc. Nicander apud Appian. Syr. 25. — *Jam mœnibus appropinquantes;* posterius *jam* omittit Andreas: prius tamen delendum dicit Crever., quod probat Doeringius, merito addens, respondere apte posterius *jam* τῷ *appropinquantes*. Ed.

6. *Cum præfecto Epicrate Rhodiorum*, etc. immo *Epicrate Rhodio*, ut cap. 15: nam Eudamus, non Epicrates Rhodiorum erat præfectus (vid. cap. 12 et 15); sed duas italicas duasque rhodias triremes misit prætor, iisque præfecit hominem rhodium; Jac. Periz.

Cap. XIV. 1. *Apertæ Atheniensium naves;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Ægeo mari trajecit*, ante vel post *trajecit* excidit *Chium;* Duk. et Crev. — Omissionis ejusdem generis jam animadvertimus exemplum ad lib. XXXVI, 45, n. 3. Ed.

2. *N. int. venit;* vid. XXV, 9, n. 8.

Digitized by Google

fecerunt. Rhodum ut est ventum, simul et, ad quam rem missus esset, iis exposuit, et consuluit eos. Approbantibus cunctis, et ad eam, quam habebat, classem assumptis tribus quadriremibus, navigat Patara. Primo secundus ventus ad ipsam urbem ferebat eos, sperabantque, subito terrore aliquid moturos. Postquam, circumagente se vento, fluctibus dubiis volvi cœptum est mare[2], pervicerunt quidem remis, ut tenerent terram: sed neque circa urbem tuta statio erat, nec ante hostium portus in salo stare poterant, aspero mari, et nocte imminente. Prætervecti mœnia portum Phœnicunta, minus duum millium spatio inde distantem, petiere[3], navibus ab maritima vi tutum; sed altæ rupes insuper imminebant, quas celeriter oppidani, assumptis regiis militibus, quos in præsidio habebant, ceperunt. Adversus quos Livius, quanquam erant iniqua ac difficilia ad exitus loca, Issæos auxiliares et Smyrnæorum expeditos juvenes misit. Ii, dum missilibus primo, et adversus paucos levibus excursionibus lacessebatur magis quam consereba-

Crio, promontorium; *Cous*, hodie *Lango*, a popularibus asiaticis et italis, francico (ut aiunt) sermone, nuncupantur. Ed.

2. *Fluctibus dubiis volvi mare;* vide ad Tacit. Ann. II, 23, n. 4. — *Ante hostium portus;* immo *a. ostium p.* nam ante unius urbis Patarorum portum stabat romana classis, eaque urbs unico tantum portu instructa fuisse videtur: certe cap. seq. Livius Patarorum *portum* num. sing. memorat; Drakenb.

3. *Prætervecti mœnia*, Patara, *portum Phœnicunta, minus duum millium* passuum *spatio inde distantem, petiere,* adeoque portum Lyciæ, diversum ab eo, qui XXXVI, 45, n. 4, memoratur. *Phœnicunta* ex cod. Mog. edidit Aldus. In reliquis MSS et edd. antt. *petitum, Penicum, Pœnicum, Phœnicum, Phœnichum.* Nota Jac. Gron. est: « Cur græcissante terminatione? nec *Phœnicuntem*, ut XXXVI, 45? Olympo Lyciæ oppid. adjacere montem cognominem, qui et *Phœnicus* dicatur, docet Strabo, XIV, 666. Sed quanta distantia a Livio adscribitur? Forte leg. *Phellum.* Scylax: Ποταμὸς Ξάνθος, δι' οὗ ἀνάπλους εἰς Πάταρα πόλιν, καὶ λιμένα ἔχει. Φέλλος πόλις καὶ λιμήν. Similia testatur Strabo ». Non male: nam Strabo quidem l. l. dicit ἐν τῇ μεσογαίᾳ Φέλλος καὶ Ἀντίφελλος, sed Ptol. V, 3, Phellum mediterraneam, Antiphellum ma-

Digitized by Google

tur pugna [4], sustinuerunt certamen : postquam plures ab urbe affluebant, et jam omnis multitudo effundebatur, timor incessit Livium, ne et auxiliares circumvenirentur, et navibus etiam ab terra periculum esset. Ita non milites solum, sed etiam navales socios, remigum turbam, quibus quisque poterat telis, armatos in prælium eduxit. Tum quoque anceps pugna fuit; neque milites solum aliquot, sed L. Apustius tumultuario prælio cecidit. Postremo tamen fusi fugatique sunt Lycii, atque in urbem compulsi; et Romani cum haud incruenta victoria ad naves redierunt. Inde in Telmissicum profecti sinum [5], qui latere uno Cariam, altero Lyciam contingit, omissa Patara amplius tentandi spe [6], Rhodii domum dimissi sunt. Livius, prætervectus Asiam, in Græciam transmisit, ut, conventis Scipionibus, qui tum circa Thessaliam erant, in Italiam trajiceret.

XVII. Æmilius, postquam omissas in Lycia res, et Livium profectum in Italiam cognovit, quum ipse ab Epheso, repulsus tempestate, irrito incepto Samum revertisset, turpe ratus, tentata frustra Patara esse,

ritimam urbem fuisse; Drakenborch.

4. *Lacessebatur magis*, movebatur, *quam conserebatur pugna;* vide ad Sil. I, 680, et Heyn. ad Virg. Æn. X, 10. — *Navales socios, remigum turbam.* Ultimas voces *remigum turbam* sapere glossema dicit Crev., nisi legatur *et remigum turbam*, quia interdum navales socii distinguuntur a remigibus, ut probasse se affirmat in not. ad XXI, 49. De cætero conf. ad IX, 38, n. 1, ubi plura de sociis navalibus exponuntur. Ed.

5. *In Telmissicum sinum*, al. *Telmessicum*, ad maritimum Cariæ vel extremum Lyciæ oppidum, quod *Telmessus* dicitur, Τελμησσὸς Plin. V, 27 seu 29; Cic. Div. I, 11, 41, 42; Mel. I, 15, et Ptol. V, 3, sed Τελμισσὸς Strab. XIV, pag. 665; Polyb. XXII, 27, § 8, 10, et Plin. V, 29, ubi Hard. conj. *Telmisus*, ut *Telmessus* sit Lyciæ et *Telmisus* Cariæ opp. Confer ad lib. XXXVIII, 15, n. 2; Huschke Anal. Crit. pag. 209, et Spanhem. de usu et pr. num. IX, 563, qui ubivis *Termessus* scribendum contendit, quam tamen Pisidiæ vel Pamphyliæ urbem a Telmisso diversam fuisse putabat Drak.

6. *Patara tentandi spe;* vide ad IX, 35, n. 1, et XXXV, 49, n. 7.

Digitized by Google

proficisci eo tota classe, et summa vi aggredi urbem statuit. Miletum et cæteram oram sociorum prætervecti, in Bargylietico sinu[1] exscensionem ad Jassum fecerunt. Urbem regium tenebat præsidium; agrum circa Romani hostiliter depopulati sunt. Missis deinde, qui per colloquia principum et magistratuum tentarent animos, postquam nihil in potestate sua responderunt esse[2], ad urbem oppugnandam ducit. Erant Jassensium exsules cum Romanis: ii frequentes Rhodios orare institerunt[3], *Ne urbem, et vicinam sibi, et cognatam, innoxiam perire sinerent. Sibi exsilii nullam aliam causam esse, quam fidem erga Romanos. Eadem vi regiorum, qua ipsi pulsi sint, teneri eos, qui in urbe maneant. Omnium Jassensium unam mentem esse, ut servitutem regiam effugerent*[4]. Rhodii, moti precibus, Eumene etiam rege[5] assumpto, simul suas necessitudines commemorando, simul obsessæ regio præsidio urbis casum miserando, pervice-

Cap. XVII. 1. *In Bargylietico sinu* seu Jassio, *ad Jassum*, opp. Cariæ, ut αἱ Βαργυλίαι seu τὰ Βάργυλα et ἡ vel τὰ Βαργύλια, unde ὁ Βαργυλιήτικος seu Ἰάσσιος κόλπος, et Βαργυλιῆται. Conf. Strab. XIV, pag. 654, 658; Plin. V, 29; Mel. I, 16; Ptol. V, 2; Polyb. XVI, 12 et 24; XVII, 2 et 8; XVIII, 27, 31, 33; Berkel. ad Steph., Duk. et Drak. ad h. l.

2. *Postquam nihil in potestate sua responderunt esse;* scilicet Jassensium urbs sui juris non erat, ob regium præsidium, quod quidem rursum paulo post docet Noster, *ut servitutem regiam effugerent;* nec multo inferius: *obsessæ regio præsidio urbis casum miserando*. Ed. — *Ad urbem oppugnandam ducit;* vide supra ad lib. I, cap. 23, n. 4.

3. *Rhodios orare institerunt;* vide ad XXIV, 26, n. 7. — *Urbem cognatam*, quatenus, ut exposuit Doering. Rhodii pariter ac Jassenses, originem suam ab Atheniensibus repetebant. Vid. inf. n. 5. Ed.

4. *Ut servitutem regiam effugerent,* docte pro *effugere vellent* (quod e cod. Mogunt. Aldus et alii recepere), ut XXIII, 19, *importaret;* XXV, 33, *retinerent;* XXXV, 45, *bellarent;* XXXVIII, 11, *recepissent;* quibus locis male quidam *importare vellet*, *retinere vellent*, etc. Gron. Conf. ad III, 21, n. 3.

5. *Eumene etiam rege assumpto*, secum juncto, tanquam deprecatore. — *Suas necessitudines*, ut paulo ante *urbem cognatam*. Conf. Polyb. XVI, 12; XVII, 2, 8; XVIII, 27.

Digitized by Google

runt, ut oppugnatione absisteretur. Profecti inde, pacatis cæteris, quum oram Asiæ legerent[6], Loryma (portus adversus Rhodum est) pervenerunt. Ibi in principiis sermo primo inter tribunos militum secretus oritur, deinde ad aures ipsius Æmilii pervenit, abduci classem ab Epheso, ab suo bello[7], ut ab tergo liber relictus hostis in tot propinquas sociorum urbes omnia impune conari posset. Movere ea Æmilium, vocatosque Rhodios quum percunctatus esset, utrumnam Pataris universa classis in portu stare posset, quum respondissent, non posse; causam nactus omittendæ rei, Samum reduxit naves.

XVIII. Per idem tempus Seleucus, Antiochi[1] filius, quum per omne hibernorum tempus exercitum in Æolide continuisset, partim sociis ferendo opem, partim, quos in societatem perlicere non poterat, depopulandis, transire in fines regni Eumenis, dum is procul ab domo cum Romanis et Rhodiis Lyciæ maritima oppugnaret, statuit. Ad Elæam primo infestis signis accessit[2]; deinde, omissa oppugnatione urbis, agros hostiliter depopulatus, ad caput arcemque regni Pergamum ducit oppugnandum[3]. Attalus primo, sta-

6. *Quum oram Asiæ legerent;* vide ad XXI, 51, n. 6. — *Loryma*, hod. *Maxi.* — *In principiis*, sc. castrensibus. Conf. ad VII, 12, n. 6. Ed.

7. *Ab Epheso, ab suo bello;* vide ad XXV, 35, n. 2.

Cap. XVIII. 1. *Seleucus Antiochi filius;* vide ad XXV, 35, n. 1. — Hic malle videtur Doering. *Seleucus Antiochi*, omissa voce *filius*. « Quum hæc vox, inquit, sive quod adscripta esset margini, sive quod ignoraretur hic usus loquendi, in multis locis importata potius in textum ab imperitis librariis, quam ab iis omissa esse videatur, id quoque in eo loco statuere licet. » Ed. — Mox pro *dum oppugnaret* forte leg. *quum o.* vel *dum oppugnat;* Drak.

2. *Infestis signis accessit*, vide ad I, 13, n. 2.

3. *Ad caput arcemque regni Pergamum ducit o.;* vide ad I, 23, n. 4; III, 45, n. 9; IV, 31, n. 8. — *Oppugnandam* in vett. libris quibusdam legitur. Jure *oppugnandum* Sigonius edidit. Quum enim *oppugnandam*, ad proximam tantum vocem *arcem*, *oppugnandum* tam ad nomen remotius *caput*, quam ad *Pergamum* refertur,

Digitized by Google

tionibus ante urbem positis et excursionibus equitum levisque armaturæ, magis lacessebat quam sustinebat hostem: postremo, quum, per levia certamina expertus nulla parte virium se parem esse, intra mœnia se recepisset, obsideri urbs cœpta est. Eodem ferme tempore et Antiochus, ab Apamea profectus, Sardibus primum, deinde, haud procul Seleuci castris, ad caput Caici amnis stativa habuit cum magno exercitu mixto variis ex gentibus. Plurimum terroris in Gallorum mercede[4] conductis quatuor millibus erat. Hos, paucis admixtis, ad pervastandum passim Pergamenum agrum misit. Quæ postquam Samum sunt nuntiata, primo Eumenes, avocatus domestico bello, cum classe Elæam petit; inde, quum præsto fuissent equites peditumque expediti, præsidio eorum tutus, prius quam hostes sentirent, aut moverentur, Pergamum contendit. Ibi rursus levia per excursiones prælia fieri cœpta, Eumene summæ rei discrimen haud dubie detrectante. Paucos post dies romana rhodiaque classis, ut regi opem ferrent, Elæam ab Samo venerunt. Quos ubi exposuisse copias[5] Elææ, et tot classes in unum convenisse portum, Antiocho allatum est, et sub idem tempus audivit, consulem cum exercitu jam in Macedonia esse, pararique, quæ ad transitum Hellesponti opus essent; tempus venisse ratus, prius quam terra marique simul urgeretur, agendi de pace, tumulum quemdam adversus Elæam castris cepit. Ibi peditum omnibus copiis relictis, cum equitatu (erant autem sex millia equitum[6]) in cam-

ut observat Doering. — *Caici amnis;* flumen Mysiæ Caicus, hod. *Castri.* Ed.

4. *In Gallorum mercede conductis,* etc. vide ad cap. 51, n. 5. — *Summæ rei discrimen haud dubie detrectante;* vide ad I, 9, n. 3; III, 5, n. 6, et VI, 17, n. 1.

5. *Quos ubi exposuisse cop. Elææ,* etc. conf. Polyb. XXI, 8.

6. *Cum equitatu (erant autem,* etc.)

Digitized by Google

pos sub ipsa Elææ mœnia descendit, misso caduceatore ad Æmilium, velle se de pace agere.

XIX. Æmilius, Eumene a Pergamo accito, adhibitis et Rhodiis, consilium habuit. Rhodii haud aspernari pacem[1] : Eumenes, *Nec honestum esse*, dicere, *eo tempore de pace agi; nec exitum rei imponi*[2] *posse.* « Qui enim, inquit, aut honeste, inclusi mœnibus et « obsessi velut, leges pacis accipiemus? aut cui rata « ista pax erit, quam sine consule[3], non ex auctori- « tate senatus, non jussu populi romani pepigerimus? « Quæro enim pace per te facta, rediturusne extem- « plo in Italiam sis, classem exercitumque deductu- « rus? an exspectaturus, quid de ea re consuli placeat, « quid senatus censeat, aut populus jubeat? Restat « ergo, ut maneas in Asia, et rursus in hiberna copiæ « reductæ, omisso bello, exhauriant commeatibus præ- « bendis socios; deinde (si ita visum sit iis, penes quos « potestas fuerit) instauremus novum de integro « bellum[4] : quod possumus, si ex hoc impetu rerum

sic hunc locum, ex vett. codd. lectione, *coequitaverant autem* Gelenium restituisse testatur et probat Drakenb. Ed. — *Erant autem sex millia equitum*, cod. Mog. *septem millia.* Parum interest, siquidem Polybius, ἱππεῖς πλείους ὄντας ἑξακισχιλίων memoret; Drak. — *Misso caduceatore, velle se*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10.

Cap. XIX. 1. *Æmilius, Eumene a Pergamo accito. . . Rhodii haud aspernari pacem: Eumenes*, etc. confer Polyb. XXI, 8.

2. *Nec exitum rei imponi posse*, γίγνεσθαι τὴν ἔκβασιν, sc. ἐκ τοῦ πολέμου, exitum belli, Polyb. ut III, 7, § 2. — *Obsessi velut :* nam Antiochus cum equitatu in campos sub ipsa Elaæ mœnia descenderat; vid. cap. 18 extr. — Male omisit *velut* Gronovius, quum esset urbs non *obsessa* proprie, sed *velut obsessa.* Ed.

3. *Aut cui rata ista pax erit, quam sine consule*, etc. recte : nam consul hoc anno fuit L. Scipio. Hinc pro ἀνθύπατον, proconsulem, ap. Polyb. lib. XXI, 8, § 11, Schweigh. conj. ὕπατον, vel αὐθύπατον, nomine eadem ratione formato ut αὐτοκράτωρ. — Pro *pepigerimus* in edd. vett. legitur *peragamus*, in Ald. et quibusdam MSS *peregerimus;* sed *peragere pacem* insolens dicendi genus Drak. et Doer. notant, dum apud Nostrum *pangere pacem, inducias, societatem*, sæpius occurrit. Vid. Drakenborch. ad hunc locum. Ed.

4. *Instauremus novum de integro*

Digitized by Google

« nihil prolatando remittitur, ante hiemem, diis vo-
« lentibus, perfecisse. » Hæc sententia vicit, responsumque Antiocho est, ante consulis adventum de pace agi non posse. Antiochus, pace nequidquam tentata, evastatis Elæensium primum, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, Adramytteum hostiliter itinere facto, petit agrum opulentum, quem vocant Thebes campum, carmine Homeri nobilitatum[5]. Neque alio ullo loco Asiæ major regiis militibus parta est præda. Eodem, Adramytteum, ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti, Æmilius et Eumenes venerunt.

XX. Per eosdem forte dies Elæam ex Achaia[1] mille pedites cum centum equitibus, Diophane omnibus his copiis præposito, accesserunt. Quos egressos navibus obviam missi ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt. Veterani omnes et periti belli erant, et ipse dux Philopœmenis, summi tum omnium Græcorum imperatoris, discipulus. Qui biduum simul ad quietem hominum equorumque, et ad visendas ho-

bellum; vide ad X, 29, n. 1. — *Evastatis Elæensium primum*, etc. legitur *evastandis* aut *vastandis* in Mog. et aliis codd. substituit Mod. *evastatis*, et recte. Evastavit enim Elæensium et Pergamenorum agros ipse Antiochus, non vero iis evastandis Seleucum filium reliquit. Conf. Drakenb. ad h. l. Ed. — *Adramytteum*, urbem Asiæ Minoris, in Mysiæ et Troadis finibus, hod. *Adramiti*. Ed.

5. *Agrum opulentum, quem vocant Thebes campum*, εἰς τὸ Θήβης καλούμενον πεδίον, Polyb. XXI, 8, § 13, et XVI, 1, § 7, ubi Vales. monet, Livium verba *carmine Homeri nobilitatum* de suo ac perperam addidisse, et Homerum quidem Thebes oppidi, Il. I, 366, et campi in Hymn. in Apoll. 228 meminisse, sed de agro Thebano in Græcia sito, loqui, neque hunc campum, post Trojana demum tempora ita cognominatum (vid. Strab. XIII, p. 612, al. 610 B.), memorare potuisse. Conf. Voss. ad Mel. I, 18. *Nobilitatam* pro *nobilitatæ* dictum putabat Jac. Gronov. (vide ad I, 1, n. 6); sed forte leg. *nobilitatæ* e cod. Lov. 1 cum J. Fr. Gron. et Drakenb. Mox vocem *Adramytteum* glossam olere monent Duk. et Crever. Omisit eam Sigon. — Sequitur Sigonii lectionem Doer. Ed.

Cap. XX. 1. *Elæam ex Achaia;* etc. conf. Polyb. XXI, 7, et Appian. Syr. 26.

Digitized by Google

stium stationes, quibus locis temporibusque accederent reciperentque sese, sumpserunt. Ad radices fere collis, in quo posita est urbs, regii succedebant[2]. Ita libera ab tergo populatio erat, nullo ab urbe, ne in stationes quidem qui procul jacularetur, excurrente. Postquam semel compulsi metu se mœnibus incluserunt, contemptus eorum, et inde negligentia apud regios oritur. Non stratos, non infrenatos magna pars habebant equos[3]. Paucis ad arma et ordines relictis, dilapsi cæteri sparserant se toto passim campo, pars in juvenales lusus lasciviamque versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati. Hæc Diophanes ex alta urbe Pergamo contemplatus, arma suos capere, et ad jussa præsto esse jubet; ipse Attalum adiit, et in animo sibi esse dixit, hostium stationem tentare[4]. Ægre id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adversus trecentos, mille peditibus cum quatuor millibus pugnaturum cerneret, porta

2. *Regii succedebant*, Antiochi milites. Conf. cap. 18 f.

3. *Non stratos* ephippiis, *non infrenatos... equos;* conf. not. 7, et ad XXI, 44, n. 1. — Usus est quoque Virgilius verbo *infrenare* eodem sensu quo *frenare*, Æn. lib. XII, vs. 287: « infrenant alii currus ». Vid. præterea Plin. IX, 31, et XXXII, 1. Ed. — *Somno etiam strati;* vide ad VII, 36, n. 1. — *Et ad jussa præsto esse jubet.* Edidit Crev. ex multorum MSS auctoritate, *et ad portam præsto esse jubet.* Forsan non hæc respuenda lectio, licet Mod. priori magnam inesse elegantiam statuat, quod quidem non se videre fatetur Drak. Quod ad nos attinet, hanc repetitionem *jussa, jubet,* non miramur. Ed.

4. *Hostium stationem tentare;* vide ad IX, 35, n. 1. Mox *Ægre id permittere Attalus* edd. ante Ald. non improb. Gron. cujus nota est: « Non abruptius ideo quod sequitur: *porta egressus.* Hujusmodi orationes defectæ, velut ad rei caput properantium et multum ingenio lectoris confidentium, mire decent historicos, et per se sunt valde amatæ Livio: quod qui non caperent, ingentem farraginem particularum et relativorum pronom. auctori nostro alleverunt ». Conf. ad II, 56, n. 1; XXV, 35, n. 3; XLIII, 15, n. 2. — *Quippe qui... pugnaturum cerneret.* Sic hujus loci explanandæ difficultas, *quippe qui cerneret* (Diophanem) *pugnaturum* (esse cum) *centum equitibus*, etc. (et cum) *mille peditibus*, etc. nisi forte malis legere ex Doer. conjectura, *pugnandum*, ut

Digitized by Google

egressus, haud procul statione hostium, occasionem opperiens, consedit. Et qui Pergami erant, amentiam magis, quam audaciam credere esse; et hostes, paulisper in eos versi, ut nihil moveri viderunt, nec ipsi quidquam ex solita negligentia, insuper etiam eludentes paucitatem [5], mutarunt. Diophanes quietos aliquamdiu suos, velut ad spectaculum modo eductos, continuit: postquam dilapsos ab ordinibus [6] hostes vidit, peditibus, quantum accelerare possent, sequi jussis, ipse princeps inter equites cum turma sua, quam posset effusissimis habenis, clamore ab omni simul pedite atque equite sublato, stationem hostium improviso invadit. Non homines solum, sed equi etiam territi, quum vincula abrupissent, trepidationem et tumultum inter suos fecerunt; pauci stabant impavidi equi: eos ipsos non sternere, non infrenare [7], aut ascendere facile poterant, multo majorem, quam pro numero equitum [8], terrorem Achæis inferentibus. Pedites vero ordinati et præparati sparsos per negligentiam et semisomnos prope adorti sunt: cædes passim fugaque per campos facta est. Diophanes, sequutus effusos, quoad tutum fuit, magno Achæorum genti decore parto (spectaverant enim e mœnibus Pergami non viri modo, sed feminæ etiam), in præsidium urbis rediit.

XXI. Postero die regiæ, magis compositæ et ordinatæ, stationes, quingentis passibus longius ab urbe posuerunt castra; et Achæi eodem ferme tempore,

sit: *pugnandum esse centum equitibus* (in tertio casu) *adversus trecentos*, etc. Ed.

5. *Insuper etiam eludentes paucitatem;* vide ad I, 36, n. 4.

6. *Dilapsos ab ordinibus hostes;* videndum supra ad librum XXII, cap. 2, n. 4.

7. *Non sternere* ephippiis, *non infrenare;* conf. not. 3.

8. *Majorem, quam pro numero equitum, terrorem;* vid. VII, 33, n. 2.

Digitized by Google

atque in eumdem locum processerunt. Per multas horas intenti utrimque velut jam futurum impetum exspectavere : postquam haud procul occasu solis redeundi in castra tempus erat, regii signis collatis abire[1] agmine, ad iter magis quam ad pugnam composito, cœpere. Quievit Diophanes, dum in conspectu eràntˇ. Deinde eodem, quo pridie, impetu in postremum agmen incurrit, tantumque rursus pavoris ac tumultus incussit, ut, quum terga cæderentur, nemo pugnandi causa restiterit : trepidantesque et vix ordinem agminis servantes in castra compulsi sunt. Hæc Achæorum audacia Seleucum ex agro Pergameno movere castra coegit. Antiochus postquam Romanos et Eumenem ad tuendum Adramytteum venisse audivit, ea quidem urbe abstinuit, depopulatus agros. Peræam inde, coloniam Mitylenæorum[2], expugnavit. Cotton et Corylenus et Aphrodisias et Crene primo impetu captæ sunt. Inde per Thyatira Sardes rediit. Seleucus, in maritima ora permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis romana cum Eumene Rhodiisque Mitylenen primo, inde retro, unde profecta erat, Elæam

Cap. XXI. 1. *Regii* (Antiochi milites) *signis collatis abire*, agminibus ordinibusve conjunctis seu densatis (conf. Cæs. Bell. Gall. II, 25; VII, 2); nisi leg. *conversis*, vel cum Ern. *convulsis*.

2. *Peræam inde, coloniam Mitylenæorum;* forsan caput Perææ regionis, de qua vide ad XXXII, 33, n. 7. Πολίχνιον apud Steph. *Pheream* multi codd. et edd. ante Frob. a. 1535. *Prohéream, Feream, et Peream, et Feream, et Ferream* reliqui MSS. *Eupatriam* conj. Jac. Gronov. quod est oppidum Lydiæ apud Steph., unde Εὐπάτριδες in nummo Vespas. apud Goltz. Thes. p. 214. An leg. *Perperenam* (vid. ad Plin. V, 32, et Strab. p. 607), vel *Ceramum* (vid. Plin. V, 29, et Strab. p. 656)? Mox pro *Crene* plerique MSS et edd. vett. *Prime, Prine, Prinne, Priene, Prienne.* — Duas fuisse dicunt *Aphrodisias* Angl. interpretes, a viro claro *Noel* citati, XXXVII, 44; quarum una, urbs Cariæ, hodie *Santa-Croce;* et altera, urbs Ciliciæ, hodie *San-Teodoro.* — *Crenen* in finibus Galatiæ sitam asserunt. Ed. — *Mitylenen*, hodie *Metelin.* Ed.—*Elæam*, urbem maritimam, ut observat Drak., regni Eumenis, quo Eumenes, romanaque et rhodia

Digitized by Google

rediit. Inde Phocæam petentes ad insulam, quam Bachium vocant (imminet urbi Phocæensium[3]), appulerunt, et, quibus ante abstinuerant templis signisque (egregie autem exornata insula erat), quum hostiliter diripuissent, ad ipsam urbem transmiserunt. Eam divisis inter se partibus quum oppugnarent, et viderent, sine operibus, armis scalisque capi non posse; missum ab Antiocho præsidium trium millium armatorum quum intrasset urbem, extemplo, oppugnatione omissa, classis ad insulam se recepit, nihil aliud quam depopulato circa urbem hostium agro[4].

XXII. Inde placuit Eumenem domum dimitti, et præparare consuli atque exercitui, quæ ad transitum Hellesponti opus essent; romanam rhodiamque classem redire Samum, atque ibi in statione esse, ne Polyxenidas ab Epheso moveret. Rex Elæam, Romani et Rhodii Samum redierunt. Ibi M. Æmilius, frater prætoris, decessit. Rhodii celebratis exsequiis, adversus classem, quam fama erat ex Syria venire, tredecim suis navibus, et una Coa quinqueremi, altera Gnidia, Rhodum, ut ibi in statione essent, profecti sunt. Biduo ante, quam Eudamus cum classe a Samo veniret, tredecim a Rhodo naves cum Pamphilida [1] præfecto adversus eamdem syriacam classem missæ, assumptis navibus quatuor, quæ Cariæ præsidio erant, oppugnantibus regiis, Dædala et quædam alia parva castella[2] obsidione exemerunt. Eudamum confestim exire

classis profecti erant, quum Seleucum Antiochi filium in agrum ejus irrupisse audirent, cap. 18; unde postea Adramytteum adnavigarunt, cap. 19, quo nunc rediisse dicuntur. Ed.

3. *Insula, quam Bachium* (al. *Bacchium* et *Bechium*) *vocant, imminet* Phocææ; vide ad III, 51, n. 3. *Bachina juxta Smyrnam* apud Plin. V, 31 seu 38.

4. *Nihil aliud quam depopulato agro;* vide ad II, cap. 8, n. 9.

Cap. XXII. 1. *Cum Pamphylida præfecto;* vide ad cap. 12, n. 2.

2. *Dædala et quædam alia parva castella:* pro *parva* multi MSS *per*

Digitized by Google

placuit. Additæ huic quoque sunt ad eam classem, quam habebat, sex apertæ naves. Profectus quum, quantum accelerare poterat, maturasset, ad portum, quem Megisten vocant[3], prægressos consequitur. Inde uno agmine Phaselidem quum venissent, optimum visum est, ibi hostem opperiri.

XXIII. In confinio Lyciæ et Pamphyliæ Phaselis[1] est: prominet penitus in altum, conspiciturque prima terrarum Rhodum a Cilicia petentibus, et procul navium præbet prospectum. Eo maxime, ut in obvio classi hostium essent, electus locus est. Cæterum, quod non providerunt, et loco gravi, et tempore anni[2] (medium enim æstatis erat), ad hoc insolito odore ingruere morbi vulgo, maxime in remiges, cœperunt. Cujus pestilentiæ metu profecti, quum præterveherentur Pamphylium sinum, ad Eurymedontem amnem appulsa classe, audiunt ab Aspendiis, ad Sidam jam hostes esse[3]. Tardius navigaverant regii, adverso tempore Etesiarum, quod velut statum Favoniis ventis esset[4]. Rhodiorum duæ et triginta quadriremes et

ea, et Thuan. *perrea;* unde Jac. Gronov. non male conj. *Perææ*, quam regionem *Cariæ* continentem fuisse monet. « Si quid mutandum, nihil hac conjectura verius videtur : nam *Peræa* erat illa regio, quam Rhodii in continenti insulæ suæ opposita possidebant, ἀρχὴ δὲ τὰ Δαίδαλα τῆς Ῥοδίας χωρίον, teste Strab. XIV, 651, quem et vide p. 664. » Drakenb. — *Dædala*, hod. *Urlie*. Ed. — *Sex apertæ naves;* vide ad XXII, 19, n. 4.

3. *Ad portum, quem Megisten vocant.* Megista insula et oppid. Lyciæ, cui haud dubie etiam portus fuit; vid. Ptol. V, 3; Scylax, p. 37; Plin. V, 31 seu 35, et Steph. — *Megista*, hodie *Strongullo*. Ed.

Cap. XXIII. 1. *In confinio Lyciæ et Pamphyliæ Phaselis*, etc. conf. Strab. XIV, pag. 666, et Hard. ad Plin. II, 106 seu 110, et V, 27 seu 26. — *Eo maxime;* vide ad I, 11, n. 6.

2. *Et loco gravi, et tempore anni;* vide ad III, 6, n. 2. — *Ad hoc insolito odore;* vide ad II, 23, n. 3. — *Eurymedontem*, flumen Pisidiæ, hodie *Zacuth*. Ed. — *Aspendiis*, populis Pamphiliæ, quorum urbs non procul ab ostio Eurymedontis; vid. infra, XXXVIII, 15. Ed.

3. *Ad Sidam jam hostes esse;* vide ad XXXV, 13, n. 3. — *Sida* hodie vocatur *Scandalor* aut *Chirisonda*. Ed.

4. *Adverso tempore Etesiarum, quod velut statum* tempus post cani-

Digitized by Google

quatuor triremes fuere[5]. Regia classis septem et triginta majoris formæ navium erat, in quibus tres hepteres et quatuor hexeres habebat[6]: præter has decem triremes erant. Et hi adesse hostes ex specula quadam cognovere. Utraque classis postero die luce prima, tanquam eo die pugnatura, e portu movit; et, postquam superavere Rhodii promontorium, quod ab Sida prominet in altum[7], extemplo et conspecti ab hostibus sunt, et ipsi eos viderunt. Ab regiis sinistro cornu[8], quod ab alto objectum erat, Hannibal, dextro Apollonius, purpuratorum unus, præerat; et jam in frontem directas habebant naves. Rhodii longo agmine veniebant. Prima prætoria navis Eudami erat; cogebat agmen Chariclitus; Pamphilidas mediæ classi præerat. Eudamus, postquam hostium aciem instructam et paratam ad concurrendum vidit, et ipse in altum evehitur, et deinceps, quæ sequebantur, servantes ordinem in frontem dirigere jubet. Ea res primo tumultum præbuit. Nam nec sic in altum evectus erat, ut ordo omnium navium ad terram explicari posset; et festinans ipse præpropere cum quinque solis navibus Hannibali occurrit. Cæteri, quia in frontem dirigere

culæ ortum *Favoniis ventis esset;* de quibus Aquilonibus statis vide ad Tacit. Ann. VI, 33, n. 6; Apollon. II, 527, 531, ubi confer. Schol. Schweigh. ad Polyb. IV, 44, § 6, et Heyn. Exc. II ad Virgil. Æn. III.

5. *Rhodiorum XXXII quadriremes et IV triremes fuere;* ex cap. præc. colligitur summa *XXXVIII* navium: sed quia hic nulla quinqueremis in classe rhodia memoratur, credi potest, et ex ea duas quinqueremes, Coam et Gnidiam, detractas, et alliquo, incertum ob quam causam, missas fuisse; Duk.

6. *In quibus tres hepteres et quatuor hexeres habebat;* vide ad XXIX, 9, n. 3. Verbum *habebat* adsutum videri pannum, monent Gron., Duker. et Crev. Conf. ad I, 56, n. 7. — *Et hi,* sc. regii: nam ad *regiam classem* cum respectu ad sensum referri potest; Jac. Periz.

7. *Ab Sida prominet in altum;* vide ad XXII, 20, n. 8.

8. *Ab regiis sinistro cornu,* h. e. regiorum sinistro cornu, vel *ab regiis* pro a parte regiorum, ut cap. 30, *ab Romanis LXXX naves pugnabant;* Drak. Conf. ad XXVII, 5, n. 4.

Digitized by Google

jussi erant, non sequebantur. Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat; trepidantibusque iis inter se, jam in dextro cornu adversus Hannibalem pugnabatur.

XXIV. Sed momento temporis et navium virtus, et usus rei maritimæ[1] terrorem omnem Rhodiis dempsit. Nam et in altum celeriter evectæ naves locum post se quæque venienti ad terram dedere; et, si qua concurrerat rostro cum hostium navi, aut proram lacerabat, aut remos detergebat[2], aut, libero inter ordines discursu prætervecta in puppim impetum dabat. Maxime exterruit hepteris regia, a multo minore rhodia nave uno ictu demersa. Itaque jam haud dubie dexterum cornu hostium in fugam[3] inclinabat. Eudamum in alto multitudine navium maxime Hannibal, cæteris omnibus longe præstantem, urgebat; et circumvenisset, ni, signo sublato ex prætoria nave (quo dispersam classem in unum colligi mos erat) omnes, quæ in dextro cornu vicerant, naves ad opem ferendam suis concurrissent. Tum et Hannibal, quæque circa eum erant naves, capessunt fugam; nec

Cap. XXIV. 1. *Et navium virtus, et usus rei maritimæ;* Clericus Art. Crit. III, 1, XII, 8, emend. *navalium*, sc. sociorum, quod nemo navibus virtutem et usum rei mar. tributurus sit. Sed *nautici*, non *navales*, ἐλλειπτικῶς pro sociis navalibus dicuntur; et multis rebus inanimis tribuitur *virtus*, quæ est omnis illa vis, omne illud, quo res hæ valent et aptæ sunt ad usum, ad quem vel natura vel arte factæ et comparatæ sunt: verba autem *et usus rei mar.* ad Rhodios pertinent, non ad naves; Duker. — Plurima hic Dukerus idem exempla affert veterum scriptorum, Cic. de Leg. I, 16; Plaut. Merc. III, 1, 133; Cat. cap. 1 de Re Rustica; Just. XI, 13, quæ absurdam omnino comprobant Cler. disputationem de verbo *virtutis*. Confer Drak. et Doer ad h. l. Ed.

2. *Aut remos detergebat;* vide ad XXVIII, 30, n. 7.

3. *Dextrum cornu hostium*, Rhodiorum, cui Eudamus præerat (ut sinistro Chariclitus, et dextro classis Antiochenæ Apollonius, sinistro Hannibal), *in fugam inclinabat:* et tamen mox Livius dicit, ei *omnes, quæ in dextro cornu vicerant naves*, opem tulisse. Hinc Periz. Anim. Hist. c. 8, pag. 336, et Drak. putabant, legen-

Digitized by Google

insequi Rhodii, ex magna parte ægris, et ob id celerius fessis remigibus, potuerunt. Quum in alto, ubi substiterant, cibo reficerent vires, contemplatus Eudamus hostes, claudas mutilatasque naves apertis navibus remulco trahentes[4], viginti paulo amplius integras abscedentes, e turri prætoriæ navis[5] silentio facto, « Exsurgite, inquit, et egregium spectaculum capessite oculis! » Consurrexere omnes, contemplatique trepidationem fugamque hostium, prope una voce exclamavere omnes, ut sequerentur. Ipsius Eudami multis ictibus vulnerata navis erat[6]. Pamphilidam et Chariclitum insequi, quoad putarent tutum, jussit. Aliquamdiu sequuti sunt: postquam terræ adpropinquabat Hannibal, veriti ne includerentur vento in hostium ora, ad Eudamum revecti, hepterem captam, quæ primo concursu icta erat, ægre Phaselidem pertraxerunt. Inde Rhodum, non tam victoria læti, quam alius alium accusantes, quod, quum potuisset[7], non omnis submersa, aut capta classis hostium

dum esse *quæ in altero cornu vicerant*, vel *quæ dextrum cornu vicerant:* posse etiam verba *in dextro cornu* ex margine in contextum invecta videri; sed potius Livium cornua confudisse. — Quam ultimam sententiam amplectitur Doer., eo magis, quod in eumdem errorem alibi se quoque induci passus est Livius, ut patet ex exemplis citatis ad VII, 15, n. 2. Ed.

4. *Hostes, claudas mutilatasque naves apertis navibus remulco trahentes;* vide ad I, 3, n. 8, XXII, 19, n. 4, et XXV, 30, n. 6. De *claudis navibus*, vide ad Tacit. Ann. II, 24, n. 6.

5. *E turri*, propugnaculo, *prætoriæ navis;* vide ad VI, 42, n. 7. Naves *turribus atque tabulatis allevatas* memorat Flor. IV, 11, n. 5. Confer Scheffer. de Re vehic. III, 1.

6. *Multis ictibus vulnerata navis*, ut cap. 30, et sic τραυματισθεισῶν τῶν νεῶν passim fit mentio apud Thucyd. Confer Burm. ad Valer. Flac. I, 480, et intpp. Polluc. I, 9, § 125. — *Hepterem captam, quæ primo concursu icta erat;* vel aliam hepterem intelligendam ait Crever. quam quæ initio prælii demersa dicitur, vel in illo priore loco *demersa* nihil aliud futurum, quam ita perforata, ut aquam acciperet, et paulum sideret. Quem ultimum sane sensum admittimus, quum nihil hic de duabus hepteribus agi fidem faciat. Ed.

7. *Quum potuisset*, scil. submergi aut capi omnis classis. *Potuissent* alii-

Digitized by Google

foret, redierunt. Hannibal, ictus uno prælio adverso, ne tum quidem prætervehi Lyciam audebat, quum conjungi veteri regiæ classi quam primum cuperet. Et, id ne ei facere liberum esset, Rhodii Chariclitum cum viginti navibus rostratis ad Patara et Megisten portum miserunt. Eudamum cum septem navibus maximis ex ea classe, cui præfuerat, Samum redire ad Romanos jusserunt, ut, quantum consilio, quantum auctoritate valeret, compelleret Romanos ad Patara oppugnanda.

XXV. Magnam lætitiam Romanis jam prius nuntius victoriæ, deinde adventus attulit Rhodiorum: et apparebat, si ea cura Rhodiis dempta esset[1], vacuos eos tuta ejus regionis maria præstaturos. Sed profectio Antiochi ab Sardibus, ne opprimerentur urbes maritimæ, abscedere custodia Ioniæ atque Æolidis prohibuit. Pamphilidam cum quatuor navibus tectis ad eam classem, quæ circa Patara erat, miserunt. Antiochus non civitatium modo, quæ circa se erant, contrahebat præsidia; sed ad Prusiam, Bithyniæ regem[2], miserat

— *Ictus uno prælio adverso*, fractus; vide ad I, 16, n. 2. *Victus* cod. Mog. Sed sic Livius non addidisset *adverso;* Drak. — *Ne tum quidem p. L. audebat*, verba absurda et corrupta, quasi clades accepta Hannibali animos facere debuisset ad peragendum inceptum; Crev. — Assentitur Crev. Doering, et vitium quod ille suspicatus est, tolli posse putat, si pro *audebat* legatur *ambigebat*. Nulli vero libri hanc firmant conjecturam. Ed.

Cap. XXV. 1. *Si ea cura Rhodiis d. esset.* Hæc verba *ea cura* refer ad expressam in fine præc. cap. cupiditatem, sc. ut Romani Patara oppugnarent, et sic hunc locum interpretare: et apparebat, si Romani oppugnarent Patara, Rhodios tum magna cura vacuos, præstaturos, etc. Cæterum recte Doer. videntur verba *et apparebat, si ea cura*, etc. parum cohærere cum proxime præcedentibus. Ed. — *Vacuos eos* ab hac cura, sc. hostibus; vide ad III, 40, n. 8. — *Sed profectio Antiochi... prohibuit;* vulgata lectio: *sed profecto Antiocho... prohibuerunt*, multo minus plana quam nostra, quæ de cætero non solum cod. Mogunt. sed pluribus aliis quos laudat Drak. confirmatur. Etsi legendum conjecerit Crev. *profectio* et *prohibuit*, non tamen ausus est ita edere. Ed. — *Cum quatuor navibus tectis;* vide ad XXII, 19, n. 4.

2. *Ad Prusiam, Bithyniæ regem*,

legatos literasque, quibus transitum in Asiam Romanorum increpabat: *Venire eos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis terrarum, nisi romanum, imperium esset. Philippum et Nabin expugnatos; se tertium peti. Ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes velut continens incendium pervasurum. Ab se gradum in Bithyniam fore, quando Eumenes in voluntariam servitutem concessisset.* His motum Prusiam literæ Scipionis consulis, sed magis ejus fratris Africani, ab suspicione tali averterunt; qui, præter consuetudinem perpetuam populi romani augendi omni honore regum sociorum majestatem, domesticis ipse exemplis Prusiam ad promerendam amicitiam suam compulit. *Regulos se acceptos in fidem in Hispania reges reliquisse. Masinissam non in patrio modo locasse regno, sed in Syphacis, a quo ante expulsus fuisset, regnum imposuisse; et esse eum non Africæ modo regum longe opulentissimum, sed toto in orbe terrarum cuivis regum vel majestate, vel viribus parem. Philippum et Nabin*[3], *hostes bello superatos ab T. Quintio, tamen in regno relictos. Philippo quidem anno priore etiam stipendium*[4] *remissum, et filium obsidem redditum: et quasdam civitates extra Macedoniam, patientibus romanis imperatoribus, recepisse eum. In eadem dignitate et Nabin futurum fuisse, nisi eum suus primo furor, deinde fraus Ætolorum absumpsisset.* Maxime confirmatus est animus regis, postquam ad eum C. Livius, qui prætor ante

etc. ad finem cap. conf. Polyb. XXI, 9. — *Se tertium peti*; vide ad XXVI, 7, n. 2.

3. *Philippum et Nabin*, quamvis *hostes*, etc.

4. *Philippo quidem anno priore etiam stipendium remissum*, immo hoc anno, quod jam Duk. monuit, a Scipionibus per Macedoniam transeuntibus in Asiam; vide Polyb. XX, 13; XXI, 9, et Appian. Syr. 23. Livius hujus rei primam nunc mentionem facit. — *Filium obsidem redditum*; vide ad XXXVI, 35, n. 6.

Digitized by Google

classi præfuerat, legatus ab Roma venit, et edocuit, quanto et spes victoriæ certior Romanis, quam Antiocho, et amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset.

XXVI. Antiochus, postquam a spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum ab Sardibus est profectus ad classem, quæ per aliquot menses instructa ac parata fuerat, visendam; magis quia terrestribus copiis [1] exercitum romanum et duos Scipiones imperatores videbat sustineri non posse, quam quod res navalis ipsa per se aut tentata sibi umquam feliciter, aut tunc magnæ et certæ fiduciæ esset. Erat tamen momentum in præsentia spei [2], quod et magnam partem rhodiæ classis circa Patara esse, et Eumenem regem cum omnibus navibus suis consuli obviam in Hellespontum profectum audierat. Aliquid etiam inflabat animos classis rhodia, ad Samum per occasionem fraude præparatam absumpta [3]. His fretus, Polyxenida cum classe ad tentandam omni modo certaminis fortunam misso, ipse copias ad Notium ducit (id oppidum Colophonium [4], mari imminens, abest a vetere Colophone duo ferme millia passuum); et ipsam urbem suæ esse potestatis volebat, adeo propinquam Epheso, ut nihil terra marive ageret, quod non subjectum oculis Colophoniorum, ac per eos notum extemplo Romanis esset; quos, audita obsidione, non dubitabat ad opem ferendam sociæ urbi classem a Samo moturos:

Cap. XXVI. 1. *Magis quia terrestribus copiis*, etc. conf. Polyb. XXI, 9 extr. cujus verba sunt minus obscura, nec bene a Livio expressa.

2. *Erat tamen momentum spei;* vide ad I, 47, n. 7.

3. *Classis rhodia, ad Samum... absumpta;* conf. cap. 10, 11.

4. *Ad Notium ducit, oppidum Colophonium* in Ionia, a Colophoniis habitatum, *quod abest a vetere Colophone*, etc. conf. XXXVIII, 39, cum Polyb. XXII, 27, § 4; Thucyd. III, 34, ibique Wasse et Cellar. Orb. Ant. III, 3, pag 78 seq. — Vett. editt. ferunt *abest vetere Colophone* præposi-

Digitized by Google

eam occasionem Polyxenidæ ad rem gerendam fore. Igitur, operibus oppugnare urbem[5] aggressus, et ad mare partibus duabus pariter munitionibus deductis, utrimque vineas et aggerem muro injunxit, et testudinibus arietes admovit. Quibus territi malis Colophonii oratores Samum ad L. Æmilium, fidem prætoris populique romani implorantes, miserunt. Æmilium et Sami segnis diu mora offendebat, nihil minus opinantem, quam Polyxenidam, bis nequidquam ab se provocatum, potestatem pugnæ facturum esse; et turpe existimabat, Eumenis classem adjuvare consulem ad trajiciendas in Asiam legiones, se Colophonis obsessæ auxilio, incertam finem habituro, alligari. Eudamus Rhodius, qui et tenuerat eum Sami, cupientem proficisci in Hellespontum, cunctique instare et dicere, *Quanto satius esse, vel socios obsidione eximere, vel victam jam semel classem iterum vincere, totamque mari possessionem hosti eripere, quam, desertis sociis, tradita Antiocho Asia terra marique, in Hellespontum, ubi satis esset Eumenis classis, ab sua parte belli discedere?*

XXVII. Profecti ab Samo ad petendos commeatus, consumptis jam omnibus, Chium parabant trajicere. Id erat horreum Romanis, eoque omnes ex Italia missæ onerariæ[1] dirigebant cursum. Circumvecti ab urbe ad aversa insulæ (objecta aquiloni ad Chium et

tionem *a* Moguntinos ex codice suo addidisse, consentientibus Lov. 2, 6, et Harles. testatur Drak. Affert simul multa Nostri exempla, in quibus præpositio cum qua verbum componitur, in regimine repetitur; XXX, 29, *quinque dierum iter a Carthagine abest;* XLII, 57, *mille passus abesset a castris;* XLV, 10, *viginti paulo amplius millia ab Rhodo abest.* Similiter *abripere a sinu*, III, 57; *avocari a bello*, XXII, 33. Ed. — *Mari imminens;* vid. III, 51, n. 3.

5. *Operibus oppugnare urbem;* vid. V, 22, n. 7. — *Et testudinibus arietes admovit;* vid. V, 5, n. 3.

Cap. XXVII. 1. *Missæ onerariæ;* vid. XXV, 27, n. 5.

Digitized by Google

Erythras sunt)[2], quum pararent trajicere, literis certior fit prætor, frumenti vim magnam Chium ex Italia venisse, vinum portantes naves tempestatibus retentas esse. Simul allatum est, Teios regiæ classi benigne commeatus præbuisse; quinque millia vasorum vini esse pollicitos. Teum ex medio cursu classem repente avertit, aut volentibus iis usurus commeatu parato hostibus[3], aut ipsos pro hostibus habiturus. Quum direxissent ad terram proras, quindecim ferme eis naves circa Myonnesum apparuerunt, quas primo ex classe regia prætor esse ratus, institit sequi[4]. Apparuit inde, piraticas celoces et lembos esse. Chiorum maritimam oram depopulati, cum omnis generis præda revertentes, postquam videre ex alto classem, in fugam verterunt: et celeritate superabant, levioribus et ad id fabrefactis navigiis, et propiores terræ erant. Itaque, prius quam appropinquaret classis, Myonnesum perfugerunt. Unde se a portu ratus abstracturum naves, ignarus loci sequebatur prætor. Myonnesus promontorium inter Teum Samumque est[5]. Ipse collis est in modum metæ in acutum cacumen a fundo satis

2. *Circumvecti ab urbe ad aversa insulæ (objecta aquiloni ad Chium et Erythras, sunt)*; vide ad XXVIII, 8, n. 4. Nota Gron. est: « Accipimus urbem, certe stationem navium, in insula Samo fuisse ad partem versam in meridiem. Βλέπει δὲ πρὸς νότον καὶ αὐτὴ καὶ ὁ λιμὴν ἔχων ναύσταθμον, Strab. XIV, p. 636. Unde profecti, ut Chium tenderent, necessario circumibant insulam, et cursum habebant *ad aversa* (quasi insulæ tergum: nam frontem imaginamur, ubi urbs est) *insulæ, aquiloni objecta*, quæ *ad*, contra, *Chium et Erythras* (insulas, ab austro objectam Samum habentes) *sunt*, spectant ».—*Vasorum*, intelligit Doer. vasa testacea, scilicet lagenas vel cados, ad coni inversi sive nucis pineæ fere formam affictos. Ed.

3. *Volentibus iis usurus commeatu p. hostibus*; vide ad XXI, 39, n. 4.

4. *Institit sequi*; vide ad XXIV, 26, n. 7. — *Celoces*; vide ad XXI, 17, n. 2. — *In fugam verterunt*; vide supra ad cap. 12, n. 2. Ed. — *Ad id fabrefactis*; vide ad I, 34, n. 5.

5. *Myonnesus promontorium inter Teum Samumque est*; *Lebedum* pro *Samum* aliqui conjecere, teste Drak. vide supra ad cap. 13, n. 1. Ed.— *In acutum cacumen...fastigatus* ex ed.

Digitized by Google

lato fastigatus : a continenti arctæ semitæ aditum habet : a mari exesæ fluctibus rupes claudunt; ita ut quibusdam locis superpendentia saxa plus in altum, quam, quæ in statione sunt, naves, promineant. Circa ea appropinquare non ausæ naves, ne sub ictu superstantium rupibus piratarum essent, diem trivere. Tandem, sub noctem vano incepto quum abstitissent, Teum postero die accessere; et, in portu, qui ab tergo urbis est (Geræsticum ipsi appellant), navibus constitutis, prætor ad depopulandum circa urbem agrum milites emisit.

XXVIII. Teii, quum in oculis populatio esset, oratores cum infulis et velamentis ad Romanum miserunt[1]. Quibus purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis[2] adversus Romanos, *et juvisse eos commeatu classem hostium* arguit, *et quantum vini Polyxenidæ promisissent: quæ si eadem classi romanæ darent, revocaturum se a populatione militem; sin minus, pro hostibus eos habiturum.* Hoc tam triste responsum quum retulissent legati, vocatur in concionem a magistratibus populus, ut, quid agerent, consultarent. Eo forte die Polyxenidas[3] cum regia

Rom. 1472, et XLIV, 9, ex unico MS et ed. pr. recepit Drakenb. pro *fastigiatus*. Conf. ad Sil. V, 50, XII, 356; Gron. ad Liv. I, 38; Duker. ad XLIV, 9; Perizon. ad Mel. I, 4. — *Superpendentia saxa :* nam quæ altissima sunt, videntur pendere. Conf. ad Sil. I, 1, 128, VI, 645; ad Juvenal. VI, 650, VII, 46.

Cap. XXVIII. 1. *Oratores cum infulis et velamentis ad Romanum miserunt;* vide ad II, 54, n. 6; III, 2, n. 3, et XXXII, 11, n. 4.

2. *Purgantibus civitatem* (vid. X, 13, n. 13, et inf. XLII, 14, ubi ea leguntur huic loco simillima : *is* (Harpalus), *velle quidem et laborare dixit regem, ut purgantibus se nihil hostile dixisse aut fecisse fides habeatur.* Ed.) *omnis facti dictique h.* causa, ἕνεκα, de eo. — *Revocaturum se,* sc. dixit; vide ad I, 33, n. 7.

3. *Eo forte die Polyxenidas,* etc. Vocem *die* inserui ex 7 MSS: Polyxenidam non puto profectum esse *eo*, id est, versus eam regionem, in qua tum Romani erant, neque a Colophone eo consilio movisse, ut Myonnesum aut Teum peteret, sed ut Romanos sequeretur, et cum iis prælium com-

Digitized by Google

classe a Colophone profectus, postquam movisse a Samo Romanos audivit, et, ad Myonnesum piratas persequutos, Teiorum agrum depopulari, naves in Geræstico portu stare, ipse adversus Myonnesum in insula (Macrin nautici vocant[4]) ancoras portu occulto jecit. Inde ex propinquo explorans, quid hostes agerent, primo in magna spe fuit, quemadmodum rhodiam classem ad Samum, circumsessis ad exitum faucibus portus, expugnasset, sic et romanam expugnaturum. Nec est dissimilis natura loci. Promontoriis coeuntibus inter se ita clauditur portus, ut vix duæ simul inde naves possint exire. Nocte occupare fauces Polyxenidas in animo habebat, et, denis navibus ad promontoria stantibus, quæ ab utroque cornu in latera exeuntium navium pugnarent, ex cætera classe, sicut ad Panormum fecerat[5], armatis in litora expositis, terra marique simul hostes opprimere. Quod non vanum ei consilium fuisset, ni, quum Teii facturos se imperata promisissent, ad accipiendos commeatus aptius visum esset Romanis, in eum portum, qui ante urbem est, classem transire. Dicitur et Eudamus Rhodius vitium alterius portus ostendisse, quum forte duæ naves in arcto ostio implicitos remos fregissent: et inter alia id quoque movit prætorem, ut traduceret classem, quod ab terra periculum erat, haud procul inde Antiocho stativa habente.

XXIX. Traducta classe ad urbem, ignaris[1] omnibus, egressi milites nautæque sunt ad commeatus et vinum maxime dividendum in naves; quum medio forte diei

mitteret; Crev. hinc *tempore* excidisse suspicabatur.

4. *In insula (Macrin nautici vocant)*; vid. cap. 13, n. 1. — *Rhodiam cl. ad Samum*, etc. cf. cap. 10, 11.

5. *Sicut ad Panormum fecerat*; vid. cap. 10, 11. — *Non vanum ei consilium fuisset*; vide ad I, 8, n. 3, et X, 29, n. 1.

Cap. XXIX. 1. *Ignaris omnibus*,

Digitized by Google

agrestis quidam, ad prætorem adductus, nuntiat, *alterum jam diem classem stare ad insulam Macrin, et paulo ante visas quasdam moveri, tanquam ad profectionem, naves.* Re subita perculsus prætor tubicines canere jubet, ut, si qui per agros palati essent, redirent; tribunos in urbem mittit ad cogendos milites nautasque in naves. Haud secus, quam in repentino incendio, aut capta urbe, trepidatur, aliis in urbem currentibus ad suos revocandos, aliis ex urbe naves cursu repetentibus; incertisque clamoribus (quibus ipsis tubæ obstreperent) turbatis imperiis, tandem concursum ad naves est. Vix suam quisque noscere, aut adire præ tumultu poterat; trepidatumque cum periculo et in mari et in terra foret, ni, partibus divisis, Æmilius, cum prætoria nave primus e portu in altum evectus, excipiens insequentes, suo quamque ordine in frontem instruxisset[2]; Eudamus rhodiaque classis substitissent ad terram, ut et sine trepidatione conscenderent, et, ut quæque parata esset, exiret navis. Ita et explicuere ordinem primæ in conspectu prætoris, et coactum agmen ab Rhodiis est; instructaque acies, velut cerneret regios, in altum processit. Inter Myonnesum et Corycum promontorium erant, quum hostem conspexere. Et regia classis, binis in ordinem navibus longo agmine veniens, et ipsa aciem adversam explicuit; tantum lævo evecta cornu, ut amplecti et circumire dexterum cornu Romanorum posset. Quod ubi Eudamus, qui cogebat agmen, vi-

sc. quum omnes, sive Romani, sive Rhodii, ignorarent Polyxenidam adversus Myonnesum in insula (Macrin quam nautici vocant) ancoras portu occulto jecisse. Vide ad med. cap. præced. Ed.

2. *In frontem instruxisset*, ut cap. 13; atque *in frontem dirigere* bis prodit cap. 23. *In fronte* in codd. Mog. et Gaertn. — *Turbatis imperiis*, hoc est, imperantium vocibus non jam per confusum murmur auditis. Ed. — *Coactum agmen*; videndum supra ad XXXII, 2, n. 4.

Digitized by Google

dit, non posse æquare ordinem Romanos[3], et tantum non jam circumiri a dextro cornu, concitat naves (et erant rhodiæ longe omnium celerrimæ tota classe); æquatoque cornu, prætoriæ navi, in qua Polyxenidas erat, suam objecit.

XXX. Jam totis classibus simul ab omni parte pugna conserta erat. Ab Romanis[1] octoginta naves pugnabant, ex quibus rhodiæ duæ et viginti erant. Hostium classis undenonaginta navium fuit, et maximæ formæ naves tres hexeres habebat[2], duas hepteres. Robore navium et virtute militum Romani longe regios præstabant; rhodiæ naves, agilitate et arte gubernatorum et scientia remigum. Maximo tamen hostibus terrori fuere, quæ ignes præ se portabant[3]; et quod unum iis ad Panormum circumventis saluti fuerat, id tum maximum momentum ad victoriam fuit. Nam metu ignis adversi regiæ naves, ne prora concurrerent, quum declinassent, neque ipsæ ferire ro-

3. *Quod ubi Eudamus vidit, non posse æquare ordinem Romanos;* vide ad III, 62, n. 6, et VI, 8, n. 2. — Exhibent vett. quædam edd. *exæquare* pro *æquare*. Sed omnes veteres codd. nostram confirmant lectionem. Ed.— *Et erant rhodiæ, longe omnium*, etc. Post *rhodiæ* in pluribus edd. additur *naves*, cujus vocis ingratam repetitionem damnat Creverius. Hanc expunxit Drakenb. quod in plurimis codicibus deest. Ed.

Cap. XXX. 1. *Ab Romanis*, a parte Romanorum (vide ad cap. 23, n. 8, et ad XXVII, 5, n. 4), *LXXX naves pugnabant*, etc. ad fin. cap. conf. Appian. Syr. 27, qui in numero navium et in tota pugnæ descriptione (ut et in illa pugnæ Rom. cum Antiocho, inf. cap. 39 sq. coll. Appian. Syr. 31 sq. et sæpe in aliis rebus), passim a Livio discrepat, alios sequutus auctores.

2. *Maximæ formæ naves tres hexeres;* vid. cap. 23, n. 5. Voc. *naves* insititium videtur; Gron. — *Rhodiæ naves*. Ante Gelen. legebatur *regiæ naves*. Ille e Mogunt. codice hodiernam eruit lectionem, quam Perizon. admisit, et jure; regii nempe, ut jam exposuit Livius, tantum superiores erant navium numero. Ed.

3. *Quæ ignes præ se portabant*, etc. conf. cap. 11, et ibi not. 7. — *Momentum*, etc. vide ad I, 47, n. 7, et III, 27, n. 6. — *Adversi*, forte *adversas*, sc. rhodias, ignem portantes; Gron. Possis et ex MSS Voss. legere *adversæ*, obviæ, occurrentes, vel *aversæ*, quæ declinarant, ne prora

Digitized by Google

stro hostem poterant, et obliquas se ipsæ ad ictus præbebant: et, si qua concurrerat, obruebatur infuso igni; magisque ad incendium, quam ad prælium, trepidabant. Plurimum tamen, quæ solet, militum virtus in bello valuit. Mediam namque aciem hostium Romani quum rupissent, circumvecti ab tergo pugnantibus adversus Rhodios regiis sese objecere; momentoque temporis et media acies Antiochi, et lævo in cornu circumventæ naves mergebantur. Dextera pars integra sociorum magis clade, quam suo periculo terrebatur. Cæterum, postquam alias circumventas, prætoriam navem Polyxenidæ, relictis sociis, vela dantem videre, sublatis raptim dolonibus[4] (et erat secundus petentibus Ephesum ventus) capessunt fugam, quadraginta duabus navibus in ea pugna amissis, quarum decem et tres[5] captæ in potestatem hostium venerunt, cæteræ incensæ, aut demersæ. Romanorum duæ naves fractæ sunt, vulneratæ aliquot. Rhodia una capta memorabili casu. Nam, quum rostro percussisset Sidoniam navem, ancora, ictu ipso excussa e nave sua, unco dente, velut manu ferrea injecta[6], alligavit alterius proram: inde tumultu injecto, quum, divellere se ab hoste cupientes, inhiberent Rhodii[7], tractum

concurrerent; Drak. qui tamen vulgatum non improbabat. — *Obliquas se ipsæ ad ictus præbebant*, ἐς τὰς ἐπωτίδας ἐτύπτοντο (h. e. percutiebantur rostris hostilium navium ab utroque proræ latere, unde ἐπώτιδες, trabes tabulæve crassiores aurium instar prominebant ad eludendos rostrorum ictus) Appian. l. l. vid. Schweigh.

4. *Sublatis raptim dolonibus*, etc. vid. XXXVI, 44, n. 1.

5. *XLII navibus in ea pugna amissis* (*XXIX* apud Appian. Syr. 27), *quarum XIII captæ;* ita et apud Appian., sed *LXII* infra XL, 52 extr. ubi itaque leg. *captæ XIII*, nisi malis *XLII*, ut *captæ* dicantur omnes naves, hostibus ereptæ: nam magis ad laudem Æmilii pertinebat, majorem harum, quam minorem illarum numerum in triumphali tabella memorari. — *Vulneratæ aliquot;* vide supra ad cap. 24, n. 6.

6. *Velut manu ferrea injecta;* vide ad XXIV, 34, n. 6.

7. *Inhiberent Rhodii*, prohiberent.

Digitized by Google

ancorale et implicitum remis latus alterum detersit, et debilitatam ea ipsa, quæ icta cohæserat, navim cepit. Hoc maxime modo ad Myonnesum navali prælio pugnatum est.

XXXI. Quo territus Antiochus, quia, possessione maris pulsus, longinqua tueri diffidebat se posse, præsidium ab Lysimachia, ne opprimeretur ibi ab Romanis, deduci pravo, ut res ipsa postea docuit, consilio jussit. Non enim tueri solum Lysimachiam a primo impetu Romanorum facile erat, sed obsidionem etiam per totam hiemem tolerare, et obsidentes quoque ad ultimam inopiam adducere extrahendo tempus[1], et interim spem pacis per occasiones tentare. Nec Lysimachiam tantum hostibus tradidit post adversam navalem pugnam, sed etiam Colophonis obsidione abscessit, et Sardes recepit se; atque inde in Cappadociam ad Ariarathen, qui auxilia arcesserent, et quocumque alio poterat[2] ad copias contrahendas, in unum jam consilium, ut acie dimicaret, intentus, misit. Regillus Æmilius[3], post victoriam navalem profectus Ephesum, directis ante portum navibus, quum confessionem concessi maris ultimam hosti expressisset, Chium, quo ante navale prælium

Cf. ad XXVI, 39, n. 8. — *Tractum ancorale et implicitum remis latus alterum detersit;* vide ad XXVIII, 30, n. 7. *Ancorale,* ut XXII, 19, n. 6, scil. vinculum seu strophium, ut apud Apul. Metam. XI, p. 265, ed. Elmenh. Sensum h. l. jam bene exposuit Gron. « Ancorale (sc. retinaculum, h. e. funis ancoralis, ut *hastile* sc. lignum), excussa ancora in navem hosticam Sidoniam, quum in puppem remigarent Rhodii, tractum ab ancora inde religata, et, dum properopere et tumultuose evolvitur, magna parte delapsum in mare ab latere uno navis, atque ita *implicitum remis* ejusdem, id ipsum *latus detersit,* claudamque navem fecit. »

Cap. XXXI. 1. *Extrahendo tempus;* vid. II, 61, n. 6; IV, 43, n. 6.

2. *Quocumque alio poterat,* scilic. mittere legatos.

3. *Regillus Æmilius;* vide ad III, 1, n. 1. — *Confessionem concessi maris* (imperii maris), etc. vide ad X, 24, n. 10, et XXI, 40, n. 2.

Digitized by Google

cursum a Samo intenderat, navigat. Ibi naves in prælio quassatas quum refecisset, L. Æmilium Scaurum cum triginta navibus Hellespontum ad exercitum trajiciendum misit; rhodias, parte prædæ et spoliis navalibus decoratas, domum redire jubet. Rhodii impigre prævertere[4], ad trajiciendasque copias consulis iere; atque, eo quoque functi officio, tum demum Rhodum rediere. Classis romana ab Chio Phocæam trajecit. In sinu maris intimo posita hæc urbs est, oblonga forma. Duum millium et quingentorum passuum spatium murus amplectitur: coit deinde ex utraque parte in arctiorem velut cuneum, Lamptera ipsi appellant. Mille et ducentos passus ibi latitudo patet: inde in altum lingua mille passuum excurrens[5] medium fere sinum velut nota distinguit; ubi cohæret faucibus angustis, duos in utramque regionem versos portus tutissimos habet. Qui in meridiem vergit, ab re appellant Naustathmon[6], quia ingentem vim navium capit: alter prope ipsum Lamptera est.

XXXII. Hos portus tutissimos quum occupasset romana classis; prius quam aut scalis, aut operibus mœnia aggrederetur, mittendos censuit prætor, qui principum magistratuumque animos tentarent[1]. Post-

4. *Rhodii impigre prævertere*, prævenere naves Scauri, vel ad Hellespontum. — *Lamptera*, a græco nomine λαμπτὴρ, lucerna. Sic vocatus hic locus videtur, ex alta turri, e qua per lucernam vel ignem ardentem signum noctu navigantibus dabatur. Ed.

5. *In altum*, mare, *lingua excurrens;* vide ad XXII, 20, n. 8. *Lingua*, ut XLIV, 11 (*Erdzunge*), quæ tribuitur promontoriis, ut *labia* fluviis, *brachia* mari (sed et flumini XLIV, 35 extr.), *supercilia* montibus. Conf. ad XXVII, 18, not. 5; Intpp. Ovid. Met. XIII, 724; Gron. Diatr. Stat. cap. 27, et Ernesti Glossar. Ammian. voc. *lingua*. — *Ubi cohæret faucibus angustis*, eo loco scil., ubi per fauces angustas Lampteri cohæret. Ed.

6. *Ab re* portum *appellant Naustathmon*, τὸν vel τὸ ναύσταθμον, navale, navium stationem. Conf. Duk. ad Thucyd. III, 6.

Cap. XXXII. 1. *Magistratuum animos tentarent;* vide ad IX, 35, n. 1.

Digitized by Google

quam obstinatos vidit, duobus simul locis oppugnare est adortus. Altera pars infrequens ædificiis erat; templa deum aliquantum tenebant loci. Ea prius ariete admoto quatere muros turresque cœpit : deinde, quum eo multitudo occurreret ad defendendum [2], altera quoque parte admotus aries; et jam utrimque sternebantur muri. Ad quorum casum quum impetum romani milites per ipsam stragem ruinarum facerent, alii scalis etiam ascensum in muros tentarent, adeo obstinate restiterunt oppidani, ut facile appareret, plus in armis et virtute quam in mœnibus, auxilii esse. Coactus ergo periculo militum prætor receptui cani jussit, ne objiceret incautos furentibus desperatione ac rabie. Dirempto prælio, ne tum quidem ad quietem versi; sed undique omnes ad munienda et obmolienda [3], quæ ruinis strata erant, concurrerunt. Huic operi intentis supervenit Q. Antonius, a prætore missus, qui, castigata pertinacia eorum, *Majorem curam Romanis, quam illis*, ostenderet, *esse, ne in perniciem urbis pugnaretur: si absistere furore vellent, potestatem iis dare eadem conditione, qua prius C. Livii in fidem venissent, se tradendi* [4]. Hæc quum audissent, quinque dierum spatio ad deliberandum sumpto, tentata interim spe auxilii ab Antiocho, postquam legati missi ad regem, nihil in eo esse præsidii retulerant, tum portas aperuerunt, pacti ne quid hostile paterentur. Quum signa in urbem inferrentur, et pronuntiasset prætor, parci se deditis velle, clamor

— *Infrequens ædificiis;* vide supra ad X, 11, n. 3.

2. *Occurreret ad defendendam;* vide ad XXI, 61, n. 1.

3. *Ad munienda et obmolienda*, etc. vid. XXXIII, 5, n. 4.

4. *Potestatem iis dare* (forte *dari;* Jac. Periz.) *eadem condit. qua prius C. Livii..., se tradendi;* de hoc nihil diserte scriptum est lib. XXXVI, nisi quod eos anno superiore Romanorum partis fuisse ex cap. 45 liquet; Duk.

Digitized by Google

undique est sublatus, *indignum facinus esse, Phocæenses nunquam fidos socios, semper infestos hostes, impune eludere*. Ab hac voce [5], velut signo a prætore dato, ad diripiendam urbem passim discurrerunt. Æmilius primo resistere et revocare, dicendo, *captas, non deditas, diripi urbes; et in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum*. Postquam ira et avaritia imperio potentiora erant, præconibus per urbem missis, liberos omnes in forum ad se convenire jubet, ne violarentur; et in omnibus, quæ ipsius potestatis fuerunt [6], fides constitit prætoris. Urbem agrosque et suas leges iis restituit; et, quia jam hiems appetebat, Phocææ portus ad hibernandum classi delegit.

XXXIII. Per idem fere tempus consuli, transgresso Æniorum Maronitarumque fines, nuntiatur, victam regiam classem ad Myonnesum, relictamque a præsidio Lysimachiam esse. Id multo, quam de navali victoria [1], lætius fuit; utique postquam eo venerunt, refertaque urbs omnium rerum commeatibus, velut in adventum exercitus præparatis, eos excepit; ubi inopiam ultimam laboremque in obsidenda urbe sibi proposuerant. Ibi paucos dies stativa habuere, ut impedimenta ægrique consequerentur, qui passim per omnia Thraciæ castella, fessi morbis ac longitudine viæ, relicti erant. Receptis omnibus, ingressi rursus

5. *Ab hac voce*, etc. vide ad I, 1, n. 5. — *Et in his tamen*, etc. breviter ac elegantius pro: quamvis diripiantur captæ urbes, in his tamen diripiendis arbitrio imperatoris subjectos milites, non vero sui juris esse. Ed. — *Postq. ira et avaritia imperio potentiora*, sc. postquam iræ et avaritiæ potius quam imperatoris voci parebant milites. Ed.

6. *Quæ ipsius potestatis fuerunt*; vid. III, 62, n. 5. — *Fides constitit prætoris*; vide ad II, 13, n. 5. — *Hiems appetebat*; vid. V, 19, n. 2.

Cap. XXXIII. 1. *Id multo, quam* nuntiatum *de navali victoria*, quod ex præcc. *nuntiatur, victam*, etc. intelligendum monet Drak. Hic aliquid esse corrupti suspicabatur Crev. — Notat vero Doer. post Drak. subaudita voce *nuntiatum*, sive *quod nuntiatum fuerat*, videri hunc locum se recte habere. Ed.

Digitized by Google

iter per Chersonesum, Hellespontum perveniunt; ubi omnibus cura regis Eumenis ad trajiciendum præparatis, velut in pacata litora, nullo prohibente, aliis alio delatis navibus, sine tumultu trajecere. Ea vero res Romanis auxit animos, concessum sibi [2] transire cernentibus in Asiam; quam rem magni certaminis futuram crediderant. Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte, quibus ancilia moventur [3], religiosi ad iter inciderant. Iidem dies P. Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, disjunxerant ab exercitu; causaque et is ipse moræ erat, dum consequeretur.

XXXIV. Per eos forte dies legatus ab Antiocho in castra venerat Byzantius Heraclides [1], de pace afferens mandata: quam impetrabilem fore, magnam ei spem attulit mora et cunctatio Romanorum; quos, simul Asiam attigissent, effuso agmine ad castra regia ituros crediderat. Statuit tamen non prius adire consulem, quam P. Scipionem; et ita mandatum ab rege erat. In eo maximam spem habebat, præterquam quod et magnitudo animi et satietas gloriæ placabilem eum maxime faciebat, notumque erat gentibus, qui victor ille in Hispania, qui deinde in Africa fuisset, etiam quod filius ejus captus in potestate regis erat [2]. Is ubi

2. *Concessum sibi transire* MSS. *Transitum* ed. Andr. et alii. Sed passim infinitivi docte pro substantivis ponuntur. Conf. ad I, 54, n. 5; XL, 47, n. 4, et ad Sil. vol. II, in Append. pag. 670, t. II, Edit. nostræ. Ed.

3. *Dies forte, quibus ancilia moventur* (vide ad I, 20, n. 7), *religiosi ad iter inciderant* (vide ad VI, 1, n. 7) ... *quia Salius*, et adhuc in Europa erat: namque Saliis non licebat his diebus discedere ex loco, in quo erant; vid. Polyb. XXI, 10, et sup. ad I, 20, n. 6 et 7.

Cap. XXXIV. 1. *Byzantius Heraclides*, etc. conf. Polyb. XXI, 10.

2. *Quod filius ejus* Scipionis Africani *captus in potestate regis erat*, etc. cf. Polyb. XXI, 12; Appian. Syr. 29 (qui tamen perperam dicit, hunc fuisse eum, qui Carthaginem everterit, Æmilii Pauli filium, a Scipione majore adoptatum); Dio Cass. p. 29, n. 69, ed. Reim. et ibi Fabric. Cæ-

Digitized by Google

et quando et quo casu captus sit, sicut pleraque alia, parum inter auctores constat. Alii principio belli, a Chalcide Oreum petentem, circumventum ab regiis navibus tradunt; alii, postquam transitum in Asiam est, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obviam equitatu, quum reciperet sese, in eo delapsum tumultu ex equo, cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse. Illud satis constat, si pax cum populo romano maneret, hospitiumque privatim regi cum Scipionibus esset, neque liberalius, neque benignius haberi colique adolescentem, quam cultus est, potuisse. Ob hæc quum adventum P. Scipionis legatus exspectasset, ubi is venit, consulem adit, petitque, ut mandata audiret.

XXXV. Advocato frequenti consilio[1], legati verba sunt audita. Is, *multis ante legationibus nequidquam ultro citroque de pace missis, eam ipsam fiduciam impetrandi sibi esse*, dixit, *quod priores legati nihil impetrassent. Smyrnam enim et Lampsacum et Alexandriam Troadem et Lysimachiam in Europa jactatas*

terum, hic fuit *L.* seu *Cn. Cornelius Scipio*, homo nequam, patri remissus (vid. cap. 37) et in prætura motus senatu; vid. ad XLI, 21, 27; Valer. Maxim. III, 5, 1, et IV, 5, 3. Alter Africani majoris filius, P. Scipio, summi fuit ingenii, sed infirmæ valetudinis, et pater adoptivus Africani minoris; vid. XL, 42, XLIV, 44; Cic. Off. I, 33, Brut. 19, et de Senect. 11. — *Oreum* urbem in Eubœa insula, de qua vide ad XXVIII, 5, n. 8. Monet Drak. falso legi *Oricum* in quibusdam codd. Ed. — *Fregellana*; Fregellæ urbs Volscorum. Ed.

XXXV. 1. *Advocato frequenti consilio*, etc. Conf. Polyb. XXI, 11, et Appian. Syr. 29. — *Eam ipsam fiduciam impetrandi esse*, etc. « *Fiducia*, ut πίστις, ait Doer., non solum est confidentia, sed etiam documentum vel argumentum, quod fidem facit. » Nos vero *fiduciam* hic simpliciter spem intelligendam censemus. Ed. — *Smyrnam et Lampsacum et Alexandriam Troadem*; vide ad XXXV, 42, n. 1. « Antiochus has tres urbes neque vi expugnare, neque conditionibus in amicitiam perlicere potuerat; vide ad XXXIII, 38, et XXXV, 42. Duas posteriores tamen deinde in potestatem ejus venisse, solosque Smyrnæos

Digitized by Google

in illis disceptationibus esse. Quarum Lysimachia jam cessisse regem, ne quid in Europa habere eum dicerent: eas, quæ in Asia sint, civitates tradere, paratum esse, et si quas alias Romani, quod suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint. Impensæ quoque, in bellum factæ, partem dimidiam regem præstaturum populo romano. Hæ conditiones erant pacis. Reliqua oratio fuit, *Ut memores rerum humanarum, et suæ fortunæ moderarentur, et alienam ne urgerent*[2]. *Finirent Europa imperium: id quoque immensum esse. Et parari singula acquirendo facilius potuisse, quam universa teneri posse. Quod si Asiæ quoque partem aliquam abstrahere velint, dum modo non dubiis regionibus finiant, vinci suam temperantiam romana cupiditate, pacis et concordiæ causa, regem passurum.* Ea, quæ legato magna ad pacem impetrandam videbantur, parva Romanis visa. Nam *et impensam, quæ in bellum facta esset, omnem præstare regem*, æquum censebant, *cujus culpa bellum excitatum esset; et non Ionia modo atque Æolide deduci debere præsidia regia*[3], *sed, sicut Græcia omnis liberata esset, ita, quæ in Asia sint, omnes liberari urbes. Id aliter fieri non posse, quam ut cis Taurum montem possessione Asiæ Antiochus cedat.*

mansisse in fide erga Romanos, ex cap. 54, et Polyb. XXII, 5, probabile fit. » Duker. — *Jactatas in illis disc. esse;* vide ad II, 12, n. 7; III, 10, n. 2.

2. *Alienam* aliorum fortunam, *ne urgerent*, vexarent, aut accelerarent; vide ad Sil. IV, 731, VII, 224. — Pro *alienam* irrepserat vox *aliam* in quasdam editt., quod quidem latinitati contrarium erat. Recte τὸ *alienam*, quod in priscis editt. legebatur, Crever. revocavit. Ed.

3. *Deduci debere præsidia regia;* verbum *debere* non comparet in MS Harl. prob. Drak. ut omnis oratio pendeat ex præc. *æquum censebant*, quemadmodum apud Polyb. XXI, 11, § 7, 8, ex δίκαιόν ἐστι. — *Cis Taurum montem;* proprie Taurus, ut observat Doering., dicitur qui a Lycia occasum versus incipit et Ciliciam a septemtrionali Asia dividit; verum latiore significatione complectitur ille plures alios montes, per totam Asiam sparsos. Ed.

Digitized by Google

XXXVI. Legatus, postquam nihil æqui in consilio impetrare se censebat, privatim (sic enim imperatum erat) P. Scipionis tentare animum[1] est conatus. Omnium primum, filium ei sine pretio redditurum regem, dixit; deinde, ignarus et animi Scipionis, et moris romani, auri pondus ingens est pollicitus, et, nomine tantum regio excepto, societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset. Ad ea Scipio : « Quod « Romanos omnes, quod me, ad quem missus es, « ignoras, minus miror, quum te fortunam ejus, a « quo venis, ignorare cernam. Lysimachia tenenda « erat, ne Chersonesum intraremus, aut ad Hellespon- « tum obsistendum, ne in Asiam trajiceremus; si pa- « cem tanquam ab sollicitis de belli eventu petituri « eratis. Concesso vero in Asiam transitu, et non so- « lum frenis, sed etiam jugo accepto[2], quæ disceptatio ex æquo, quum imperium patiendum sit, relicta « est? Ego ex munificentia regia maximum donum fi- « lium habebo : aliis, deos precor, ne unquam fortuna « egeat mea; animus certe non egebit. Pro tanto in « me munere gratum me esse in se sentiet, si priva- « tam gratiam pro privato beneficio desiderabit. Pu- « blice nec habeo quidquam ab illo[3], nec dabo. Quod « in præsentia dare possim, fidele consilium est. Abi,

Cap. XXXVI. 1. *P. Scipionis tentare animum;* vide ad IX, 35, n. 1. Ad hæc et seqq. conf. Polyb. XXI, 12, et Appian. Syr. 29.

2. *Non solum frenis, sed etiam jugo accepto*, proverbialis dictio comparatioque regis cum equo, frena jugumque sibi imponi patienter ferente. Conf. Polyb. Appian. et Plutarch. Apophthegm. t. II, p. 196, qui pro *jugo* habent τὸν ἀναβάτην, *sessorem*. Conon, Narrat. XLII, auctor est, Stesichorum hanc fabulam narrasse Himeræis adversus Gelonem, et Aristot. Rhet. II, 20, adversus Phalaridem; Duk. Conf. intpr. Phædri IV, 3. — « Non equitem dorso, non frenum depulit ore » dixit Hor. qui hanc breviter fabulam narrat, Epist. I, 10, 34-38. Ed.

3. *Publice nec habeo q. ab illo*, etc. vid. IV, 48, n. 6. — Pro *nec habeo* desiderare videtur Doer. *nec habebo*, quod quidem exhibent plures codd. ut

Digitized by Google

« nuntia meis verbis [4], bello absistat, pacis conditio-« nem nullam recuset ». Nihil ea moverunt regem, tutam fore belli aleam [5] ratum, quando perinde ac victo jam sibi leges dicerentur. Omissa igitur in præsentia mentione pacis, totam curam in belli apparatum intendit.

XXXVII. Consul, omnibus præparatis ad proposita exsequenda, quum ex stativis movisset, Dardanum primum, deinde Rhœteum, utraque civitate obviam effusa, venit. Inde Ilium processit, castrisque in campo, qui est subjectus mœnibus, positis, in urbem arcemque quum escendisset, sacrificavit Minervæ præsidi arcis [1] et Iliensibus in omni rerum verborumque honore ab se oriundos Romanos præferentibus, et Romanis lætis origine sua. Inde profecti sextis castris ad caput Caici amnis pervenerunt. Eo et Eumenes rex, conatus primo ab Hellesponto reducere classem in hiberna Elæam, adversis deinde ventis quum aliquot diebus superare Lecton promontorium non potuisset, in terram egressus, ne deesset principiis rerum, qua proximum fuit, in castra romana cum parva manu contendit. Ex castris Pergamum remissus ad commeatus expediendos, tradito frumento, quibus jusserat consul, in eadem stativa rediit. Inde plurium dierum præparatis cibariis, consilium erat

sit : nec ego accipiam; quod non male cum sententia congruit. Ed.

4. *Nuntia meis verbis ;* vide ad IX, 36, n. 7.

5. *Tutam fore belli aleam ;* vide ad I, 23, n. 10.

Cap. XXXVII. 1. *In arcem quum escendisset* (al. *ascendisset*), sicut ad II, 7, n. 7, *sacrificavit Minervæ præsidi arcis* Ilii; vide ad XXXV, 43, n. 1. — *Iliensibus in omni rerum verborumque honore* (vide ad XXV, 17, n. 5) *ab se oriundos Romanos præferentibus ;* vide ad III, 12, n. 6, et ad Tac. Ann. II, 53, n. 8, et XII, 58. Τὸ *in* elegantius abfuturum, ut XXV, 17, n. 5, et XXVIII, 4, n. 1, monent Duker. et Crever. — Cæterum paulo longius hoc factum explicat Just. XXXI, 8. Ed. — *Caici*, amnis Majoris Phrygiæ, quem hodie vocant *Chiai*. Ed.

Digitized by Google

ire ad hostem, prius quam hiems opprimeret. Regia castra circa Thyatira erant. Ibi quum audisset Antiochus, P. Scipionem ægrum [2] Elæam delatum, legatos, qui filium ad eum reducerent, misit. Non solum animo patrio gratum munus, sed corpori quoque salubre gaudium fuit; satiatusque tandem complexu filii; « Renuntiate, inquit, gratias regi me agere: referre « gratiam aliam nunc non posse, quam ut suadeam, « ne ante in aciem descendat, quam ut in castra [3] me « redisse audierit ». Quanquam sexaginta duo millia peditum, plus duodecim millia equitum animos interdum ad spem certaminis faciebant; motus tamen Antiochus tanti auctoritate viri, in quo ad incertos belli eventus omnis fortunæ posuerat subsidia, recepit se, transgressus Phrygium amnem [4], circaque Magnesiam, quæ ad Sipylum est, posuit castra; et ne, si extrahere tempus vellet [5], munimenta Romani tentarent, fossam

2. *P. Scipionem ægrum*, etc. conf. Appian. Syr. 30. Eo, quod Antiochus filium captum Scipioni remittit, non tam venerationem patris et insigne moderationis animi exemplum, quam spem, meliores pacis conditiones ita impetrari posse, prodidisse videtur.

3. *Quam ut in castra*, etc. τὸ *ut* pro *ubi* vel *postquam* dictum putabat Jac. Periz. sed delere malebant Gron., Crev. et Oudend. ad Front. I, 1, n. 4. Forsitan eodem modo dici potest, quo *prius*, *citius* et *potius quam ut* VI, 28, IX, 4, XXVI, 26, XXXIII, 13, XXXV, 31; in quibus *ut* æque superfluum est, et non raro; verbi gr. IV, 2, V, 24, VII, 18, XXIV, 3, omittitur; Duk. — Cæterum non dubium est, ut observavit Doer., quin Africanus Antiochi fortunæ et saluti, dum eum a pugna committenda cohibere, et sic ad pacem faciendam perpellere voluit, vere et grato animo prospexerit. Notat idem, generosum et gratum Africani animum cerni imprimis in eo quod contra Antiochum, recepto ab eo capto filio, pugnare deinde noluit. Ed.

4. *Transgressus Phrygium, amnem* Ioniæ, qui primum Hyllus est dictus et in Hermum delabitur; vid. Herod. I, 80; Strab. XIII, p. 626, al. 928; C. Heyn. ad Hom. Il. XX, 392.—Pro *transgressus* mallet Gron. simpliciter *trans*, quæ vox cum *recepit se* jungeretur: quam probat Crever. conjecturam; vulgatum vero *transgressus Phrygium* in omnibus manuscriptis testatur Drakenb. reperiri. Ed. — *Magnesiam*, urbem Lydiæ, hod. *Magnisa*. Ed.

5. *Si* (al. *dum*) *extrahere tempus vellet*; vide ad IV, 43, n. 6. — *Munimenta Romani tentarent*; vide ad IX, 35, n. 1.

Digitized by Google

sex cubita altam, duodecim latam quum duxisset, extra duplex vallum fossæ circumdedit: interiore labro murum cum turribus crebris objecit; unde facile arceri transitu fossæ hostis posset.

XXXVIII. Consul, circa Thyatira regem esse ratus, continuis itineribus quinto die ad Hyrcanum[1] campum descendit. Inde quum profectum audisset, sequutus vestigia citra Phrygium amnem, quatuor millia ab hoste, posuit castra. Eo mille ferme equites (maxima pars Gallogræci erant, et Dahæ quidam aliarumque gentium sagittarii equites intermixti), tumultuose amne trajecto, in stationes impetum fecerunt. Primo turbaverunt incompositos. Deinde, quum longius certamen fieret, Romanorum[2], ex propinquis castris facili subsidio, cresceret numerus, regii, fessi jam et plures non sustinentes, recipere se conati, circa ripam amnis, prius quam flumen ingrederentur, ab instantibus tergo aliquot interfecti sunt. Biduum deinde silentium fuit, neutris transgredientibus amnem. Tertio post die Romani simul omnes transgressi sunt, et duo millia fere et quingentos passus[3] ab hoste posuerunt castra. Metantibus et muniendo occupatis, tria millia delecta equitum peditumque regiorum magno terrore ac tumultu advenere. Aliquanto pauciores, qui in statione erant, duo tamen millia, per se, nul-

Cap. XXXVIII. 1. *Hyrcanum campum* in Lydia inter Thyatira et Caici amnis caput. *Hyrcamum* et *Hyrcaneum* quidam MSS. *Hyrcanium* conj. Drak. ut Ὑρκάνιον πεδίον apud Strab. XIII, 629, et Steph. Conf. Schelleri Lex. maj. — *Dahæ*, populi ad Caspium mare, vicini Medis. Ed.

2. *Quum longius certamen fieret, Romanorum*, etc. post *fieret* excidisse videtur *et*; Duk.

3. *Duo millia et D passus*, etc. conf. Appian. Syr. 30. — Pro *fere* mallet *ferme* Doering. quod in quibusdam vett. libris legitur. *Fere* ait rarissime, sed *ferme* proprie addi numeris; sic paulo post in hoc ipso capite: *centum ferme captis*. Laudat autem multa Livii loca Drak. in quibus *ferme* et *fere* commutantur. Ed. — *Duo tamen millia*; pro *tamen* quidam legunt *tantum*. Conf. Drak. ad h. l. Ed.

Digitized by Google

lo a munimento castrorum milite avocato, et primo æquum prælium sustinuere, et, crescente certamine, pepulerunt hostes, centum ex his occisis, centum ferme captis. Per quatriduum insequens instructæ utrimque acies pro vallo stetere. Quinto die Romani processere in medium campi. Antiochus nihil promovit signa, ita ut extremi minus mille pedes a vallo abessent.

XXXIX. Consul, postquam detrectari certamen vidit, postero die in consilium advocavit[1], *Quid sibi faciendum esset, si Antiochus pugnandi copiam non faceret? Instare hiemem. Aut sub pellibus habendos milites fore*[2], *aut, si concedere in hiberna vellent, differendum esse in æstatem bellum.* Nullum unquam hostem Romani æque contempserunt. Conclamatum undique est, *duceret extemplo, et uteretur ardore militum;* qui, tanquam non pugnandum cum tot millibus hostium, sed par numerus pecorum trucidandus esset, per fossas, per vallum castra invadere parati erant, si in prælium hostis non exiret. Cn. Domitius, ad explorandum iter, et qua parte adire vallum hostium posset, missus, postquam omnia certa retulit, postero die propius castra admoveri placuit. Tertio signa in medium campi prolata, et instrui acies cœpta

Cap. XXXIX. 1. *In consilium advocavit* legatos, tribunos et primipilum, deliberaturus, *quid*, etc. conf. ad I, 54, n. 1, et VIII, 6, n. 6. Ad cap. 39-44, conf. Appian. Syr. 30, 36, quem a Livio sæpius discrepare videbis.

2. *Sub pellibus habendos milites f.* vide ad V, 2, n. 5. — *C. Domitius*; Γάϊον Δομίτιον hunc appellat Plut. in Apophthegm. p. 197. Sic enim inquit: Γάϊος Δομίτιος, ὃν Σκιπίων ὁ μέγας ἀνθ' ἑαυτοῦ τῷ ἀδελφῷ Λευκίῳ προκατέστησεν ἐν τῷ πρὸς Ἀντίοχον πολέμῳ. *Cnæum* vero Domitium Appianus appellat in Bello Syr. pag. 106: ὁ μὲν δὴ Πούπλιος, ταῦτα εἰπὼν ἐς Ἐλαίαν νοσηλευόμενος ὑπεχώρει, σύμβουλον τῷ ἀδελφῷ Γναῖον Δομίτιον καταλιπών. Intelligendus autem Drakenb. videtur Cn. Domitius Ahenobarbus, qui biennio ante consul creatus Boios ad deditionem adegit; vid. supra XXXV, 10 et 40. Ed.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Annis Phygius.

ROM LATINI

E

IS ACIES.

mill.
binis
inctæ.

ister
m.

Gallogræci pedites 1500.
Loricati pedites 3000.
*
*
Cataphracti equites
*
Ala equitum, Gemea 1000.

Cyrtæi funditores.
* Elymeli Sagittarii 4000.

T. Livius, T

est. Nec Antiochus ultra tergiversandum ratus, ne et suorum animos minueret detrectando certamen, et hostium spem augeret, et ipse copias eduxit; tantum progressus a castris, ut dimicaturum appareret. Romana acies unius prope formæ fuit [3], et hominum et armorum genere. Duæ legiones romanæ, duæ socium [4] ac latini nominis erant: quina millia et quadringenos singulæ habebant. Romani mediam aciem, cornua Latini tenuerunt: hastatorum prima signa, deinde principum erant; triarii postremos claudebant. Extra hanc veluti justam aciem a parte dextra consul Achæorum cætratis immixtos auxiliares Eumenis, tria millia ferme peditum, æquata fronte instruxit: ultra eos equitum minus tria millia opposuit; ex quibus Eumenis octingenti, reliquus omnis equitatus romanus erat: extremos Tralles et Cretenses (quingentorum utrique numerum explebant) statuit. Lævum cornu non videbatur egere talibus auxiliis, quia flumen ab ea parte ripæque deruptæ claudebant. Quatuor tamen inde turmæ equitum oppositæ. Hæc summa

3. *Romana acies unius prope formæ fuit*, etc. conf. Appian. Syr. 31, ubi Schweigh. bene suspicatur, Domitium præfuisse mediæ Roman. aciei, Eumenem dextro cornu, et consulem, belli imperitum, lævo, quod firmissimum erat tutissimumque. Appianus omnia permutavit, et Livius hæc silentio prætermisit.

4. *Duæ legiones romanæ, duæ socium:* Crev. conj. *duæ alæ socium*, prob. Drak. quia *legiones* quidem aliarum gentium, non vero *sociorum latini nominis* memorentur. — *Quina millia et quadringenos*, scil. pedites, quod ex aciei dispositione intelligitur. Sed ita pro *quadringenos* legendum videtur *ducenos*, quod jam Duker. monuit coll. XL, 1, 18, 36, inpr. XLII, 31. Non male idem et Drak. suspicabantur, partem sociorum in præsidiis urbium vel alia de causa ab exercitu abfuisse: nam sociorum longe major, quam Romanorum, numerus in exercitibus romanis esse solet. Parem vero numerum memorat etiam Appian. Syr. 31. — *Cætratis* (vide ad XXI, 21, n. 6) *immixtos auxiliares Eumenis*, Pergamenos, quos Eumenes Romanis adversus Antiochum auxilio attulit; Drak. Conf. ad XXXVIII, 26, n. 3. — *Tralles*, Thraciæ populi; legunt aliqui *Trallos*, aut etiam *Triballos*. Conf. Drak. ad h. l. Ed.

Digitized by Google

copiarum erat Romanis; et duo millia mixtorum Macedonum Thracumque, qui voluntate sequuti erant, præsidio relicti sunt castris. Sexdecim elephantos post triarios in subsidio locaverunt. Nam, præterquam quod multitudinem regiorum elephantorum (erant autem quatuor et quinquaginta) sustinere non videbantur posse, ne pari quidem numero Indicis Africi resistunt; sive quia magnitudine (longe enim illi præstant [5]), sive robore animorum vincuntur.

XL. Regia acies [1] varia magis multis gentibus, dissimilitudine armorum auxiliorumque erat. Decem et sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. Hæc media acies fuit in fronte, in decem partes divisa. Partes eas interpositis binis elephantis distinguebat: a fronte introrsus in duos et triginta ordines armatorum acies patebat. Hoc et roboris in regiis copiis erat, et, perinde quum alia specie, tum eminentibus tantum inter armatos elephantis, magnum terrorem præbebat [2]. Ingentes ipsi erant. Addebant speciem frontalia et cristæ et tergo impositæ turres turribusque superstantes, præter rectorem, quaterni armati. Ad latus dexterum

5. *Magnitudine longe enim illi præstant;* indici elephanti africis; vide ad Juvenal. X, 150, XI, 123 sq.

Cap. XL. 1. *Regia acies.* Si quis clarius animo repræsentare cupit omnem ordinem, ad quem tam Romanorum quam Antiochi acies, instructa fuisse narratur, is adeat hujus libri finem, ubi tabulam inveniet ex edit. Drak. transcriptam, ibique rationem inspiciat qua utriusque exercitus milites in acie collocati fuerant. Confer quoque eodem loco Excursum, quem e Glareani notis super Antiochi instructa acie desumpsimus. Sed, ut observavit Doer., non pauca restabunt, quæ satis perspici nequeant. Ed. — *Decem et sex millia peditum* (quot in phalange Maced. erant; vide supra ad XXXIII, 4) *more Macedonum armati, phalangitæ;* conf. ad XXXVI, 18, n. 3, et Appian. Syr. 18, 19. — *Partes eas interpositis binis elephantis distinguebat*, quis? *interpositi bini elephanti distinguebant* conj. Crev. Lenior medicina: *partes eæ interpositis binis e. distinguebantur.*

2. *Perinde..... magnum terrorem præbebat;* videndum supra ad lib. IV, cap. 37, n. 4.

Digitized by Google

phalangitarum mille et quingentos equites Gallogræcorum opposuit. His tria millia equitum loricatorum (cataphractos ipsi appellant[3]) adjunxit. Addita his ala mille ferme equitum: agema eam vocabant. Medi erant lecti viri et ejusdem regionis mixti multarum gentium equites. Continens his grex sedecim elephantorum est oppositus in subsidiis: ab eadem parte, paululum producto cornu, regia cohors erat[4]; argyraspides a genere armorum appellabantur. Dahæ deinde, equites

3. *Equitum loricatorum; cataphractos ipsi appellant;* vide ad XXXV, 48, n. 2. — *Agema*, ἄγημα, Macedonibus vocabantur delecti milites, plerumque equites, eorumque robur (quasi ἀγητὸν, ἀπὸ τοῦ ἀγᾶσθαι, ab *admiratione* appellatum, quod innuit Appian. Syr. 32, traditque Eustath. apud Henr. Steph. in Thes. vel, quod Arrianus, a vi et vehementia, quæ gr. ἄγημα dicitur), nonnunquam et pedites, diversi numeri. *Agemata* validissimum fuisse equitum corpus, docet Polyb. XXXI, 3 (ex Athen. V, 22), et tria fere hominum millia, forte peditum, sed diversorum a cætratis et phalange, idem V, 25, 65, 84. At inf. XLII, 51, legimus *delecta et viribus et robore ætatis ex omni cætratorum numero duo erant agemata: hanc ipsi legionem vocabant.* His verbis significari putabat Duk., Macedonas, forte per bella cum Romanis gesta, nomen *legionis* a Romanis sumptum huic militum corpori imposuisse, et id λεγεῶνα appellasse: de quo tamen nihil ab aliis proditum reperitur. Hinc *ita* post *agemata* excidisse suspicatur Drak., ut innuatur, hanc legionem proprio nomine a Macedonibus *agema* vocari. Cæterum de *agemate* conf. et XLIII, 58; Curt. IV, 13, n. 26; V, 4, n. 21; Leopard. Emendat. I, 23, in Gruteri Thes. Crit. t. III, pag. 19; Arrian. III, 2 et 11; Wessel. ad Diodor. tomo II, p. 204, 338 sq. et Suid.

4. *Regia cohors*, diversa ab ea, quæ mox *regia ala* dicitur (vid. n. 6): et forte *cohors regia* eorum, *quos nicatoras appellant* XLIII, 19, n. 4, h. e. victores; unde etiam Seleucus, primus Syriæ rex, cognominatus *Nicator*, Νικήτωρ. *Argyraspides a genere armorum appellabantur*, ἀργυράσπιδες, gravis armaturæ milites, quorum clypei laminis argenteis ornati erant et inducti, τὸ τῶν ἀργυρασπίδων πεζῶν τάγμα, διαφέρον τῇ τε τῶν ὅπλων λαμπρότητι καὶ τῇ τῶν ἀνδρῶν ἀρετῇ, Diodor. XVII, 57, ubi vid. Wessel. ἱππεῖς ἀργυράσπιδες apud Appian. Syr. 32. Conf. Polyb. V, 79, § 4; Justin. XII, 7, n. 6, et Intpp. Curt. IV, 13, n. 7 (ubi male *argyraspides* dicuntur, qui Arriano III, 2, ὑπασπιστῶν ἄγημα), et VIII, 5, n. 4. — *Producto*, sc. protenus vel ulterius ducto. In vett. edd. legitur *prorupto*. Laudat vero Drakenb. Cæs. Bell. Civ. III, 100, *elicuit naves Lælianas; atque ex his longius productam unam quinqueremem cepit;* et Frontin. II, 3, 7, *reductis cornibus, productaque media acie, copias hostium cinxit.* Ed.

Digitized by Google

sagittarii, mille et ducenti. Tum levis armatura trium millium, pari ferme numero pars Cretenses, pars Tralles. Duo millia et quingenti Mysi sagittariis adjuncti erant. Extremum cornu claudebant quatuor millia mixti Cyrtæi funditores[5] et Elymæi sagittarii. Ab lævo cornu phalangitis adjuncti erant Gallogræci equites mille et quingenti: et similiter his armati duo millia Cappadocum; ab Ariarathe missi erant regi. Inde auxiliares mixti omnium generum duo millia et septingenti[6], et tria millia cataphractorum equitum, et mille alii equites, regia ala levioribus tegumentis suis equorumque, alio haud dissimili habitu: Syri plerique erant, Phrygibus et Lydis immixti. Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ et cameli, quos appellant dromadas[7]. His insidebant Arabes sagittarii, gladios habentes tenues, longos quaterna cubita, ut ex tanta altitudine contingere hostem possent. Inde alia multitudo, par ei, quæ in dextro cornu erat; primi Tarentini, deinde Gallogræcorum equitum duo millia et

5. *Cyrtæi funditores:* qui *Cyrtæi* forte sunt iidem, qui *Cyrtii* dicuntur XLII, 58 extr. (ubi Drak. suspicatur, ex hac gente, quæ proprie ad regnum Antiochi Syriacum pertinuerit, Eumenem transfugas quosdam stipendio conductos Romanis auxilio adduxisse), et Κύρτιοι seu Κούρτιοι, in Media λῃστρικὸν ἔθνος et σφενδονῆται egregii, Strab. XI, pag. 523, et XV, pag. 527; Polyb. V, 52, § 5, ubi et Schweigh. suspicatur, eorum nomen superesse in *Curdorum* nomine.—*Misri erant regi.* Sunt qui legant *rege.* Ed.

6. *Inde auxiliares mixti duo millia et septingenti;* vide ad XXXIX, 7, n. 1. — *Tria millia cataphractorum equitum* (vid. n. 3), *et mille alii equites, regia ala,* etc. forte eadem quæ *sacra ala* dicebatur vel *sacræ alæ equitum,* regis corpus tuentes, XLII, 58, 66, XLIV, 42 pr. Appiano Syr. 32, 57, ἵππος ἑταιρικὴ, Arriano, I, 19, et III, 11, τῶν ἑταίρων ἡ βασιλικὴ ἴλη et τῶν ἱππέων οἱ ἑταῖροι, equites amici seu ala amicorum. Alia *cohors regia* fuit n. 4.—*Falcatæ quadrigæ:* vid. in seq. cap. n. 4. Ed.

7. *Et cameli, quos appellant dromadas,* κάμηλοι δρομάδες, ἱππάστριαι. De his eorumque usu in bellis vid. Bocharti Hierozoïcon, I, 2, n. 2 et 4; Schel. ad Hygin. p. 1096; Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IV, p. 184; Diodor. XIX, p. 683, et t. II, p. 347, ubi vid. Wessel.

Digitized by Google

quingenti, inde Neocretes mille[8], et eodem armatu Cares et Cilices mille et quingenti, et totidem Tralles, et tria millia cætratorum; Pisidæ hi erant et Pamphylii et Lycii; tum Cyrtæorum et Elymæorum paria in dextro cornu locatis auxilia, et sexdecim elephanti modico intervallo distantes.

XLI. Rex ipse in dextero cornu erat[1]: Seleucum filium et Antipatrum fratris filium in lævo præposuit: media acies tribus permissa, Minioni et Zeuxidi et Philippo magistro elephantorum. Nebula matutina, crescente die levata in nubes, caliginem dedit. Humor inde, ab austro velut, perfudit omnia. Quæ nihil admodum Romanis, eadem perincommoda regiis erant. Nam et obscuritas lucis in acie modica Romanis non adimebat in omnes partes conspectum; et humor, toto fere gravi armatu[2], nihil gladios aut pila hebetabat. Regii, tam lata acie, ne ex medio quidem cornua sua circumspicere poterant, nedum extremi inter se con-

8. *Neocretes mille*, Νεοκρῆτες apud Polyb. V, 3, § 1; V, 65, § 7; V, 79, § 10. Sunt, puto, νεήλυδες vel νεοσύλλογοι Κρῆτες, tirones Cretenses, vel Cretenses (qui mercede militare solebant) recens ad militiam conducti; vid. Schweigh. ad Polyb. —*Et eodem armatu*, sc. Cretensium, πλῆθος Κρητῶν τε καὶ Τραλλιανῶν (forte Τράλλων) καὶ Κιλίκων, ἐς τὸν Κρητῶν τρόπον ἐσκευασμένων apud Appian. Syr. 32.—*Cætratorum;* vide ad XXI, 21, n. 6.

Cap. XLI. 1. *Rex ipse in dextero c. e.* etc. ita et apud Appian. Syr. 33. Hannibal omissus est, quem Livius, XXXVIII, 58, et Gell. V, 5, adfuisse fatentur; Glar. — In hac descriptione notat doctiss. vir *Guérin* multa esse impedita ac confusa, quæ arguant Liv. non multum rei militaris scientem; addit vero forte hunc locum temporum injuria fuisse corruptum. Quod quidem videtur confirmare observatio Glareani de Hannibale supra laudata. Hic animadvertendum est tamen, virum magnæ fidei *Rollin* testari, Hist. Rom. t. VII, pag. 262, non huic potuisse prælio interesse Hannibalem, quem Rhodii in Pamphylia obsessum tenebant. En. — *In lævo præposuit*, scil. militibus, duces constituit: τοῖς δ' ἐπὶ θάτερα ἐφεστήκει Σέλευκος apud Appian.—*Minio* Μένδις dicitur Appiano. *Zeuxis* Lydiæ satrapa, nomine Antiochi; vid. Polyb. XVI, 1, 24; XXI, 13, 14; XXII, 7; Joseph. Antt. XII, 3.

2. *Toto fere gravi armatu*, quum omnes fere milites rom. graviter essent

Digitized by Google

spicerentur; et humor arcus fundasque et jaculorum amenta[3] emollierat. Falcatæ quoque quadrigæ, quibus se perturbaturum hostium aciem Antiochus crediderat, in suos terrorem verterunt. Armatæ autem in hunc maxime modum erant[4]. Cuspides circa temonem ab jugo decem cubita exstantes[5], velut cornua, habebant, quibus, quidquid obvium daretur, transfigerent: et in extremis jugis binæ circa eminebant falces; altera æquata jugo[6], altera inferior in terram devexa: illa, ut, quidquid ab latere objiceretur, abscinderet; hæc, ut prolapsos subeuntesque contingeret: item ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces. Sic armatas quadrigas, quia, si in extremo, aut in medio locatæ forent, per suos agendæ erant, in prima acie, ut ante dictum est, locaverat rex. Quod ubi Eumenes vidit, haud ignarus pugnæ, et quam anceps esset auxilii genus, si quis pavorem

armati; vide supra ad XXI, 55, n. 2.

3. *Humor arcus fundasque et jaculorum amenta* (vide ad Sil. I, 318, et IV, 15) *emollierat*, sed, ut modo dixit Livius, *nihil gladios aut pila hebetabat* Romanorum, graviter fere armatorum. Sic et tela jaculatorum Polyb. III, 73, n. 3, corrupta et inutilia dicit facta humiditate, διὰ τὴν συνέχειαν τῆς νοτίδος, quia et pinnæ et amenta rigorem elateremque amiserant: quod ibi jam notavit Schweigh. Conf. Front. Strat. IV, 7, n. 30.

4. *Falcatæ quadrigæ..... armatæ* (vide ad IX, 40, n. 12) *in hunc maxime modum erant*, etc. conf. Curt. IV, 9, 4 seq. (ubi vid. Freinsh. et Schmieder.) Xenoph. Cyrop. VI, 1, n. 30, et Anabas. I, 8; Periz. in Curtio vind. pag. 163 seq. Stewech. ad Veget. III, 24; Diodor. XVII, 53, et Scheffer. de Re Vehic. II, 15. — Cæterum vide notas edit. nostræ Curtii, vol. I, pag. 271. Ed.

5. *Cuspides circa temonem ab jugo X cubita exstantes:* verba *X cubita* jungi non possunt, quum sit enorme nec rei conveniens. Hinc Scheffer l. l. emendat *cubito*, non male; sed vox *decem* ita prius fuisset posita; *II cubita* (duo seu bina), vel *cuspides circa temonem et ab jugo decem cubita e.*, h. e. quamque decem cuspidum exstantem unum cubitum, conj. Drak.

6. *Æquata jugo*, ita nimirum jugo aptata, ut cum eo pari altitudine a terra promineret. Mox *subeuntes*, h. e. ita jacentes, ut super eos currus veheretur. Ed. — *Ab axibus rot. utr. binæ falces eodem modo diversæ d.*, in modum earum, quæ in jugis erant, ita ut ab axibus promineret altera falx æquata axi, altera inferior in terram devexa.

Digitized by Google

magis equis injiceret, quam justa adoriretur pugna, Cretenses sagittarios, funditoresque, et jaculatores equitum[7], non confertos, sed quam maxime possent dispersos, excurrere jubet; simul omnibus partibus tela ingerere. Hæc velut procella, partim vulneribus missilium undique conjectorum, partim clamoribus dissonis, ita consternavit equos, ut repente, velut effrenati, passim incerto cursu ferrentur: quorum impetus et levis armatura, et expediti funditores et velox Cretensis momento declinabant; et eques insequendo tumultum ac pavorem equis camelisque, et ipsis simul consternatis, augebat, clamore et ab alia circumstantium turba multiplici adjecto. Ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ; amotoque inani ludibrio, tum demum ad justum prælium, signo utrimque dato, concursum est.

XLII. Cæterum vana illa res veræ mox cladis causa fuit. Auxilia enim subsidiaria, quæ proxima locata erant, pavore et consternatione quadrigarum territa, et ipsa in fugam versa, nudarunt omnia usque ad cataphractos equites[1]. Ad quos quum, dissipatis subsidiis, pervenisset equitatus romanus, ne primum quidem impetum pars eorum sustinuerunt. Alii fusi sunt; alii propter gravitatem tegumentorum armorumque

7. *Cretenses sagittarios, funditoresque, et jaculatores equitum,* ex equitibus eos, qui jaculatores essent; nisi leg. *et jaculatores cum aliquot turmis equitum:* nam et infra quatuor diversa genera distinguuntur eorum, qui quadrigas illas expulerunt, *levis armatura, expediti funditores, velox Cretensis* et *eques.* — Ad hunc locum jure observat Doering. non raro ab optimo quoque historiarum scriptore aliquid addi solere in sequentibus, quod in antecedentibus omissum fuerat. Ed.

Cap. XLII. 1. *Cataphractos equites;* vide ad cap. 40, n. 3. Mox delenda forte verba *pars eorum*, certe *pars*, et deinde alterutrum *sunt;* Crever. et Gron. — His vocibus se minime offendi asserit Doering., et notat de τῷ duplici *sunt*, non raro ejusmodi negligentiam apud Nostrum et apud optimos quosque scriptores obviam. Inf. XXXIX, 8, *quæ primo paucis tradita sunt, deinde vulgari cœpta sunt.* Ed.

Digitized by Google

oppressi sunt. Totum deinde lævum cornu inclinavit; et, turbatis auxiliaribus, qui inter equites, et quos appellant phalangitas, erant, usque ad mediam aciem terror pervenit. Ibi simul perturbati ordines[2], et impeditus intercursu suorum usus prælongarum hastarum (sarissas Macedones vocant); intulere signa romanæ legiones, et pila in perturbatos conjecere. Ne interpositi quidem elephanti militem romanum deterrebant, assuetum jam ab Africis bellis et vitare impetum belluæ, et ex transverso aut pilis incessere, aut, si propius subire posset, gladio nervos incidere. Jam media acies fere omnis a fronte prostrata erat, et subsidia circumita a tergo cædebantur, quum in parte alia fugam suorum, et prope jam ad ipsa castra clamorem paventium accepere. Namque Antiochus a dextro cornu, quum ibi fiducia fluminis nulla subsidia cerneret, præter quatuor turmas equitum, et eas, dum applicant se suis, ripam nudantes, impetum in eam partem cum auxiliis et cataphracto equitatu fecit: nec a fronte tantum instabat, sed, circumito a flumine cornu[3], jam ab latere urgebat; donec fugati equites primum, deinde proximi peditum effuso cursu ad castra compulsi sunt.

XLIII. Præerat castris M. Æmilius tribunus militum, M. Lepidi filius, qui post paucos annos pontifex maximus factus est. Is, qua fugam cernebat suorum[1], cum præsidio omni occurrit, et stare primo, deinde redire in pugnam, jubebat, pavorem et turpem fugam increpans. Minæ exinde erant, in perniciem suam cæcos

2. *Ibi simul* ac *perturbati ordines* sunt. — *Prælongarum hastarum*, *sarissarum;* vide ad IX, 19, n. 2. — *Nervos*, nempe *poplitum*. Ed.

3. *Circumito a flumine cornu;* vide ad VIII, 17, n. 5.

Cap. XLIII. 1. *Suorum*. Hanc lectionem recte pro *sociorum*, quod dederat Frobenius sine omni veterum librorum auctoritate, revocasse Gelenium fidem facit Drak. Ed. — *Minæ exinde erant*, minabatur.

Digitized by Google

ruere, ni dicto parerent. Postremo dat signum suis, ut primos fugientium cædant; turbam insequentium ferro et vulneribus in hostes redigant. His major timor minorem vicit. Ancipiti coacti metu[2] primo constiterunt; deinde et ipsi redierunt in pugnam, et Æmilius cum suo præsidio (erant autem duo millia virorum fortium) effuse sequenti regi acriter restitit. Et Attalus, Eumenis frater, a dextro cornu, a quo lævum hostium primo impetu fugatum fuerat, ut ab sinistro fugam suorum, et tumultum circa castra vidit, in tempore cum ducentis equitibus advenit[3]. Antiochus, postquam et eos, quorum terga modo viderat, repetentes pugnam, et aliam et a castris et ex acie affluentem turbam conspexit, in fugam vertit equum. Ita utroque cornu victores Romani per acervos corporum (quos in media maxime acie cumulaverant, ubi et robur fortissimorum virorum, et arma gravitate fugam impedierant) pergunt ad castra diripienda. Equites primi omnium Eumenis, deinde et alius equitatus toto passim campo sequuntur hostem, et postremos, ut quosque adepti sunt, cædunt. Cæterum fugientibus major pestis, intermixtis quadrigis elephantisque et camelis, erat et sua ipsorum turba; quum, solutis ordinibus, velut cæci super alios alii ruentes, incursu belluarum obtererentur. In castris quoque ingens et major prope quam in acie cædes est edita. Nam et primorum fuga in castra maxime inclinavit; et hujus fiducia multitudinis, qui in præsidio erant, pertinacius pro vallo pugnarunt. Retenti in portis valloque, quæ se impetu ipso capturos

2. *Ancipiti coacti metu;* vide ad I, 25, n. 4.

3. *In tempore cum ducentis e. a.;* vide ad II, 47, n. 4. — *Ruentes, incursu*, etc. olim edebatur *ruerent, et incursu;* profecta lectio, ut observat Doer., ab homine qui elegantius dicendi genus ignoraret. Nostram lectionem primus restituit Sigonius multorum codicum fide. Ed.

Digitized by Google

crediderant, Romani, postquam tandem perruperunt, ab ira graviorem ediderunt cædem[4].

XLIV. Ad quinquaginta millia peditum cæsa eo die dicuntur[1], equitum tria millia; mille et quadringenti capti, et quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati sunt; ceciderunt non plus trecenti pedites, quatuor et viginti equites; et de Eumenis exercitu quinque et viginti. Et illo quidem die victores, direptis hostium castris, cum magna præda in sua reverterunt; postero die spoliabant cæsorum corpora, et captivos contrahebant. Legati ab Thyatira et a Magnesia ad Sipylum[2], ad dedendas urbes venerunt. Antiochus, cum paucis fugiens, in ipso itinere pluribus congregantibus se, modica manu armatorum media ferme nocte Sardes contendit. Inde, quum audisset, Seleucum filium et quosdam amicorum Apameam prægressos, et ipse quarta vigilia cum conjuge ac filia[3] petit Apameam, Zenoni tradita custodia urbis, Timone Lydiæ præposito : quibus spretis, consensu oppidanorum et militum, qui in arce erant, legati ad consulem missi sunt.

XLV. Sub idem fere tempus, et ab Trallibus, et a Magnesia, quæ super Mæandrum est[1], et ab Epheso legati ad dedendas urbes venerunt. Reliquerat Ephesum Polyxenidas, audita pugna, et, classe usque ad

4. *Ab ira graviorem e. c.;* vide ad I, 1, n. 5.

Cap. XLIV. 1. *Ad L millia p. c. dicuntur;* alium numerum edit Appian. Syr. 36; alium Justin. XXXI, 8; eumdem Eutrop. IV, 2. — *Equitum IV millia* ex cod. Mogunt. recepit Aldus : sed reliqui MSS et primæ edd. et Eutrop. l. l. adversantur. — *XV cum rectoribus elephanti* capti, cæterique interfecti; vid. Appian. — *De Eumenis exercitu XXV,* forte *XV* ex Appiano.

2. *A Magnesia ad Sipylum;* vide ad XXXVI, 43, n. 4. — *Sardes,* hodie *Sardia,* prope montem Tmolum, inter Hermum ac Mæandrum. Ed.— *Apameam* ad Marsyæ et Mæandri confluentem, hodie *Apamis.* Ed.

3. *Cum conjuge ac filia;* conf. ad XXXVI, 11.

Cap. XLV. 1. *Ab Trallibus et a*

Digitized by Google

Patara Lyciæ pervectus, metu stationis rhodiarum navium, quæ ad Megisten erat, in terram egressus, cum paucis itinere pedestri Syriam petiit. Asiæ civitates in fidem consulis ditionemque populi romani sese tradebant. Sardibus jam consul erat. Eo et P. Scipio ab Elæa, quum primum pati laborem viæ potuit, venit. Sub idem fere tempus, caduceator ab Antiocho[2] per P. Scipionem a consule petiit impetravitque, ut oratores mittere liceret regi. Paucos post dies Zeuxis, qui præfectus Lydiæ fuerat, et Antipater fratris filius, venerunt. Hi, prius Eumene convento, quem, propter vetera certamina, aversum maxime a pace credebant esse, et placatiore eo et sua et regis spe invento, tum P. Scipionem, et per eum consulem, adierunt; præbitoque iis petentibus frequenti consilio ad mandata edenda, « Non tam, quid ipsi dicamus, habemus, in« quit Zeuxis, quam ut a vobis quæramus, Romani, « quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniam« que impetrare a victoribus possimus. Maximo semper « animo victis regibus populisque ignovistis. Quanto « id majore et placatiore animo decet vos facere in hac « victoria, quæ vos dominos orbis terrarum fecit? Po« sitis jam adversus omnes mortales certaminibus, « haud secus quam deos, consulere et parcere vos ge-

Magnesia, quæ super Mæandrum est; vide ad XXVII, 32, n. 1, et XXXVI, 43, n. 4. — *Tralles*, urbs Lydiæ, sicut l. c. monuimus, hodie vocatur *Chora*. Ed. — *Ad Megisten erat:* mallet Crev. *erant*, quod est in cod. Vict. parum vero interest, utrum referatur verbum ad *stationem* aut ad *naves*, quum jam dixerit Liv. XXX, 9, *statio navium ad Uticam incaute agens*, non *agentium*. Ed.

2. *Caduceator ab Antiocho;* vide ad XXVII, 5, n. 4. Ad seqq. conf. Polyb. XXI, 13. — *Antipater fratris* Antiochi *filius;* conf. Polyb. V, 79, 82, 87; XVI, 18; XXI, 13, 14; XXII, 7. — *Placatiore eo et sua et regis spe*, quam ipsi et Antiochus speraverant. — *Nam tam quid ipsi dicamus, habemus*, etc. aliquid scabri in oratione esse videtur, et nescio utrum placere possit *non tam habemus, quid dicamus, quam ut quæramus;* Drak. Forte leg. *jam* pro *tam*.

Digitized by Google

« neri humano oportet ». Jam ante quam legati venirent, decretum erat, quid responderetur: respondere Africanum placuit[3]. Is in hunc modum loquutus fertur : « Romani ex iis, quæ in deum immortalium po-
« testate erant, ea habemus quæ dii dederunt. Ani-
« mos, qui nostræ mentis sunt[4], eosdem in omni
« fortuna gessimus gerimusque; neque eos secundæ
« res extulerunt, nec adversæ minuerunt. Ejus rei, ut
« alios omittam, Hannibalem vestrum vobis darem
« testem, nisi vos ipsos dare possem. Postquam Hel-
« lespontum trajecimus, prius quam castra regia, prius
« quam aciem videremus, quum communis Mars et
« incertus belli eventus[5] esset, de pace vobis agenti-
« bus, quas pares paribus ferebamus conditiones, eas-
« dem nunc victores victis ferimus. Europa abstinete,
« Asiaque omni, quæ cis Taurum montem est, dece-
« dite. Pro impensis deinde in bellum factis quindecim
« millia talentum Euboicorum[6] dabitis; quingenta
« præsentia, duo millia et quingenta, quum senatus

3. *Respondere* P. Scipionem *Africanum placuit. Is*, etc. conf. Polyb. XXI, 14, et Appian. Syr. 38.

4. *Animos, qui nostræ mentis sunt*, cogitandi agendique rationem, quæ non tam a divina, quam a nostra *mente*, intelligentia ac deliberatione, pendet; vel affectiones sensusque, qui nostræ *menti*, animo, proprii sunt et consentanei, *eosdem in omni fortuna gessimus*, æquabiles sibique constantes, quos *neque secundæ res extulerunt, nec adversæ minuerunt.* Conf. XXX, 42; ad XXVII, 14, n. 1, et Horat. Od. II, 3, 1. Ernesti conferebat ex IX, 9, *dii vobis mentem ademerunt* et *si sana mens fuisset*, aut legendum putabat *nostri moris*, coll. cap. 36 pr. *ignarus et animi Scipionis et moris romani.* Nihil horum satis aptum videtur.

5. *Communis Mars et incertus belli eventus;* vid. V, 12, n. 1.

6. *Quindecim millia talentum Euboicorum* (vide ad XXXIV, 50, n. 2), extemplo 500, tum 2,500 post confirmatam a senatu rom. pacem (vid. cap. 55), deinde 12,000 *per XII annos*, quod præter Polyb. et Appian. etiam tradit Diodor. Legat. 9, ubi Wessel. Opp. t. II, pag. 621, frustra sollicitat verba Appiani. Hinc etiam inf. XXXVIII, 38, non nisi reliqua *XII* millia postulantur; et Eumenis nomine non *CCCC*, ut h. l., sed *CCCL;* unde probabile fit, huic etiam partem summæ (*L* talenta) statim vel mox solutam fuisse. Sed cur h. l. *Eu-*

Digitized by Google

« populusque romanus pacem comprobaverint, millia « deinde talentum per duodecim annos [7]. Eumeni quo- « que reddi quadringenta talenta, et quod frumenti « reliquum ex eo quod patri debitum est, placet. « Hæc quum pepigerimus, facturos vos ut pro certo « habeamus, erit quidem aliquod pignus, si obsides « viginti nostro arbitratu dabitis : sed nunquam satis « liquebit nobis, ibi pacem esse populo romano, ubi « Hannibal erit. Eum ante omnia deposcimus. Thoan- « tem quoque Ætolum, concitorem ætolici belli, qui « et illorum fiducia [8] vos, et vestra illos in nos arma- « vit, dedetis, et cum eo Mnasilochum Acarnana et « Chalcidenses Philonem et Eubulidam. In deteriore « sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit, quam « facere potuit. Si nunc moratus fuerit, sciat, regum « majestatem difficilius ab summo fastigio ad medium « detrahi, quam a mediis ad ima præcipitari. » Cum his

boica talenta memorantur, et infra XXXVIII, 38? vid. ibi not. 10. — Crev. hic Festum monet talentum Euboicum quatuor millibus denariis æstimare, et ex tali supputatione, Euboicum infert minus esse Attico una tertia parte, siquidem quatuor millia denariorum efficiunt quadraginta minas; quas Atticum talentum habet sexaginta. Addit vero Budæum, lib. IV de asse, colligere ex Herodoto talentum Euboicum habuisse minas sex et quinquaginta cum duabus minæ partibus, quæ summa reduci debeat ad sex et sexaginta supra sexcentos et quinquies mille denarios. Utra æstimatione standum sit, Budæine an Festi, dubitat; concludit vero, si Budæi admittatur auctoritas, talentum Euboicum esse marcarum argenti nostratium paulo plus 88, si Festi, marcarum 62 cum unciis 4. Ed.

7. *Millia deinde talentum* (ex emendat. Grut.) singula, seu mille talenta quovis anno, *per* seu intra *XII annos;* vide ad XXIX, 19, n. 5, et conf. Polyb. *mille* edd. vett. A MSS fere omnibus vox abest. *Millena talenta* conj. Budæus de asse, III, 303.—Pro *nunquam* male in plures edd. irrepsisse *nusquam* Drakenb. monet. Ed.

8. *Thoantem quoque Ætolum, concitorem ætolici belli, qui et illorum* Ætolorum *fiducia*, etc. conf. XXXV, 12, 32; XXXVI, 7, 26; Polyb. XXII, 14, § 13. — *Mnasilochum* (Dor. pro *Mnesilochum*) pro vulg. *Mnasimachum* reposui hoc loco, et XXXVIII, 38, præeunte Crever. et prob. Drak. quia *Mnesilochus* nominatur XXXVI, 11, 12, et Μνασίλοχος Polyb. XXI, 14, § 7, et XXII, 26, § 11. — *Chalcidenses Philonem et Eubulidam;* ita et Polyb. iisdem locis.

Digitized by Google

mandatis ab rege missi erant legati, ut omnem pacis conditionem acciperent. Itaque Romam mitti legatos placuit. Consul in hiberna exercitum Magnesiam ad Mæandrum et Tralles Ephesumque divisit[9]. Ephesum ad consulem paucos post dies obsides ab rege adducti sunt; et legati, qui Romam irent, venerunt. Eumenes quoque eodem tempore profectus est Romam, quo legati regis. Sequutæ eos sunt legationes omnium Asiæ populorum.

XLVI. Dum hæc in Asia geruntur, duo fere sub idem tempus cum triumphi spe proconsules de provinciis Romam redierunt, Q. Minucius ex Liguribus, M'. Acilius ex Ætolia. Auditis utriusque rebus gestis, Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus[1]; isque triumphans de rege Antiocho et Ætolis Urbem est invectus. Prælata sunt in eo triumpho signa militaria ducenta triginta, et argenti infecti tria millia pondo, signati tetradrachmum Atticum centum tredecim millia, cistophorum ducenta qua-

9. *Consul in hiberna exercitum Magnesiam... divisit*, « ut II, 14; VI, 3; IX, 27; XXVIII, 2, n. 8; XLV, 26; et οἱ Ῥωμαῖοι διεῖλον τὰς δυνάμεις ap. Polyb. XXI, 14, § 10. *Dimisit* cod. Voss. ut XXVIII, 4; XLII, 67; XLIII, 23; XLV, 9 ». Drak. Verba *in hiberna* ignorat Polyb. XXI, 14, § 10, ubi Schweigh. hæc notavit: « Mirum est sane, mense Aprili exeunte (nam per totum mensem Martium in Europa remanserat Scipio, et deinde jam ante pugnam ad exercitum advenerat, ut docet Polyb. XXI, 10, § 11, et XXI, 11, § 1) *hiberna* commemorare; nisi aut valde turbatum tunc temporis calendarium rom. statuamus, aut dicamus, *hiberna* a Livio generaliori quadam notione usurpari pro *stativis* vel *mansione sub tectis*, quam vernaculo sermone *cantonnements* vocamus ». Ed.

Cap. XLVI. 1. *Acilio magno consensu decretus triumphus*, in cujus memoriam Acilius tabulam finxit, Saturninis versibus descriptam, e quibus unum nobis servavit Atil. Fortunat. in Putschii Gramm. antt. p. 2680, hunc scilicet, « fundit, fugat, prosternit maximas legiones ». Ed. — *Argenti... tria millia pondo*, ex Creverii rationibus, marcas nostrates 4,687, cum unciis 4. Ed. — *Infecti*, h. e. nondum cusi; *argento signato* sive *facto* opponitur, h. e. cuso sive cælato. Ed. — *Signati tetradrachmorum Atticorum CXIII millia;* vide ad XXXIV, 52, n. 5. — Ex Creverii

Digitized by Google

draginta octo, vasa argentea cælata multa magnique ponderis. Tulit et supellectilem regiam argenteam ac vestem magnificam; coronas aureas, dona sociarum civitatium, quadraginta quinque; spolia omnis generis: captivos nobiles, Ætolos et regios duces, sex et triginta duxit[2]. Damocritus Ætolorum dux paucos ante dies, quum e carcere nocte effugisset, in ripa Tiberis consequutis custodibus, prius quam comprehenderetur, gladio se transfixit. Milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus et spectaculo et fama rerum triumphus fuit. Hujus triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispania tristis, adversa pugna in Vastetanis[3], ductu L. Æmilii proconsulis, apud oppidum Lyconem cum Lusitanis sex mil-

supputatione, marcæ argenti 7,062, cum unciis 4. Ed.—*Cistophororum ducenta quadraginta octo*, sc. millia. Cf. cap. 58, et XXXIX, 7 pr. *Cistophorus* nummus asiaticus, pondere et pretio tetradrachmi, sic dictus, quod in altera ejus parte κιστοφόρει essent expressi cum mystica Bacchi cista, ut in altera fere cætera Orgiorum Baccharumque instrumenta; vid. Ernesti Clav. Cic.; Eckhel. Doctr. Num. t. IV, cap. 18, p. 352 sq. Cuperi Obss. IV, 16; Goez. Epist. de Re num. p. 30, et Raschii Lex. r. num. tom. I, P. post. p. 552 sq. — Quatuor denariis septem cistophoros cum semisse æstimatos ait Crev. teste Festo, in voce *Euboicum;* unde sequitur cistophoros 248,000 pares esse denariis amplius 132,266, marcis argenti nostratibus propemodum 2,067. Ed. — *Vasa argentea cælata;* vid. IX, 40, n. 1.

2. *Captivos nobiles, Ætolos et regios duces, XXXVI duxit; Damocritus*, etc. sed *principes Ætolorum XLIII, inter quos Damocritus et frater ejus erant, Romam deducti* sup. cap. 3, ubi Drakenb. hæc adnotavit: « Licet Livius, cap. 46, unius tantum Damocriti, tanquam præcipui, meminerit, qui nocte effugerit e carcere, potuerunt tamen et alii cum eo evasisse, qui vel non retracti sunt, vel pariter se interemerunt. Potuerunt etiam quidam eorum, qui Romam deducti sunt, vel ex vulnere, vel ex morbo ante triumphum obiisse. Potuit etiam Livius, sui oblitus, alios annales utroque loco sequutus esse; quod et ex diversa captivorum descriptione verisimile redditur. Numerorum notas invitis MSS erroris suspectas habet Pigh. in Annalibus ad an. 563 ».

3. *In Vastetanis;* al. *Vacetanis. Vastetani,* forte iidem qui *Bastetani*, seu *Bastitani*, a *Bastis* opp. (hod. *Baza*) dicuntur, in Hispania Bætica ad fines Tarraconensis, finitimi Bastulis; vid. Ptol. II, 7; Strab. III, 4, p. 141, 156, 162, 163; Plin. III, 2 et 3.—*L. Æmilii proconsulis*, ut apud Oros. IV, 20.

Digitized by Google

lia de exercitu romano cecidisse; cæteros, paventes intra vallum compulsos, ægre castra defendisse, et in modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos. Hæc ex Hispania nuntiata. Ex Gallia legatos Placentinorum et Cremonensium L. Aurunculeius prætor in senatum introduxit[4]. Iis querentibus inopiam colonorum, aliis belli casibus, aliis morbo absumptis, quosdam tædio accolarum Gallorum reliquisse colonias, decrevit senatus, *Uti C. Lælius consul, si ei videretur, sex millia familiarum conscriberet, quæ in eas colonias dividerentur, et ut L. Aurunculeius prætor triumviros crearet ad eos colonos deducendos.* Creati M. Atilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappo.

XLVII. Haud ita multo post, quum jam consularium comitiorum appeteret tempus[1], C. Lælius consul ex Gallia Romam rediit. Is non solum, ex facto absente se senatusconsulto, in supplementum Cremonæ et Placentiæ colonos scripsit, sed, ut novæ coloniæ duæ in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur, et retulit, et auctore eo Patres censuerunt. Eodem tempore L. Æmilii prætoris literæ[2] allatæ de navali pugna ad Myonnesum facta, et L. Scipionem consulem exercitum in Asiam trajecisse. Victoriæ navalis ergo in

Vide ad XXVIII, 38, n. 4. —Vocatur hic Æmilius proconsul, quia licet prætor in Hispaniam profectus esset, ut constat ex cap. 2, lib. XXXVI, tamen cum imperio consulari missus est, ita ut non sex fasces, sed duodecim haberet, ut fidem facit Plutarchus in vita ejus: ἐπὶ τοῦτον τὸν πόλεμον ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς, οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις, ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. Sine causa igitur pro *proconsulis* emendat hic Glareanus *proprætoris*, quod nullis cæterum in libris legitur. Ed.

4. *Prætor in senatum introduxit;* vide ad III, 4, n. 2.

Cap. XLVII. 1. *Comitiorum appeteret tempus;* vide ad V, 19, n. 2. — *In agrum, qui Boiorum fuisset,* etc. h. e. Bononiam. Cf. cap. 57.

2. *L. Æmilii* Regilli *prætoris literæ*, etc. conf. cap. 29 sq.

Digitized by Google

unum diem supplicatio decreta est; in alterum diem, quod exercitus romanus tum primum in Asia posuisset castra, ut ea res prospera et læta eveniret. Vicenis majoribus hostiis in singulas supplicationes sacrificare consul est jussus. Inde consularia comitia magna contentione habita. M. Æmilius Lepidus petebat[3] adversa fama hominum, quod provinciam Siciliam petendi causa, non consulto senatu, ut sibi id facere liceret, reliquisset. Petebant cum eo M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Vulso, M. Valerius Messalla. Fulvius consul unus creatur, quum cæteri centurias non explessent[4]; isque postero die Cn. Manlium, Lepido dejecto (nam Messalla tacuit), collegam dixit. Prætores exinde facti, duo Q. Fabii, Labeo et Pictor[5] (flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat), M. Sempronius Tuditanus, Sp. Postumius Albinus, L. Plautius Hypsæus, L. Bæbius Dives.

XLVIII. M. Fulvio Nobiliore et Cn. Manlio Vulsone consulibus, Valerius Antias auctor est[1], rumorem celebrem Romæ fuisse, et pæne pro certo habitum, recipiendi Scipionis adolescentis causa[2], consulem

3. *M. Æmilius Lepidus petebat* (vid. ad XXXV, 10, not. 1) *adversa*, etc. Forsitan festinavit Romam redire, quod se potentes et gratiosos competitores habiturum videbat: quæ sine dubio causa fuit, cur vel integro anno ante comitia relinqueret provinciam, non exspectato successore (conf. ad XXXVI, 2, et XXXVII, 2), petitionemque adornaret; Duk.

4. *Quum cæteri centurias non explessent;* vide ad III, 64, n. 3. — *Lepido dejecto;* vide ad III, 35, n. 10. — *Messalla tacuit,* sponte destitit a petitione. — *Collegam dixit* Manlium Fulvius; vide ad VII, 24, n. 6.

5. *Duo Q. Fabii Labeo et Pictor*, ut cap. 50, 51, et 45, 44, quibus locis *N. Fabii* emend. Spanhem. de usu et pr. num. Diss. X, pag. 26, al. 514. Sed copiose et docte adversus eum disputavit Duk. — *Flamen Quirinalis eo anno inauguratus erat;* nempe Fabius Pictor, qui postremo nominatus est loco, ut patet ex c. 50 et 51, infra. Sed clarior, ut observat Crev., fuisset oratio, si huic membro *hic* præpositus fuisset. Ed.

Cap. XLVIII. 1. *Valerius Antias auctor est;* vide ad II, 58, n. 1. — *Celebrem,* inter homines vulgatum. Ed.

2. *Recipiendi Scipionis adol. c.;* cf.

Digitized by Google

L. Scipionem et cum eo P. Africanum in colloquium evocatos regis, et ipsos comprehensos esse; et, ducibus captis, confestim ad castra romana exercitum ductum, eaque expugnata, et deletas omnes copias Romanorum esse: ob hæc Ætolos sustulisse animos, et abnuisse imperata facere, principesque eorum in Macedoniam et in Dardanos et in Thraciam ad conducenda mercede auxilia profectos: hæc qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem et M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio proprætore ex Ætolia missos esse. Subtexit deinde fabulæ huic [3], legatos Ætolos in senatu inter cætera hoc quoque interrogatos esse, unde audissent, imperatores romanos in Asia captos ab Antiocho rege, et exercitum deletum esse; Ætolos respondisse, ab suis legatis se, qui cum consule fuerint, certiores factos. Rumoris hujus quia neminem alium auctorem habeo, neque affirmata res mea opinione sit, nec pro vana prætermissa.

XLIX. Ætoli legati in senatum introducti, quum et causa eos sua et fortuna hortaretur, ut confitendo seu suæ culpæ seu errori veniam peterent supplices [1], orsi a beneficiis in populum romanum, et prope exprobrantes virtutem suam in Philippi bello, et offenderunt aures insolentia sermonis, et eo, vetera et obli-

cap. 34 et 57. — *Imperata facere.* Princeps Ald. sed ex auctoritate cod. Mog. *imperata* recepit pro *imperia*, quod omnes fere codd. exhibent. Noster vero sæpius hoc usus est verbo; supra, cap. 16, princ. *imperata enise fecerunt;* infra XXXVIII, 14, princ. *paratum esse tyrannum imperata facere.* Ed.

3. *Subtexit deinde fabulæ huic;* c. Mog. *subjecit,* ut *addere* et *adjicere fabulæ,* I, 11, et V, 22. Sed *texere* ejusque composita eleganter ad ingenii opera transferuntur; vid. Broekh. ad Tibull. IV, 1, 211.

Cap. XLIX. 1. *Fortuna hortaretur, ut..... peterent;* in Voss. Lov. 2, et Gaertn. *hortaretur petere,* quod dictum, ut *edixerunt descendere* XL, 38, n. 3; *petere se posse uti* XLIV, 14; *pactum trajicere* XXXI, 7, et similia, Græcorum more dicta, quæ notavi ad Tac. Ann. XI, 1, n. 4. Conf. Drak. et de verbo *hortari* jun-

Digitized by Google

terata repetendo, rem adduxerunt, ut haud paulo plurium maleficiorum gentis, quam beneficiorum memoria subiret animos Patrum, et, quibus misericordia opus erat, iram et odium irritarent. Interrogati ab uno senatore[2], *permitterentne arbitrium de se populo romano?* deinde ab altero, *habiturine eosdem, quos populus romanus, socios et hostes essent?* nihil ad ea respondentes, egredi templo jussi sunt[3]. Conclamatum deinde prope ab universo senatu est, *totos adhuc Antiochi Ætolos esse, et ex unica ea spe pendere animos eorum. Itaque bellum cum haud dubiis hostibus gerendum, perdomandosque feroces animos esse.* Etiam illa res accendit, quod eo ipso tempore, quo pacem ab Romanis petebant, Dolopiæ atque Athamaniæ bellum inferebant. Senatusconsultum in M'. Acilii sententiam, qui Antiochum Ætolosque devicerat, factum est, *ut Ætoli eo die juberentur proficisci ab Urbe, et intra quintumdecimum diem Italia excedere.* A. Terentius Varro ad custodiendum iter eorum missus, denuntiatumque, *si qua deinde legatio ex Ætolis, nisi permissu imperatoris, qui eam provinciam obtineret, et cum legato romano, venisset Romam, pro hostibus omnes futuros.* Ita dimissi Ætoli.

L. De provinciis deinde consules retulerunt: sortiri eos Ætoliam et Asiam placuit[1]. Qui Asiam sortitus esset, exercitus ei, quem L. Scipio haberet, est decretus, et in eum supplementum quatuor millia peditum romanorum, ducenti equites, et sociorum ac

cto cum infin. Intpp. Nep. Phoc. 1, et Val. Maxim. III, 3 pr. Tò *ut* in solo MS Lov. 5 exstat.

2. *Interrogati ab uno senatore;* vide ad XXX, 22, n. 2.

3. *Egredi templo jussi sunt;* vide ad I, 6, n. 6. — *Totos adhuc Antiochi Ætolos esse;* vide ad III, 36, n. 4. —*Ex unica ea spe*, posita sc. in Antiochi potestate et tutela. Ed.

Cap. L. 1. *Sortiri eos Ætoliam*, etc. vide ad III, 2, n. 1.

Digitized by Google

latini nominis octo millia peditum, et quadringenti equites; his copiis ut bellum cum Antiocho gereret. Alteri consuli exercitus, qui erat in Ætolia, est decretus, ét, ut supplementum scriberet, permissum, civium sociorumque eumdem numerum, quem collega. Naves quoque idem consul, quæ priore anno paratæ erant, ornare[2] jussus ac ducere secum; nec cum Ætolis solum bellum gerere, sed etiam in Cephalleniam insulam trajicere. Mandatum[3] eidem, si per commodum reipublicæ facere posset, ut ad comitia Romam rediret. Nam, præterquam quod magistratus annui subrogandi essent, censores quoque placere creari. Si qua res eum teneret, senatum certiorem faceret, se ad comitiorum tempus[4] occurrere non posse. Ætolia M. Fulvio, Asia Cn. Manlio sorte evenit. Prætores deinde sortiti sunt, Sp. Postumius Albinus urbanam et inter peregrinos[5], M. Sempronius Tuditanus Siciliam, Q. Fabius Pictor flamen Quirinalis Sardiniam, Q. Fabius Labeo classem, L. Plautius Hypsæus Hispaniam citeriorem, L. Bæbius Dives Hispaniam ulteriorem. Siciliæ legio una et classis, quæ in ea provincia erat, decreta, et ut duas decumas frumenti novus prætor imperaret Siculis; earum alteram in Asiam, alteram in Ætoliam mitteret. Idem ab Sardis exigi, atque ad eosdem exercitus id frumentum, ad quos Siculum, deportari jussum. L. Bæbio supplementum in Hispaniam datum mille romani pedi-

2. *Naves quoque idem consul..... ornare;* vide ad IX, 40, n. 12.

3. *Mandatum eidem, si,* etc. Edidere Drak. et Doering. *mandatum eidem ut, si* repetita mox vocula *ut,* quod Livio frequens esse Drak. contendit, lectorem remittens ad XXII, 11, n. 4, ubi multa exempla collegit. Ed. — *Per commodum reipublicæ;* vide ad XXX, 29, n. 3.

4. *Ad comitiorum tempus occurrere;* vide ad XXI, 61, n. 1.

5. *Postumius Albinus urbanam et inter peregrinos,* sc. provinciam; vide ad II, 40, n. 9, et XXIV, 44, n. 1. Sed altera prætura mox Q. Fabio de-

Digitized by Google

tes, equites quinquaginta, et sex millia peditum latini nominis, ducenti equites. Plautio Hypsæo in Hispaniam citeriorem mille romani dati sunt pedites, duo millia socium latini nominis, et ducenti equites: cum his supplementis ut singulas legiones duæ Hispaniæ haberent. Prioris anni magistratibus, C. Lælio cum suo exercitu prorogatum in annum imperium est: prorogatum et P. Junio proprætori in Etruria cum eo exercitu, qui in provincia esset, et M. Tuccio proprætori in Bruttiis et Apulia.

LI. Prius quam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium[1] pontificem maximum fuit et Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum et Postumium Albinum fuerat. Consulem illum, cum C. Lutatio collega in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus pontifex maximus; prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit. Et in senatu, et ad populum magnis contentionibus certatum est; et imperia inhibita ultro citroque, et pignera capta[2], et mulctæ dictæ, et tribuni appellati, et provocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici; et mulctæ ex jussu populi remissæ. Ira provinciæ ereptæ[3] prætorem magistratu abdicare se conantem Patres auctoritate sua deterruerunt, et, ut jus inter peregrinos diceret, decreverunt. Delectibus deinde intra paucos

cernitur; vid. cap. 51, n. 3.—*Ut singulas legiones duæ Hispaniæ haberent*, scil. ut unam legionem haberet Hispania tam citerior quam ulterior. Ed.

Cap. LI. 1. *Certamen inter P. Licinium... P. Licinius tenuit;* vid. Epit. XIX, et ad XXIV, 8, n. 4.

2. *Imperia inhibita ultro citroque* (vide ad III, 38, n. 2), *et pignera capta;* vide ad III, 38, n. 11.

3. *Ira provinciæ ereptæ;* vide ad I, 5, n. 5. — Sic Virgil. Æn. II, 413: « Tum Danai, gemitu atque ereptæ virginis ira, Undique collecti invadunt ». Ed. — *Ut jus inter* cives et

Digitized by Google

dies (neque enim multi milites legendi erant) perfectis, consules prætoresque in provincias proficiscuntur. Fama deinde de rebus in Asia gestis temere vulgata sine auctore, et post dies paucos nuntii certi literæque imperatoris Romam allatæ; quæ non tantum gaudium ab recenti metu attulerunt (desierant enim victum in Ætolia metuere), quam averterunt famam [4]; quod ineuntibus id bellum gravis hostis et suis viribus, et quod Hannibalem rectorem militiæ haberet, visus fuerat. Nihil tamen aut de consule mittendo in Asiam mutandum, aut minuendas ejus copias, censuerunt, metu, ne cum Gallis foret bellandum [5].

LII. Haud multo post M. Aurelius Cotta, legatus L. Scipionis, cum Antiochi regis legatis, et Eumenes rex Rhodiique Romam venerunt. Cotta in senatu primum, deinde in concione jussu Patrum, quæ acta in Asia essent, exposuit. Supplicatio inde in triduum decreta est, et quadraginta majores hostiæ immolari jussæ. Tum omnium primum Eumeni senatus datus est [1]. Is quum breviter et egisset gratias Patribus, *quod obsidione se ac fratrem exemissent, regnumque*

peregrinos diceret; conferendum ad cap. 50, n. 5.

4. *Quæ non tantum gaudium ab recenti metu* (vide ad I, 1, n. 5) *attulerunt (desierant enim* Romani Antiochum *victum in Ætolia metuere), quam averterunt famam;* forte cum Ruben. et Gron. leg. *quam a vetere fama, quod ineuntibus*, etc. Præterea suspicor *victum cum Ætolis* pro *victum in Ætolia:* nam non *in Ætolia* victus Antiochus, sed ad Thermopylas in Locride, a M'. Acilio Glabrione cos. vid. XXXVI, 15-19, et inf. cap. 58 extr. — *Averterunt*, h. e. irritam reddiderunt, *famam*, scil. vulgatam de hoc bello hominum opinionem, quod ab initio belli formidandus visus erat Antiochus, non tantum suis viribus, sed quod Hannibalis consilio regeretur. Cæterum, Rubenii conjectura Crev. et Drak. admodum videtur probabilis. Ed.

5. *Ne cum Gallis foret bellandum*, cum Gallogræcis, qui Antiochum auxiliis juverant; vid. cap. 18, 40, 60; XXXVIII, 12 et 15 seqq. Appian. Syr. 32.

Cap. LII. 1. *Eumeni senatus datus est;* vid. VIII, 5, n. 1. Ad hæc et sqq. conf. Polyb. XXII, 1. — *Quod obsidione se ac fratrem* Attalum *exemis-*

Digitized by Google

ab injuriis Antiochi vindicassent, et gratulatus esset, *quod mari terraque prospere res gessissent, quodque regem Antiochum, fusum fugatumque et exsutum castris, prius Europa, post et Asia, quæ cis Taurum montem est*[2], *expulissent; sua* deinde *merita malle eos ex imperatoribus suis legatisque, quam se commemorante, cognoscere*, dixit. Hæc approbantibus cunctis, jubentibusque dicere ipsum, omissa in id verecundia[3], *quid sibi a senatu populoque romano tribui æquum censeret; propensius cumulatiusque, si quo possit, prout ejus merita sint, senatum facturum;* ad ea rex: *Si ab aliis sibi præmiorum optio deferretur, libenter, data modo facultate consulendi senatum romanum, consilio amplissimi ordinis usurum fuisse, ne quid aut immoderate cupisse*[4], *aut petisse parum modeste videri posset; verum enimvero, quum ipsi daturi sint, multo magis munificentiam eorum in se fratresque suos ipsorum arbitrii debere esse.* Nihil hac oratione ejus Patres conscripti deterriti sunt, quo minus dicere ipsum juberent; et quum aliquandiu, hinc indulgentia, hinc modestia, inter permittentes in vicem[5], non magis mutua, quam inexplicabili[6] facilitate,

sent; videndum supra ad caput 18.

2. *Quæ cis Taurum montem est;* vide ad III, 2, n. 1.

3. *Omissa in id verecundia*, hac de re, qua illam causam, in ea re, hactenus; Bauer. — *Si quo possit,..... senatum facturum;* vide ad XXVI, 9, n. 5. — *Prout ejus merita sint*, quum tanta ejus merita sint: nisi potius leg. *quam ejus merita sint;* Crever. — *Si*, etiam tum si *ab aliis sibi optio p. deferretur*... nunc ergo *multo magis;* Bauer. Cf. ad V, 51, n. 1, et XXXVI, 29, n. 1.

4. *Immoderate cupisse, aut petisse parum modeste:* moderatio est cupiditatum, modestia orationis; Bauer. — *Fratresque*, nam præter Attalum, Athenæum quoque Eumenis fratrem Noster commemorat inf. XXXVIII, 12 et 13. Ed. — *Ipsorum arbitrii debere esse;* vide ad III, 62, n. 5.

5. *Inter permittentes in vicem;* vide ad IX, 43, n. 4.

6. *Inexplicabili facilitate;* vide ad III, 70, n. 1. *Inexplicabili*, cujus ratio haud facile inveniri posset (*mit unerklärbarer Gefälligheit*), aut potius perpetua, finem non habitura, ut forte *inexplicabile odium*, quod

Digitized by Google

certatum esset, Eumenes templo excessit[7]. Senatus in eadem perstare sententia, ut *absurdum esse* diceret, *ignorare regem, quid sperans, aut petens venerit. Quæ accommodata regno suo sint, ipsum optime scire; Asiam longe melius, quam senatum, nosse. Revocandum igitur et cogendum, quæ vellet, quæque sentiret, expromere.*

LIII. Reductus a prætore in templum rex et dicere jussus[1] : « Perseverassem, inquit, tacere, Patres con-« scripti, nisi Rhodiorum legationem mox vocaturos « vos scirem, et, illis auditis, mihi necessitatem fore « dicendi. Quæ quidem eo difficilior oratio erit, quod « ea postulata eorum futura sint, ut non solum nihil, « quod contra me sit, sed ne quod ad ipsos quidem « proprie pertineat, petere videantur. Agent enim « causam civitatium græcarum, et liberari eas dicent « debere. Quo impetrato, cui dubium est, quin et a « nobis aversuri sint non eas modo civitates, quæ li-« berabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras; « ipsi autem tanto obligatos beneficio verbo socios, « re vera subjectos imperio et obnoxios[2] habituri « sint? Et (si diis placet), quum has tantas opes af-« fectabunt, dissimulabunt ulla parte id ad se perti-« nere : vos modo id decere, et conveniens esse ante-« factis, dicent. Hæc vos ne decipiat oratio, provi-« dendum vobis erit; neve non solum inæqualiter alios

XXXIX, 51, legitur in multis MSS et edd. ante Ascens. et Ald. qui ex c. Mog. recepere *inexpiabile;* vide ad Tacit. Ann. III, 73, n. 2. « *Inexplicabili*, cujus exitus, finis, non reperiretur; qua nihil omnino perficeretur, quia neutra pars alteri cederet »; Bauer.

7. *Eumenes templo excessit;* vide ad I, 6, n. 6. — *Ut absurdum esse diceret,* forte *et absurdum esse dicere;* Jac. Gronov.

Cap. LIII. 1. *Reductus a præt. in templ.* (vide ad I, 6, n. 6, et III, 4, n. 2) *rex et dicere jussus*, etc. cf. Polyb. XXII, 2-4.

2. *verbo socios, re vera subjectos imperio et obnoxios;* vide ad III, 39, n. 1, et XXII, 13, n. 9. — *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4.

Digitized by Google

« nimium deprimatis ex sociis vestris, alios præter « modum extollatis[3]; sed etiam, ne, qui adversus vos « arma tulerint, meliore statu sint, quam socii et amici « vestri. Quod ad me attinet, in aliis rebus cessisse in- « tra finem juris[4] mei cuilibet videri malim, quam « nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse; in « certamine autem amicitiæ nostræ, benevolentiæ erga « vos, honoris qui a vobis habebitur, minime æquo « animo vinci possum. Hanc ego maximam heredita- « tem a patre accepi, qui primus omnium Asiam Græ- « ciamque incolentium in amicitiam vestram venit, « eamque perpetua et constanti fide ad extremum fi- « nem vitæ perduxit; nec dumtaxat animum vobis « bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit « bellis, quæ in Græcia gessistis, terrestribus, navali- « bus; omni genere commeatuum ita, ut nemo socio- « rum vestrorum æquari ulla parte posset, vos adjuvit. « Postremo quum Bœotos ad societatem vestram hor- « taretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo « post exspiravit[5]. Hujus ego vestigia ingressus, vo- « luntati quidem et studio in colendis vobis adjicere « (et enim inexsuperabilia hæc erant) nihil potui; re- « bus ipsis meritisque et impensis officiorum[6] ut su-

3. *Nimium deprimatis... extollatis;* vide ad XXX, 36, n. 4.

4. *Cessisse intra finem juris;* vide ad II, 49, n. 10. — *Pertinaciter in obtinendo eo tetendisse;* vide ad IV, 7, n. 6.

5. *In ipsa concione intermortuus, haud multo post exspiravit;* vide ad XXXIII, 2 et 21. Primum obmutuerat et conciderat, parte membrorum captus: unde *intermortuus* est ita affectus, ut mori videretur; nam cui hoc accidit, *vivit et est vitæ nescius ipse suæ;* Duk. Conf. Manut. ad Cic. Mil. 5. *Intermortuus est* collapsus, deliquio victus, pæne mortuus; Bauer.

6. *Impensis officiorum,* rarum genus loquendi: puto autem ita dici vel operam, curas et labores, quæ impendenda ac sustinenda sunt iis, qui in præstatione multorum ac magnorum officiorum assidui esse volunt (conf. Cujac. Obss. X, 36), vel impensas et sumptus, sine quibus officia, quæ se Romanis tribuisse jactat, præstari non poterant; Duk. Forte dictum pro impensis officiis, ut *tarda nomina* ac similia ad VII, 21, n. 8 memorata;

Digitized by Google

« perare possem, fortuna, tempora, Antiochus et bel-
« lum in Asia gestum præbuerunt materiam. Rex Asiæ
« et partis Europæ Antiochus filiam suam in matrimo-
« nium mihi dabat; restituebat extemplo civitates,
« quæ defecerant a nobis; spem magnam in posterum
« amplificandi regni faciebat, si secum adversus vos
« bellum gessissem. Non gloriabor eo, quod nihil in
« vos deliquerim: illa potius, quæ vetustissima domus
« nostræ vobiscum amicitia digna sunt, referam. Pe-
« destribus navalibusque copiis [7], ut nemo vestrorum
« sociorum me æquiparare posset, imperatores ve-
« stros adjuvi; commeatus terra marique suppeditavi;
« navalibus præliis, quæ multis locis facta sunt, om-
« nibus adfui; nec labori meo, nec periculo usquam
« peperci. Quod miserrimum est in bello, obsidionem
« passus sum, Pergami inclusus cum discrimine ul-
« timo simul vitæ regnique. Liberatus deinde obsi-
« dione, quum alia parte Antiochus, alia Seleucus
« circa arcem regni mei castra haberent, relictis [8] re-

Drak. Conf. Virgil. Æn. XI, 228.— Ciceronem monet Doeringius dixisse quoque *impensam officii*, Anteq. iret in exsil. cap. 2, et ibid. cap. 6, *impensam officiorum in patriam agere.* Sed, in Appar. Cic. ad voc. *impensa*, de primo exemplo laudatur cap. 5, et de secundo, assentiente Rob. Stephano, Thesaur. ling. lat. ad idem voc., cap. 16. Quæ quidem Cic. locutio multum Liv. verba dilucidat; notandum vero supra cit. orat. a multis viris doctis non Cic. sed declamatori cuipiam tribui. Ed. — *Mihi dabat, restituebat;* vide ad III, 21, n. 3, et XXI, 36, n. 4. — *Vetustissima domus nostræ vobiscum amicitia;* amicitia illa, ut observat Crev., ab Attalo Eumenis patre cœpta erat, non ita multos ante annos; sed nimirum, si respicias cæteros Asiæ Græciæque reges et populos, primus omnium Attalus, ut supra memoravit Eumenes, in amicitiam Romanorum venerat, et hoc sensu *vetustissima* hic dicitur Attalicæ domus cum Romanis amicitia. Ed.

7. *Pedestribus navalibusque copiis;* vide ad XXII, 31, n. 4.—Pro *pedestribus*, quod omnes codd. exhibent, Aldus et post hunc Frob. ediderant *terrestribus.* Antiquam jure revocavit lectionem J. Fr. Gron. quum pateat ex supra cit. loc. *pedestres* copias opponi solere *navalibus.* Ed. — *Me æquiparare*, æquare, ut apud Cic. Tusc. Qu. V, 17.

8. *Relictis rebus meis.* Postremam vocem delevit Drak. suadente Gron.

Digitized by Google

« bus meis, tota classe ad Hellespontum L. Scipioni
« consuli vestro occurri, ut eum in trajiciendo exer-
« citu adjuvarem. Postquam in Asiam exercitus vester
« est transgressus, nunquam a consule abscessi: nemo
« miles romanus magis assiduus in castris vestris fuit,
« quam ego fratresque mei. Nulla expeditio, nullum
« equestre prælium sine me factum est. In acie ibi
« steti, eam partem sum tutatus, in qua me consul
« esse voluit. Non sum hoc dicturus, Patres conscri-
« pti: quis hoc bello meritis erga vos mecum compa-
« rari potest? Ego nulli omnium neque populorum,
« neque regum, quos in magno honore habetis, non
« ausim me comparare. Hostis Masinissa ante vobis,
« quam socius, fuit; nec incolumi regno cum auxiliis
« suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis,
« cum turma equitum in castra confugit vestra. Tamen
« eum, quia in Africa adversus Syphacem et Carthagi-
« nienses fideliter atque impigre vobiscum stetit, non
« in patrium solum regnum restituistis, sed, adjecta
« opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem
« inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos
« præmio atque honore digni apud vos sumus, qui
« nunquam hostes, semper socii fuimus? Pater, ego
« fratresque mei non in Asia tantum, sed etiam pro-
« cul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Ætolia,
« Philippi, Antiochi, Ætolico bello, terra marique
« pro vobis arma tulimus. Quid ergo postulas? dicat
« aliquis. Ego, Patres conscripti, quoniam dicere uti-
« que volentibus[9] vobis parendum est, si vos ea mente

Is sensum ita ampliorem effici putabat; sed obscuriorem Bauer. Exsulat tamen vox a Lov. 1 et 6, ac modo præcessit. — Vox *meis* etiam Doer. edidit; quam multo gravius Eumenis studium ait declarare. Ed. — *Fratresque mei;* conf. cap. antec. n. 4. Ed.

9. *Dicere ut. vol.* ut dicam; conf. ad c. 49, n. 1.—*Emostis,* pro *emovistis;* antea publice legebatur *ejecistis*, ut

Digitized by Google

« ultra Tauri juga emostis Antiochum, ut ipsi teneretis « eas terras, nullos accolas, nec finitimos habere, « quam vos, malo; nec ulla alia re tutius stabiliusque « regnum meum futurum spero. Sed si vobis decedere « inde atque exercitus deducere in animo est; nemi- « nem digniorem esse ex sociis vestris, qui bello a « vobis parta possideat, quam me, dicere ausim. At « enim magnificum est liberare civitates servas. Ita « opinor, si nihil hostile adversus vos fecerunt: sin « autem Antiochi partis fuerunt; quanto est vestra « prudentia et æquitate dignius, sociis bene meritis, « quam hostibus, vos consulere? »

LIV. Grata oratio regis Patribus fuit[1]; et facile apparebat, munifice omnia et propenso animo facturos. Interposita Smyrnæorum brevis legatio est, quia non aderant quidam Rhodiorum. Collaudatis egregie Smyrnæis, quod omnia ultima pati, quam se regi tradere, maluissent, introducti Rhodii sunt. Quorum princeps legationis, expositis initiis amicitiæ cum populo romano meritisque Rhodiorum Philippi prius, deinde Antiochi bello: « Nihil, inquit, nobis tota no- « stra actione[2], Patres conscripti, neque difficilius, « neque molestius est, quam quod cum Eumene nobis « disceptatio est, cum quo uno maxime regum et pri- « vatum singulis, et, quod magis nos movet, publi-

monet Drak. sed multi codd. nostram tuentur lectionem. De voce *emovere* vid. infra XXXVIII, 12, n. 2. Ed.— *Fuerunt;* pro *fuerint* quod in Gron. edit. legebatur, priscam lectionem *fuerunt* ad fidem optimorum codd. revocavit Crever., quia altera aliquam significat dubitationem, quæ hic nulla est. Ed.

Cap. LIV. 1. *Grata oratio reg. Patr. fuit*, etc. ad finem cap. conf. Polyb. XXII, 5, n. 6. — *Interposita*, inter legationem orationemque Eumenis et Rhodiorum. Μετὰ δὲ τοῦτον (Eumenem) ἐβούλοντο μὲν εἰσάγειν Ῥοδίους· ἀφυστεροῦντος δέ τινος τῶν πρεσβευτῶν, εἰσεκαλέσαντο τοὺς Σμυρναίους, Polyb. unde mox puto leg. *quia non aderat quidam R.* — *Omnia ultima pati;* vide supra ad XXXIII, 38; XXXV, 42. Ed.

2. *Tota nostra actione*, oratione.

Digitized by Google

« cum civitati nostræ hospitium est. Cæterum non « animi nostri, Patres conscripti, nos, sed rerum na- « tura, quæ potentissima est, disjungit, ut nos liberi « etiam aliorum libertatis causam agamus; reges serva « omnia et subjecta imperio suo esse velint. Utcum- « que tamen res se habet, magis verecundia nostra « adversus regem nobis obstat, quam ipsa disceptatio « aut nobis impedita est, aut vobis perplexam delibe- « rationem præbitura videtur. Nam si aliter socio at- « que amico regi[3] et bene merito hoc ipso in bello, « de cujus præmiis agitur, honos haberi nullus posset, « nisi liberas civitates ei in servitutem traderetis, esset « deliberatio anceps, ne aut regem amicum inhono- « ratum dimitteretis, aut decederetis instituto vestro, « et gloriam, Philippi bello partam, nunc servitute « tot civitatium deformaretis. Sed ab hac necessitate « aut gratiæ in amicum minuendæ, aut gloriæ vestræ, « egregie vos fortuna vindicat. Est enim deum beni- « gnitate non gloriosa magis, quam dives, victoria ve- « stra, quæ vos facile isto velut ære alieno exsolvat. « Nam et Lycaonia, et Phrygia utraque, et Pisidia om- « nis, et Chersonesus, quæque circumjacent[4] Europæ, « in vestra sunt potestate. Quarum una quælibet regi « adjecta multiplicare regnum Eumenis potest; omnes « vero datæ maximis eum regibus æquare. Licet ergo « vobis, et præmiis belli ditare socios, et non decedere

3. *Socio atque amico regi:* socius est plus, et idem amicus, societasque singularis honos, non omnibus tributus; Ern. — *Inhonoratum dimitteretis,* sine præmiis. Conf. ad XXXV, 12, n. 2.—*Instituto vestro,* de liberandis sc. Græciæ civitatibus. Ed.

4. *Quæque circumjacent Europæ,* pars Europæ, quæ circumjacet regionibus Asiæ memoratis (τὰ προσορεῦντα ταῦτα τῆς Εὐρώπης Polyb.), sc. Ænus et Maronea (vid. c. 60), Chersonesus in Europa et Lysimachia (vide ad XXXVIII, 39); Drak.—*Multiplicare regnum Eumenis;* vide ad XXII, 7, n. 2. Mox suspicari possis *quem titulum prætenderitis bello* pro *belli:* sed et XXXIX, 13, *meriti gratiam retulisset* pro *merito;* Bauer. Vide ad III, 45, n. 1.

Digitized by Google

« instituto vestro, et meminisse, quem titulum præ-
« tenderitis prius adversus Philippum, nunc adversus
« Antiochum, belli; quid feceritis, Philippo victo;
« quid nunc a vobis, non magis quia fecistis, quam
« quia id vos facere decet, desideretur atque exspe-
« ctetur. Alia enim aliis et honesta est et probabilis
« causa armorum. Illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi
« portus oramque aliquam maris ut possideant. Vos
« nec cupistis hæc, antequam haberetis; nec nunc,
« quum orbis terrarum in ditione vestra sit, cupere
« potestis. Pro dignitate et gloria apud omne genus
« humanum, quod vestrum nomen imperiumque juxta
« ac deos immortales jam pridem intuetur, pugnastis.
« Quæ parare et quærere arduum fuit, nescio an tueri
« difficilius sit[5]. Gentis vetustissimæ nobilissimæque
« vel fama rerum gestarum, vel omni commendatione
« humanitatis doctrinarumque, tuendam ab servitio
« regio libertatem suscepistis. Hoc patrocinium re-
« ceptæ in fidem et in clientelam vestram universæ
« gentis perpetuum vos præstare decet. Non, quæ in
« solo modo antiquo sunt, græcæ magis urbes sunt,
« quam coloniæ earum, illinc quondam profectæ in
« Asiam. Nec terra mutata mutavit genus aut mores.
« Certare pio certamine[6] cujuslibet bonæ artis ac vir-
« tutis ausi sumus cum parentibus quæque civitas et

5. *Nescio an tueri difficilius sit;* vide ad II, 2, n. 3. — *Gentis vetustissimæ*, etc. scil. Græcorum. Mox voc. *gentis* post *universæ* abest a MSS prob. Gron. Facile illud suppleveris ex priori: saltem *genti* malim, quia *universæ* dativus videtur, a *præstare* pendens: unde etiam magis carere possis voce *gentis;* Bauer.

6. *Certare pio certamine;* justo et honesto. — *Cum parentibus et conditoribus suis;* prius a posteriori explicatur: sed vicissim *conditor* improprie dici solet; Ern. Vide ad V, 24, n. 7. Urbes ratione coloniarum a se deductarum vocantur earum *parentes* et *metropoles;* Drak. Conf. Duker. ad Flor. I, 3, n. 9, et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, pag. 575. — *Ausi sumus quæque civitas;* vide ad I, 41, n. 1, et III, 47, n. 1. — *Asiæ urbes plerique*, immo *plerasque.*

Digitized by Google

« conditoribus suis. Adistis Græciæ, adistis Asiæ urbes « plerique. Nisi quod longius a vobis absumus, nulla « vincimur alia re. Massilienses, quos, si natura in- « sita velut ingenio terræ vinci posset, jam pridem « efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes, in eo « honore, in ea merito dignitate audimus apud vos « esse, ac si medium umbilicum Græciæ[7] incolerent. « Non enim sonum modo linguæ vestitumque et ha- « bitum, sed ante omnia mores et leges et ingenium « sincerum integrumque a contagione accolarum ser- « varunt. Terminus est nunc imperii vestri mons Tau- « rus. Quidquid intra eum cardinem est, nihil lon- « ginquum vobis videri debet. Quo arma vestra per- « venerunt, eodem jus hinc profectum perveniat. « Barbari, quibus pro legibus semper dominorum « imperia fuerunt, quo gaudent, reges habeant; « Græci suam fortunam, vestros animos gerunt. Do- « mesticis quondam viribus etiam imperium ample- « ctebantur; nunc, imperium ubi est, ibi ut sit per- « petuum, optant. Libertatem vestris tueri armis satis « habent, quoniam suis non possunt. At enim quæ- « dam civitates cum Antiocho senserunt. Et aliæ prius « cum Philippo, et cum Pyrrho Tarentini. Ne alios « populos enumerem, Carthago libera cum suis legi- « bus est[8]. Huic vestro exemplo quantum debeatis, « videte, Patres conscripti. Inducetis in animum ne-

7. *Medium umbilicum Græciæ;* vide ad XXXV, 18, n. 2. Vox *medium* glossam redolet. — *Intra eum cardinem;* Taurum dici cardinem observat Doer. quia ejus situs ad imperii fines constituendos atque tuendos admodum opportunus, et sic res magni momenti fuit; sc. *cardo* passim dicitur de rebus, a quibus, veluti janua a cardine, maxime aliquid pendet. Inf. XL, 18, *ut promontorium iis Minervæ, velut cardo, in medio esset;* et XLI, 1, *creati duumviri navales erant, qui tuendam... Anconam, velut cardinem haberent.* Ed. — *Nihil longinquum,* non longinq. Cf. III, 20, n. 3.

8. *Carthago libera cum suis legibus est;* vide ad XXV, 16, n. 4. — *Huic*

Digitized by Google

« gare Eumenis cupiditati, quod justissimæ iræ vestræ « negastis. Rhodii et in hoc, et in omnibus bellis, quæ « in illa ora gessistis, quam forti fidelique opera vos « adjuverimus, vestro judicio relinquimus. Nunc in « pace id consilium afferimus; quod si comprobave- « ritis, magnificentius vos victoria usos esse, quam « vicisse, omnes existimaturi sint. » Apta magnitudini romanæ oratio visa est.

LV. Post Rhodios Antiochi[1] legati vocati sunt. Ii, vulgato petentium veniam more, errorem fassi regis, obtestati sunt Patres conscriptos, *ut suæ potius clementiæ, quam regis culpæ, qui satis superque pœnarum dedisset, memores consulerent;* postremo, *pacem datam a L. Scipione imperatore, quibus legibus dedisset, confirmarent auctoritate sua.* Et senatus eam pacem servandam censuit, et paucos post dies populus jussit. Fœdus in Capitolio cum Antipatro, principe legationis et eodem fratris filio regis Antiochi, est ictum. Auditæ deinde et aliæ legationes ex Asia sunt. Quibus omnibus datum est responsum, *decem legatos more majorum*[2] *senatum missurum ad res Asiæ disceptandas componendasque. Summam tamen hanc fore: ut cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam Cariamque usque ad Mæandrum amnem: ea civitatis Rhodiorum essent*[3]. *Cæteræ civitates Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vecti-*

nestro exemplo quantum debeatis, quam sanctum illud vobis debeat esse, quidque vobis injungat officii (quid facere vos oporteat, illo exemplo edito, a vobismet proposito, ne ab eo deficiatis, neve parum vobis constetis; Bauer.), *videte*, expendite, *P. C.*, et seu ita *inducetis* in *animum*, etc. — *Quod justissimæ iræ vestræ* in Pœnos *negastis*, scil. libertatem Carthagini adimendam.

Cap. LV. 1. *Post Rhodios Antiochi*, etc. Conf. Polyb. XXII, 7.

2. *Decem legatos more majorum*, etc. vide ad XXXVIII, 37, 38.

3. *Ea civitatis Rhodiorum essent;*

Digitized by Google

gal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atque immunes essent. Decem legatos hos decreverunt[4], Q. Minucium Rufum, L. Furium Purpureonem, Q. Minucium Thermum, Ap. Claudium Neronem, Cn. Cornelium Merulam, M. Junium Brutum, L. Aurunculeium, L. Æmilium Paullum, P. Cornelium Lentulum, P. Ælium Tuberonem.

LVI. His, quæ præsentis disceptationis essent[1], libera mandata. De summa rerum senatus constituit: *Lycaoniam omnem et Phrygiam utramque et Mysiam, regias silvas, et Lydiæ Ioniæque, extra ea oppida, quæ libera fuissent, quo die cum rege Antio-*

vide ad XXI, 30, n. 5. — Legit Gelenius *eæ civitates*, sed nostra lectio verbis firmatur Polybii qui similiter ταῦτα dixit in Exc. leg. n. XXV, pag. 1145, πλὴν Λυκίας καὶ Καρίας, τὰ μέχρι τοῦ Μαιάνδρου ποταμοῦ· ταῦτα δὲ Ῥοδίων ὑπάρχειν. Ed. — *Quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent;* monet Crever. hic idem sonare *stipendium* et *vectigal*, ut patet ex Polybio, ex quo hæc omnia cum duabus Eumenis et Rhodiorum orationibus exscripta sunt. Nempe sic supra cit. l. τῶν πόλεων τῶν Ἑλληνίδων ὅσαι μὲν Ἀττάλῳ φόρον ἐπετέλουν, ταύτας τὸν αὐτὸν Εὐμένει τελεῖν. Ed.

4. *Decem legatos hos decreverunt*, etc. conf. Duk. et Drak. qui monent, ex his tres priores fuisse consulares, quartum, sextum, septimum et octavum (*L. Æmilium Paullum* non M. F. sed L. F.) prætorios, omnes secundum honoris gradum ac seriem temporis enumeratos; trium vero, *Cn. Cornelii Merulæ*, *P. Cornelii Lentuli* et *P. Ælii Tuberonis*, nullos alicubi honores memorari, sed pro *Cn. Cornelio Merula* substituendum esse *L. Cornelium Merulam* consularem (vide ad XXXIV, 54), vel potius *Cn. Cornelium Merendam* prætorium; vide ad XXXIV, 42, 43.

Cap. LVI. 1. *Quæ præsentis disceptationis essent;* vide ad XXXIV, 62, n. 7. — *Lycaoniam omnem*, etc. Ea quæ dantur Eumeni, ab iis quæ excipiuntur, non ex hoc decreto recte distinguere facile est, ob accusativum duplicem, quorum alter in verbum *dari* cadit, alter a præpositione *extra* regitur. Ed. — *Et Mysiam et Lydiæ Ioniæque*, sc. oppida, e seqq. (vide ad XXI, 43, n. 4), aut leg. *Lydiam Ioniamque;* Crever. Aut vox *oppida* post *Ioniæque* ponenda. *Mysiam*, ut XXXVIII, 39, e cod. Mog. *Mysias* cæteri fere MSS. Μυσοὺς apud Polyb. *Mysia* vero h. l. est Mysia Minor, quæ ἐφ' Ἑλλησπόντῳ fuit (vid. Ptol. V, 2), et Strab. XII, 571, συνεχὴς τῇ Βιθυνίᾳ dicitur; Drak. Idem putabat, verba *Lycaoniam, Phrygiam, Mysiam... hæc omnia regi Eumeni jussa dari* dicta esse pro κατὰ *Lycaoniam*, etc. aut leg. *jussere dari*, sc. senatus

cho pugnatum est, et nominatim Magnesiam ad Sipylum et Cariam, quæ Hydrela appellatur, agrumque Hydrelatanum ad Phrygiam vergentem, et castella vicosque trans Mæandrum amnem, et oppida, nisi quæ libera ante bellum fuissent, Telmissum item nominatim, et castra Telmissium, præter agrum, qui Ptolemæi Telmissii fuisset[2]*: hæc omnia, quæ supra scripta sunt, regi Eumeni jussa dari. Rhodiis Lycia data, extra eumdem Telmissum*[3]*, et castra Telmissium et agrum, qui Ptolemæi Telmissii fuisset: hæc et ab Eumene, et ab Rhodiis excepta. Ea quoque his pars data Cariæ, quæ propior Rhodum insulam trans Mæandrum amnem est, oppida, vici, castella, agri, qui ad Pisidiam vergunt; nisi quæ eorum oppida in*

seu Patres, vel *jussi dare*, sc. X legati. Sed potius ἀναχόλουθον esse videtur, quod etiam credebat Duk. Conf. ad VI, 24, n. 4. — *Cum rege Antiocho pugnatum est*, forte *esset*. — *Et Cariam*, Cariæ partem (ut mox *ea pars Cariæ*), vel potius Cariam urbem, *quæ Hydrela appellatur*, Ὑδρηλα τῆς Καρίας Steph. Ὑδρηλος Strab. XIV, 650, unde *Hydrelitæ* apud Plin. V, 29. — Non per *Cariam* urbem intelligit Doering. sed eam regionis partem quæ ad *Hydrelam*, urbem *Cariæ*, pertinebat, unde illa pars *Hydrela* vocata esse videtur. Pro urbe vero accipit Cellar. III, Geogr. Ant. IV, 99. Conf. Doer. et Drak. ad h. l. Ed. — *Vicosque trans Mæandrum* pro vulg. *v. ad M.* recepi e cod. Mogunt. cujus lectionem et Drak. probabat, quoniam ibi sita *Telmissus*. Conf. ad cap. 16, n. 5. Sed forte leg. *vicosque usque ad M.* ex Polyb. XXII, 7, et 27.

2. *Qui Ptolemæi Telmissii fuisset:* qualis viri? et cur ejus ager excipitur? Interpretes tacent. Puto leg. *Ptolemæo Telmissi*. In plerisque MSS legitur *Telmensi* vel *Telmessi*. Agri hujus castrorumque illorum nullam mentionem fecit Polybius.

3. *Rhodiis Lycia data extra eumdem Telmissum*, vide ad XXXVII, 16, n. 5, et XXXVIII, 39, n. 8. — *Hæc et ab Eumene, et ab Rhodiis excepta*, neutris data, attributa, numero terrarum, horum imperio subjectarum, exempta. Sed modo dixerat Livius, *Telmissum et castra Telmissium, præter agrum, qui Ptolemæi Telmissii fuisset, regi Eumeni data esse.* Conf. et XXXVIII, 39; Strab. XIII, 665, et Polyb. ll. ll. Aquam sibi hic hærere testantur Duk. et Drak. Videtur autem omnino leg. *hic et ab Eumene et ab Rhodiis exceptus*, sc. ager ille isque solus. — *Ea quoque his pars data Cariæ, quæ propior Rhodum ins. trans Mæandrum* (sc. respectu Phrygiæ) *est:* Cariæ enim longe quidem maxima pars inter Mæandrum et mare erat sita; et hæc Rhodiis data: alia pars ultra Mæandrum, Phry-

Digitized by Google

libertate fuissent, pridie quam cum Antiocho rege in Asia pugnatum est. Pro his quum gratias egissent Rhodii, de Solis urbe, quæ in Cilicia est[4], egerunt: *Argis et illos, sicut sese, oriundos esse; ab ea germanitate fraternam sibi cum iis caritatem esse. Petere hoc extraordinarium munus, ut eam civitatem ex servitute regia eximerent.* Vocati sunt regis Antiochi legati, actumque cum iis est; nec quidquam impetratum, testante fœdera Antipatro, adversus quæ ab Rhodiis non Solos, sed Ciliciam peti, et juga Tauri transcendi. Revocatis in senatum Rhodiis, quum, quantopere tenderet legatus[5] regius, exposuissent Patres, adjecerunt: *Si utique eam rem ad civitatis suæ dignitatem pertinere censerent Rhodii, senatum omni modo expugnaturum pertinaciam legatorum.* Tum vero impensius, quam ante, Rhodii gratias egerunt, cessurosque se potius arrogantiæ Antipatri, quam causam turbandæ pacis præbituros, dixerunt. Ita nihil de Solis mutatum est.

LVII. Per eos dies, quibus hæc gesta sunt, legati Massiliensium nuntiarunt, *L. Bæbium prætorem, in provinciam Hispaniam proficiscentem, ab Liguribus circumventum; magna parte comitum cæsa, vulneratum ipsum, cum paucis, sine lictoribus Massiliam perfugisse, et intra triduum exspirasse.* Senatus, ea re audita, decrevit, *uti P. Junius Brutus, qui proprætor in Etruria esset, provincia exercituque traditis uni, cui videretur, ex legatis, ipse in ulteriorem Hispa-*

giam et Lydiam versus; Schweigh. ad Polyb. XXII, 27, § 8. Conf. Cellar. Geogr. Ant. III, 3, pag. 99.

4. *Rhodii de Solis urbe, quæ in Cilicia est, egerunt;* conf. Polyb. XXII, 7. — *Soli,* hodie *Palé-Soli.* Ed. — *Et illos* Solenses; vide ad II, 47, n. 1. — *Ab ea germanitate,* ob hanc communem originem; vide ad I, 1, n. 5.

5. *Quantopere tenderet legatus;* h. e. contra pugnaret et obniteretur. Vide ad IV, 7, n. 6.

Digitized by Google

niam proficisceretur, eaque ei provincia esset. Hoc senatusconsultum literæque a Sp. Postumio prætore in Etruriam missæ sunt; profectusque in Hispaniam est P. Junius proprætor. In qua provincia prius aliquanto, quam successor veniret, L. Æmilius Paullus, qui postea regem Persea magna gloria vicit, quum priore anno haud prospere rem gessisset, tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis pugnavit. Fusi fugatique sunt hostes [1] : cæsa decem et octo millia armatorum; tria millia trecenti capti, et castra expugnata. Hujus victoriæ fama tranquilliores in Hispania res fecit. Eodem anno ante diem tertium Calendas Januarias Bononiam latinam coloniam ex senatusconsulto L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta : equitibus septuagena jugera, cæteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat: Galli Tuscos expulerant. Eodem anno censuram multi et clari viri petierunt. Quæ res, tanquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multo majorem excitavit. Petebant T. Quintius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M'. Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Ætolosque devicerat. In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat [2], favor populi se inclinabat.

Cap. LVII. 1. *Fusi fugatique sunt hostes*, etc. alia tradit Plut. Æmil. pag. 257. — *Bononiam latinam coloniam*, etc. ut iidem anno superiore Placentiam et Cremonam; vid. c. 46 extr. et ad cap. 47, n. 1. — *L. Valerius Tappus*; vid. XXXV, 10, n. 5.

2. *Quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat* (ita omnes MSS præter Mog. et Lov. 3, in quibus est *obligaverat*); oratio haud satis tersa. Forte leg. *congiaria dederat* vel *exhibuerat, quibus m. p. h. obligaret*, etsi malim *congiaria dilargitus magnam p. h. obligarat*. Quando et ob quam causam congiaria

Digitized by Google

Id quum ægre paterentur tot nobiles, novum sibi hominem tantum præferri [3]; P. Sempronius Gracchus et C. Sempronius Rutilus, tribuni plebis, ei diem dixerunt, quod pecuniæ regiæ prædæque aliquantum, captæ in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neque in ærarium retulisset. Varia testimonia legatorum tribunorumque militum erant. M. Cato ante alios testes conspiciebatur [4]; cujus auctoritatem, perpetuo tenore vitæ partam, toga candida elevabat. Is testis, quæ vasa aurea atque argentea, captis castris, inter aliam prædam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse. Postremo in hujus maxime invidiam desistere se petitione Glabrio dixit, quando, quod taciti indignarentur nobiles homines [5], id æque novus competitor inæstimabili perjurio incesseret.

sint data ab Acilio, non constat; forte paulo ante comitia, ut suffragia et favorem plebis consequeretur. Conf. ad XXV, 2, n. 6. Dukeri nota est: « Gruchius de Com. I, 3 extr. refert hoc ad congiaria populo ab Acilio data in triumpho, de quo vid. c. 46. Non suppetunt exempla hujus moris, nisi ex posterioribus temporibus apud Plin. XIV, 14, et alios. Congiariorum inter populum divisionem hac ætate nondum valde frequentem fuisse credo; sed tamen exemplum est XXV, 2. Eodem referri possunt visceationes et epulæ, in funeribus et ludis funebribus datæ VIII, 22, XXXIX, 46, et XLI, 28. Intelligebam olim locum de præmiis militaribus, quibus milites interdum per ambitionem ducum levissimis de causis donatos fuisse indicat Gell. VI, 5. Sed ea *congiaria* vocari non invenio, nec eum, qui illa dat, illa *habere* dici posse puto ». — Pro *habuerat* tentat Ursinus *exhibuerat*. Doering. vero τὸ *habuerat* explicat *adhibuerat;* ut Cic. Verr. I, 6, *vim habere* pro *adhibere* dixit. De congiariis autem vid. Excurs. in nost. edit. Taciti, t. IV, p. 260-274. Ed.

3. *Novum sibi hominem* in *tantum præferri;* vide ad I, 34, n. 8. Hoc vult Livius: quum viderent nobiles, tanto majorem esse gratiam hominis novi, ut solus videretur certo futurus, quum ipsi satagerent dubiamque fiduciam haberent; subornaverunt duos tribunos plebis, qui diem ei dicerent, nec vexare hominem desisterent prius, quam ille petitioni renuntiaret; Gron. — *Neque in ærarium retulisset* e cod. Mogunt. recepit Drak. pro *detulisset;* vide ad XXVI, 2, n. 3.

4. *Cato ante alios testes conspiciebatur;* vide ad II, 5, n. 8. — *Toga candida elevabat*, minuebat id, quod ipse competitor esset; vide ad III, 21, n. 5, et IV, 25, n. 7.

5. *Quando*, quoniam, *quod taciti*

Digitized by Google

LVIII. Centum millium[1] mulcta irrogata erat. Bis de ea re certatum est. Tertio, quum de petitione destitisset reus, nec populus de mulcta suffragium ferre voluit, et tribuni eo negotio destiterunt. Censores T. Quintius Flamininus, M. Claudius Marcellus creati. Per eosdem dies L. Æmilio Regillo, qui classe præfectum Antiochi regis devicerat, extra Urbem in æde Apollinis quum senatus datus esset[2], auditis rebus gestis ejus, quantis cum classibus hostium dimicasset, quot inde naves demersisset aut cepisset, magno consensu Patrum triumphus navalis est decretus. Triumphavit Calendis Februariis. In eo triumpho undequinquaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia nequaquam tanta, pro specie regii triumphi[3]; tetradrachma Attica triginta quatuor millia septingenta, cistophori

indignarentur nobiles homines, scil. se hominem novum tot nobilibus præferri, *id competitor*, qui *æque novus* homo esset, *inæstimabili perjurio incesseret*, impugnaret. *Inæstimabile perjurium*, cui satis digna mulcta dici non potest, deterius omni distributione pecuniæ, quæ æstimari poterat, quum perjurium, quo Cato caput suum obstringebat, ejusmodi pretium censuræ esset, quod æstimari non poterat; Crever. Conf. ad XXXI, 34, n. 2. *Incesseret*, censuram peteret, ut XXVI, 10; XXXVI, 18; XXXVIII, 29, *incessere lapidibus*, *telis*, etc.

Cap. LVIII. 1. *Centum millium;* supple, æris gravis: id est, secundum Creverianas rationes, marcarum argenti Paris. 156, cum unciis 2. Ed. — *Mulcta irrogata erat* Acilio a tribunis. — *Bis de ea re certatum est.* Supprimit Crever. voculam *re* fide Andr. edit. et Vict. cod. Verum ita mox, ut observat Drak. *tribuni eo negotio destiterunt.* Optimos quosque scriptores Doering. monet sæpius nomen aliquod præcedens per vocem *res* solere designare. Ed. — *M. Claudius Marcellus* quinquies consulis filius. Conf. Fasti Capitolini, et Plut. Quint. pag. 379.

2. *Extra Urbem in æde Apollinis quum senatus datus esset Æmilio;* vide ad VIII, 5, n. 1, et XXVI, 21, n. 1.

3. *Pecunia nequaquam tanta pro specie regii triumphi;* vide ad VII, 33, n. 2, et IX, 17, n. 8. Voc. *tanta* dele; Gron. Crev. et Drak. — Suspicatur Doering. potius post *tanta* excidisse *quanta*, ut sit: translata quoque est *pecunia*, sed *nequaquam tanta*, *quanta pro specie regii triumphi* transferri debuit. Ed. — *Tetradrachma attica XXXIV millia septingenta, cistophori CXXXI millia trecenti;* vide ad XXXIV, 52, n. 5; XXXVII, 46, n. 1. Non est quod legas *tetradrachmum atticum* et *cistophorum;* vide ad XXXIX, 7, n. 1.

Digitized by Google

centum triginta unum millia trecenti. Supplicationes deinde fuerunt ex senatusconsulto, quod L. Æmilius in Hispania prospere rempublicam gessisset[4]. Haud ita multo post L. Scipio ad Urbem venit; qui, ne cognomini fratris cederet[5], Asiaticum se appellari voluit. Et in senatu, et in concione de rebus ab se gestis disseruit. Erant, qui fama id majus bellum, quam difficultate rei, fuisse interpretarentur; uno memorabili prælio debellatum, gloriamque ejus victoriæ præfloratam[6] ad Thermopylas esse. Cæterum vere æstimanti Ætolicum magis ad Thermopylas bellum, quam regium fuit. Quota enim parte virium suarum ibi dimicavit Antiochus? In Asia totius Asiæ steterunt vires, ab ultimi Orientis partibus[7] omnium gentium contractis auxiliis.

LIX. Merito ergo et diis immortalibus, quantus maximus poterat, habitus est honos, quod ingentem victoriam facilem etiam fecissent, et imperatori triumphus est decretus. Triumphavit mense intercalario

— *Tetradrachma attica triginta quatuor millia septingenta* æquiparat Crever. marcis argenti nostratibus 2,168, cum unciis 6; *cistophoros* vero *centum triginta unum millia trecentos*, denariis plus 70,000, qui pares sunt marcis argenti nostratibus 1,093, cum unciis 6. Cæterum hic pro *tetradrachma* Hearnius legi jubet *Tinarnica*, ex nummo, qui cum hac inscriptione ΑΘΕ ΤΙΝΑΡΝΙΚΑ ΑΡΧΕ in Ponto Euxino inventus est. Is autem nummus paria facit drachmis. De hac conjectura, omnino rejicienda, conf. Drak. ad h. l. Ed.

4. *Prospere rempublicam gessisset;* vide ad H, 64, n. 3.

5. *Ne cognomini fratris cederet:* 3 MSS exhibent cum editione Ald. et sequentibus, *ne cognomine fratri cederet;* vide supra ad IV, 11, not. 1. — *Asiaticum se appellari voluit* aut *Asiagenem*, græca vocis forma, quæ in MSS legitur XXXIX, 44 pr. vid. Gron. Obss. IV, 25; Spanhem. de pr. et usu num. Diss. X, pag. 64 sq. et Hard. ad Plin. XXXIII, 9 seu 53.

6. *Gloriamque ejus victoriæ præfloratam*, præreptam, vel potius imminutam (conf. intpp. Plin. Pan. 58, et Gell. XIV, 1 extr.), *ad Thermopylas esse*, victoria M'. Acilii Glabrionis, ibi ab Antiocho reportata, quæ jam vires ejus fregisset: *defloratam* alii, quo verbo sequior ætas usa; Gron. — *Ætolicum magis ad Thermopylas*, etc. conf. XXXVI, 15-19.

7. *Ab ultimi Orientis partibus*, al. *ultimis*, prob. Gron. Vox *partibus* in nullo MS, præter Lov. 5, reperta. *Ab ultimo o.* MS Hard. *ab ultimis o.* Mog. et alii. Neutrum displicebat Drak.

Digitized by Google

pridie Calendas[1] Martias. Qui triumphus spectaculo oculorum major, quam Africani fratris ejus, fuit; recordatione rerum et æstimatione periculi certaminisque non magis comparandus, quam si imperatorem imperatori, aut Antiochum ducem Hannibali conferres. Tulit in triumpho signa militaria ducenta triginta quatuor; oppidorum simulacra centum triginta quatuor[2]; eburneos dentes mille ducentos triginta unum; aureas coronas ducentas triginta quatuor; argenti pondo centum triginta septem millia et quadringenta viginti; tetradrachmum Atticorum ducenta viginti quatuor millia; cistophorum trecenta triginta unum millia et septuaginta; nummos aureos Philippeos centum quadraginta millia[3]; vasorum argenteorum (omnia cælata erant) mille pondo et quadringenta viginti quatuor, aureorum mille pondo viginti quatuor; et duces regii, præfecti et purpurati duo et triginta ante currum ducti. Militibus quini viceni denarii[4] dati, duplex centurioni, triplex equiti:

Cap. LIX, 1. *Pridie Cal. Martias;* conf. verba extr. cap. *anno fere post, quam consulatu abiit;* qui tum temporis Idibus Mart. iniebatur. — De mense intercalario vide ad I, 19, n. 5. Ed.

2. *Oppidorum simulacra CXXXIV;* vide ad V, 30, n. 4.—*Tetradrachmorum... cistophororum;* vide ad c. 58, n. 3.—Primam summam *argenti pondo*, etc. æstimat Crever. marcis nostratibus 214,718, cum unciis 6; secundam, *tetradrachmum atticum*, etc. marcis argenti 14,000; tertiam, *cistophorum trecenta*, etc. denariis amplius 176,570 qui pares sunt marcis argenti 2,758, cum septem unciis, et duobus, ut vocant, grossis. Ed.

3. *Nummos aureos Philippeos* ad *CXL millia;* nisi cum Gronov. leg. *nummorum aureorum Philippeorum.* Conf. tamen Periz. ad Sanctii Min. IV, 8, p. 711.—Nummos aureos 140,000 efficere minas 2,800 ait Crever. ac proinde marcas auri nostrates 4,375. Ed. — *Vasorum argenteorum*, etc. conf. Plin. XXXIII, 9 seu 53, ubi numerus in codd. omnem fidem excedere videtur, et in ed. Hard. vasis aureis plus tribuit ponderis, quam argenteis; Drak. Conf. Pigh. ad a. 564. — *Vasorum argenteorum..... mille pondo et quadringenta viginti quatuor* secundum Creverii supputationem, marcas nostrates 2,225. *Aureorum mille pondo viginti quatuor*, marcas 1,600. Ed.

4. *Militibus quini viceni denarii*,

Digitized by Google

et stipendium militare et frumentum duplex post triumphum datum: prælio in Asia facto, duplex dederat. Triumphavit anno fere post, quam consulatu abiit.

LX. Eodem fere tempore, et Cn. Manlius consul in Asiam, et Q. Fabius Labeo prætor ad classem venit. Cæterum consuli non deerat cum Gallis belli materia[1]. Mare pacatum erat, devicto Antiocho; cogitantique Fabio, cui rei potissimum insisteret, ne otiosam provinciam habuisse videri posset, optimum visum est in Cretam insulam trajicere[2]. Cydoniatæ bellum adversus Gortynios Gnossiosque gerebant, et captivorum romanorum atque italici generis magnus numerus in servitute esse per totam insulam dicebatnr. Classe ab Epheso profectus, quum primum Cretæ litus attigit, nuntios circa civitates misit, ut armis absisterent, captivosque in suis quæque urbibus agrisque conquisitos reducerent, et legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus Cretenses pariter Romanosque pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses moverunt. Captivos, præter Gortynios, nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quatuor millia captivorum,

etc. hæc est prima mentio *denariorum*, militibus ab imperatoribus triumphantibus divisorum; quod deinde fere semper sic factum est: ante hoc tempus iis certus numerus *æris* vel *assium* datus dicitur. Ita Periz. de ære gravi, § 19. — *Quini viceni denarii*, ex Crever. auctoritate, efficiunt ternas argenti uncias nostrates cum granis 72. Ed. — *Stipendium militare et frumentum duplex;* vide ad XXXIX, 7, n. 2.

Cap. LX. 1. *Cum Gallis belli materia;* vide ad cap. 51, n. 5. — *Cogitantique Fabio* omnes MSS præter Mog. ex quo *Cogitanti Q. Fabio* recepit Drak. *Cogitanti itaque F.* conj. Sigon. vide ad I, 39, n. 7.

2. *In Cretam insulam trajicere*, ubi sæpe intestinæ erant discordiæ, et *Gortynii Gnosiique* modo societate inita ad dominatum in tota insula adspirabant, modo vel inter se, vel cum aliis insulæ civitatibus bella gerebant; vid. Polyb. IV, 53-55; VII, 12; XXIII, 15; XXVII, 16; XXVIII, 13; XXXI, 1. *Gnossiique*, ut Γνώσιοι et Γνώσιοι in nummis apud Harduin. Sed plerumque dicuntur gr. Κνώσσιοι et Κνώσιοι (quæ vetustissima forte scriptura), ut urbs Κνωσσὸς et Κνωσός.—*Gortynium* seu *Gortyna*,

Digitized by Google

quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit; eamque causam Fabio, quum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi[3] ab senatu fuisse. A Creta Ephesum Fabius rediit: inde tribus navibus in Thraciæ oram missis, ab Æno et Maronea præsidia Antiochi deduci jussit, ut in libertate eæ civitates essent.

hodie vicus, quem vocant *Gurtina*; *Gnossus*, hod. *Ginosa*. Ed.

3. *Navalis triumphi impetrandi*; vid. XXXVIII, 34, n. 4.—Pro *fuisse* male Gaertn. *fecisse*. Mox pro *Maronea* Crever. *Maronia*, quod quidem in omnibus MSS legitur: observat vero Drak. urbem hanc supra et infra semper *Maroneam* vocari. Cujus discrepantiæ causam in eo reperias quod, ut monuit idem ad XXXI, 43, n. 5, apud Græcos in ειά exeuntia urbium nomina, modo per *ea*, modo per *ia* scribuntur in lingua latina. Ed.

Digitized by Google

EXCURSUS

DE ROMANORUM

ET PRÆSERTIM

DE ANTIOCHI EXERCITU AD MAGNESIAM,

LIB. XXXVII, CAP. 39, 40 ET 41.

Etsi nos pauca præfari juvaret de tabula quam a Glareano descriptam ex edit. Drakenborchiana deprompsimus, tamen quum ipse Glareanus rationem propositi breviter exponat, tantum ipsius verba, ut se habent, transcribemus: « Quoniam, quæ oculis subjiciuntur, picturæ magis juvant memoriam, explicantque nonnunquam quod implicatum videtur, operæ pretium existimavi me facturum, si hujus pugnæ typum, saltem rudi Minerva, depingerem, neque alia de causa, quam ut lector uno nosceret intuitu hujus descriptionis errores; quos injuria temporum accidisse, nemo inficias ire poterit. Eos tamen locos paulo post singillatim recensebimus: nunc ipsam picturam intuebimur, qua haud sum nescius non omnibus satis me facturum, quippe qui mihi ipsi non satisfacio: dabimus tamen aliis cogitandi occasionem ac velut ansam ad ea intentius perquirenda, quæ nos fortassis latuere, id quod non uno duntaxat loco jam fecimus. »

Mox idem de Romanorum ordine disserit, verbis paucis, siquidem simplex est et clara admodum in hoc loco Livii narratio (1): « In Romanorum acie non tantum nego-

(1) Vid. cap. 39.

Digitized by Google

tii est atque in altera: erat enim ea simplex, et *unius prope formæ*, ut Livius inquit, et hominum et armorum genere. Id vero maximopere hic mirandum, quum Romani tertiam jam orbis partem invaderent, ac in alterum velut mundum concederent, adversus potentissimum regem bellaturi, non tamen habuisse eos ultra quatuor legiones: ut verisimile videatur, quod Vegetius, lib. II, cap. 4, in hæc ait verba: *In omnibus auctoribus invenitur, singulos consules adversus hostes copiosissimos non amplius quam binas duxisse legiones, additis auxiliis sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuivis bello duæ legiones crederentur posse sufficere.* Hæc ille. Sociorum auxilia vel æquabant, vel plura erant. »

Notandum, non *Tralles*, sed *Triballos*, inter socios Romanorum in Glareani tabula scriptos. De quo sic Glareanus: « *Triballos* legendum puto: etenim et lib. XXVII, 32, eo modo codices errabant. Et hoc loco error inde etiam apparet, quod hic secunda declinatione *Trallos* codices habent, paulo post autem *Tralles* tertia declinatione. Sed ita res habet: *Triballi* gens Illyrica est, quæ hoc tempore cum Romanis erat, nempe antea cum Philippo. *Tralles* autem gens et oppidum ad Mæandrum fluvium, penitus sub Antiochi ditione ». Hic vero errat Glareanus: nam apud Drakenborchium legimus Stephanum scripsisse: Τραλλία μοῖρα τῆς Ἰλλυρίας· λέγονται καὶ Τράλλοι, καὶ Τράλλες παρὰ Θεοπόμπῳ.

Nunc idem sic de regio exercitu disputat: « Elegantissime ordinata hæc videtur fuisse acies: primum quidem ut robur phalangis, qua olim Macedones usi orbem terrarum brevi tempore subegere, in medio locaretur, extrema autem cornua clauderent et funditores Cyrtæi et Elymæi sagittarii. Proxime phalangem auxiliaria ex utroque latere duplicia, non multo dissimili modo ornata; elephanti senideni in subsidiis, et præter elephantos phalangitis intermixtos, camelorum ac falcatarum quadrigarum terriculamentum ante aciem ingens positum. Hæc ita breviter a nobis reci-

Digitized by Google

tata si quis memoria habebit, comparationemque laterum inter se fecerit, facile videbit, insignes hic esse codicum omnium errores. Nam qui fieri possit, ut non altero loco sit error, quum *cataphracti equitatus* in dextro Antiochi cornu fiat mentio, quando ipse rex quatuor illas turmas sinistri Romanorum cornu a ripa Phrygii amnis deturbat, cujus hic, quum idem hoc dextrum Antiochi cornu diligenter describeret Livius, prorsus non meminit? *Pedites* quidem *loricatos, cataphractos* ab Asiaticis vocatos, ponit, sed id ego corruptum puto. Quis enim unquam *pedites cataphractos* legit? item in fuga lævi Antiochi cornu enumerat postea *equites phalangitas*, quorum antea in descriptione ejusdem cornu non meminit. De numero idem dicimus. Si enim in unum, qui hic ponuntur, numeri et equitum et peditum coacerventur, non explent *sexaginta*, superant autem *quinquaginta millia*, quum Livius paulo ante (cap. 37) solius peditatus *sexaginta millia* in Antiochi exercitu fuisse scribat, equitum autem *plus XII millia*. Hos igitur errores, si exemplariorum fides nobis defuerit, non ulla alia ex re melius deprendere licebit, quam ex laterum collatione. Verisimile est enim, Antiochum utrumque cornu æque firmum instituisse. Ita quum proxime phalangitas utrinque sint Gallogræci pedites milleni quingenteni, propius vero est, in reliquis eorum ordinum auxiliis æqualem fuisse numerum, aut saltem non minorem, ubi rex stabat. At in sinistro quidem latere post pedites Gallogræcos ponuntur et Cappadoces et alii auxiliares, deinde vero sequuntur cataphracti et alii equites mille. In dextro vero, ubi rex erat, continuo peditibus Gallogræcis subjiciuntur cataphracti sive loricati equites, et ala equitum, *gemea*, sive, ut alii legunt, *agema* vocata. Duo igitur populi aut potius ordines in ea parte omissi videntur, et numerus etiam plus quatuor millibus deficit. Idem de continuo sequentibus utroque in latere ordinibus dico: si argyraspidas Tarentinis comparabis (quibus neutra in parte adest numerus, quod equidem miror)

Digitized by Google

ac deinde Gallogræcos equites Dais equitibus conferes, reliquorum deinde sequentium comparatio eadem erit, quæ in prioribus fuit, clauda. Quanquam fieri potuit, ut adversus dextrum Romanorum cornu, in quo et Eumenes fuisse videtur, majores copias opposuerit Antiochus : at id hæc vulnera non sanat. Si quis igitur, facta comparatione, hæc singula perpenderit, inveniet nos haud temere dubitasse. »

Quare hic *agema* dubitet scribere Glareanus, et videatur anteferre *gemea*, plane nescimus. Hæc nempe, de qua nunc agitur, ala equitum, vocatur ἄγημα ab Appiano, B. S. c. 107, pag. 172; et ab Arriano, lib. IV, cap. 25. Curtius etiam, lib. IV, cap. 13, *equites, quos agema appellant*. Appianus l. c. equitibus Gallogræcis ab utraque parte phalangem clausam atque munitam fuisse tradit his verbis : ἱππεῖς δ' ἑκατέρωθεν αὐτοῦ παρατετάχατο, Γαλάται τε κατάφρακτοι, καὶ τὸ λεγόμενον ἄγημα τῶν Μακεδόνων· εἰσὶ δὲ καὶ οἵδε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, καὶ παρ' αὐτὸ ἄγημα λέγεται· τάδε μὲν ἐξ ἴσου τῆς φάλαγγος ἦν ἑκατέρωθεν. Quæ verba, ut recte Sigonius monuit, et quid sit agema docent, et nihil huic loco deesse, contra Glareani sententiam, omnino probant. Sigonius idem exemplum hoc Suidæ affert : Ἄγημα τὸ προϊὸν τοῦ βασιλέως τάγμα ἐλεφάντων, καὶ ἵππων, καὶ πεζῶν· οἱ δὲ τὸ ἄριςον τῆς Μακεδονικῆς συντάξεως, κραταιὸν ὁπλίσει καὶ σωμάτων εὐεξίᾳ. Cæterum conf. Nostrum, XLII, 51 et 58; et notas editionis nostræ Curtii, vol. I, p. 146 et 307.

Mox idem Glareanus descriptionis loca singillatim prosequitur. Ac primum, de peditibus loricatis, quos appellari *cataphractos* ait Livius c. 40 : « Hic plane videntur quædam omissa; nam in altero cornu, post Gallogræcos pedites, ponuntur Cappadoces et auxiliares, tertio autem loco cataphracti equites. Ita hoc in loco post Gallogræcos pedites non continuo cataphracti sequuntur, ut puto, sed alii quos omisit. Et suspicionem dat verbum *cataphractus*, quod pediti loricato attribuerunt quicumque hæc corruperunt, quum tertio deinde ordini tribuendum erat. Idem suspicor de numero *III millia* ut ex comparatione laterum intelligitur ».

Digitized by Google

Post hæc, aggreditur loca quæ ad *Dahas*, quos scribit *Daas*, et ad *regiam alam* attinent. De primo loco, *Dahæ deinde equites*, etc. in med. cap. 40 : « Totus hic locus mutilus est et incertæ distinctionis ; nescias enim, Daasne equites etiam sagittarios faciat, an seorsum sagittarii intelligendi. Ita continuo post, levisne armaturæ trium millium seorsum accipienda, ac deinde Tralles ac Cretenses pari numero, hoc est, etiam trium millium ? an Tralles ac Cretenses fuerint ea tria millia, pari numero, hoc est, milleni quingenteni ? Et illud *duo millia* ad Mysos referendum legendumque *sagittarii*, ut vetustiores habent codices, in nominandi casu, non dandi, ut Mysos sagittarios intelligamus ? » Mox de secundo, *regia ala levioribus tegumentis*, etc. « Quæ sit illa *regia ala*, plerique dubitant, atque adeo etiam ego. Sed magis hoc obscurum, quum inquit, *ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ*, etc. quemnam equitatum intellexerit, quum cataphractos ac alios equites præcederent Gallogræci pedites, Cappadoces, ac auxiliarii : quibus omnibus in typo eos præposuimus ».

Regiam alam, ἑταιρικὴν, id est, *amicorum* sive *sodalium*, vocat Appianus. Dixit enim, B. S. cap. 107, pag. 173, καὶ ἣν ἐκάλουν ἑταιρικὴν, ὡπλισμένην κούφως. Arrianus, lib. I, c. 19, vocat τῶν ἑταίρων τὴν βασιλικὴν ἴλην. Conf. Drakenb. ad h. l. et *Sainte-Croix*, *Examen crit. des Hist. d'Alexandre, sect.* III, p. 453 sqq.

Inde alia multitudo, par ei, quæ in dextro cornu erat... in eodem cap. paulo inferius : « Si *par ei*, inquit Glareanus, ergo Tarentinis comparabimus argyraspides, et Gallogræcis equitibus Daas equites, quos in eodem dextro cornu sequuntur sagittarii, quibus Neocretes comparabuntur : deinde reliqua erit comparatio aliquo pacto æqua, videlicet trium millium Cretensium ac Trallium in dextro cornu, ad mille quingentos Caras ac Cilicas in sinistro cornu, totidemque Tralles eodem in cornu. »

Quod attinet ad Hannibalem hoc loco a Livio omis-

Digitized by Google

sum, etsi vir summæ fidei *Rollin* testetur, Hist. Rom. t. VII, p. 262, non eum potuisse prælio ad Magnesiam interesse; quem scilicet Rhodii in Pamphylia obsessum tenebant, tamen videtur hic aut oblivionis accusandus Livius, aut a librariis hoc loco truncatus ac deformatus. Pœnum nempe Cornelius Scipio Nasica, libro sequenti, ad finem cap. 58, præsentem vidisse id prælium asseverat: « non fuisse (ait) minorem (in prælio ad Magnesiam) eum exercitum, quam Hannibalis, cum quo in Africa esset pugnatum. Hannibalem eumdem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit ». Gellius quoque Noct. Att. lib. V, cap. 5, testis est non ab hac pugna abfuisse Hannibalem, quem narrat apud Antiochum gloriantem de specie ornatissima ac locupletissima exercitus, facetissime cavillatum: « Hannibalem rex aspicit: et, putas-ne, inquit, conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia? tum Pœnus eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum: satis plane, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, etiamsi avarissimi sunt. Nihil prorsus neque tam lepide, neque tam acerbe dici potest: rex de numero exercitus sui ac de æquiparatione æstimanda quæsierat; respondit Hannibal de præda ». Ed.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XXXVIII.

BREVIARIUM.

Cap. I; Amynander, in Ætolia exsulans, popularium Ætolorumque ope præfectos et præsidia Macedonum expellit ex Athamania, et regnum recuperat paternum. — II; Philippus frustra Athamaniam recipere conatur. — III; Amynander legatos Romam et ad Scipiones mittit, petitque pacem. Ætoli Amphilochiam, Aperantiam, Dolopas et Ambraciam ad deditionem compellunt; sed, certiores facti de clade Antiochi et M. Fulvii cos. adventu, principes gentis cum Rhodiorum Atheniensiumque legatis ad pacem, nuper repudiatam, iterum petendam, Romam mittunt. — IV-VII; Fulvius Ambraciam, et Perseus Philippi filius Amphilochiam summa vi oppugnat; simulque Pleuratus, Illyriorum rex, et Achæi vastant maritima Ætoliæ. — VIII; Hinc Phæneas et Damoteles, principes Ætolorum, cum liberis mandatis veniunt ad consulem, durasque pacis conditiones ad concilium gentis referunt. — IX; Simul Atheniensium Rhodiorumque legati pro Ætolis deprecantur, et Amynander pro Ambraciensibus. Hi regis consilio precibusque moti permittunt se Romanis; et in Ætolorum concilio omnes accipi pacem jubent. — X; Tum legati Ætoli, Rhodii et Athenienses, Romam proficiscuntur ad senatum, qui aures, querelis Philippi præoccupatas, non Ætolorum quidem precibus, at deprecatorum tamen præbet. — XI; Diu jactati Ætoli tandem, ut conditiones pacis conveniant, efficiunt. — XII; Cn. Manlius cos., acceptis Ephesii copiis a L. Scipione, milites et Attalum ad novum cum Gal-

Digitized by Google

lograecis, propter auxilia Antiocho missa, suscipiendum bellum adhortatur. — XIII; Transgressus Mæandrum, Antiochiam, Apameam, Gordiutichos et Tabas pervenit. — XIV; A Moagete, infido Cibyræ tyranno, inopiam et lacrymas simulante, multum frumenti ac pecuniæ exigit. — XV; Per Pamphyliam Pisidiamque in Phrygiam et ad Tolistoboiorum fines progreditur. — XVI; Gallograecorum origo, tres populi, Tolistoboii, Trocmi, Tectosagi, horumque sedes et terror nominis.—XVII; Consulis oratio ad milites, qua ingenium moresque Gallorum et Gallograecorum adumbrantur.—XVIII; Iter ejus per Gallograeciam, et bona sed irrita officia Eposognati, qui unus ex regulis negaverat Antiocho adversus Romanos auxilia. — XIX; Tres Gallograecorum gentes regulique earum, Ortiagon, Combolomarus et Gaulotus, Olympum et Magaba montes insidunt. — XX - XXIII; Romani ex Olympo pellunt hostes, et XL millia tum cædunt, tum capiunt. — XXIV; Inde ad Ancyram, Tectosagorum caput, moventur eorum castra; e quibus nobilis captiva, Ortiagontis uxor, corrupto et necato centurione custode, qui vim corpori ejus fecerat, elabitur. — XXV; Reges Gallorum petunt colloquium, et consuli nequidquam insidiantur. — XXVI, XXVII; In Magabis, ut in Olympo, vincuntur, et, amissis castris cum ingenti præda, quam avidissima rapiendi gens per annos multos coacervaverat, oratores de pace ad consulem mittunt. — XXVIII; T. Quintius Flamininus et M. Claudius Marcellus censuram agunt. M. Fulvius cos., perdomitis Ætolis, venit in Cephalleniam, cujus quatuor populi, Nesiotæ, Cranii, Palenses et Samæi, deditionem non recusant. Sed mox Samæi, incertum quam ob causam, soli rebellant, — XXIX; et, urbe capta direptaque, sub corona omnes veneunt.—XXX; A Cephallenia consul in Peloponnesum trajicit, ad dirimendam controversiam Achæorum et Lacedæmoniorum. Hi ægre patientes, laconicæ oræ vicos et castella a T. Quintio in Achæorum fidem tutelamque tradita esse, et magnam exsulum spartanorum partem in iis habitare, vicum Lan improviso occupaverant, — XXXI; quumque Philopœmen, prætor Achæorum, postulasset, ut ejus rei auctores traderentur, renuntiata Achæis societate, legatos ad Fulvium miserant, qui Romanis Lacedæmonem dederent. — XXXII; Jussu consulis Achæi et Lacedæmonii abstinent bello, et Romam mittunt legatos; qui responsum referunt perplexum. — XXXIII; Hinc Philopœmen ite-

Digitized by Google

rum deposcit auctores defectionis; qui cum aliis illustribus viris in castra Achæorum veniunt, et a multitudine, exsulum illorum vocibus accensa, obtruncantur. — XXXIV; Tum Lacedæmonii muros diruere, Lycurgi leges abrogare et recipere exsules coguntur: quibus rebus enervata eorum civitas, diu Achæis obnoxia fuit. — XXXV; Consules Romæ (M. Valerius Messalla et C. Livius Salinator), prætoresque creantur; qui paulo post sortiuntur provincias. Signa et clypea aurata in æde Herculis et Capitolio posita. Ludi Romani plebeiique. — XXXVI; Decernuntur legiones, et, prodigiorum causa, supplicatio sacrificiumque novemdiale indicitur. Campani impetrant, ut sibi cives romanas ducere uxores liceat; Formiani autem, Arpinates Fundanique, ut sibi Romæ sit suffragii latio. Qui omnes hoc anno primum censentur Romæ, et lustrum conditur. — XXXVII; Ad Cn. Manlium proc., Ephesi hibernantem, legationes Antiochi, Gallogræcorum, Ariarathis gentiumque omnium, cis Taurum montem incolentium, conveniunt; quibus non ante responsum datur, quam Eumenes et decem legati Roma adveniunt. — XXXVIII; Ex horum sententia Apameæ fœdus cum Antiocho conscribitur. — XXXIX; Q. Fabius Labeo naves regias concidere aut cremare, classemque, cui præest, ab Epheso in Italiam reducere jubetur. Conditio civitatium Asiæ mutatur, regnumque Eumenis amplificatur in Asia et Europa; socer autem ejus Ariaruthes, rex Cappadocum, qui auxiliis Antiochum juverat, in amicitiam Rom. accipitur. — XL, XLI; Tum Manlius cum x legatis omnique exercitu ad Hellespontum, et inde per Chersonesum et Thraciam proficiscitur: sed agmen grave præda omnis generis trahens, in locis angustis, silvestribus et confragosis, Thracum rapiendi cupidorum insidiis excipitur, magnaque hominum et impedimentorum parte amissa per Macedoniam in Thessaliam, et inde per Epirum Apolloniam pervenit. — XLII; Romæ consules (M. Æmilius Lepidus et C. Flaminius) creantur, et decernuntur provinciæ. — XLIII; M. Æmilius ad invidiam M. Fulvio, inimico absenti, faciendam in senatu Ambraciensium, qui injustum sibi bellum ab eo illatum queruntur, causam agit adversus Flaminium collegam. — XLIV; Qui quum æger forte abest, perfert Æmilius senatusconsulta in gratiam Ambraciensium. Supplicatio et Latinæ feriæ. — XLV, XLVI; Cn. Manlio triumphum petenti contradicunt pars major x legatorum, qui cum eo fuerant, et ante alios L. Furius Purpureo et

Digitized by Google

L. Æmilius Paullus. — XLVII-XLIX; His respondet Manlius. — L; Triumphus ei decernitur; et certamen hoc excipit mox aliud longeque majus. Duo Q. Petillii diem dicunt P. Scipioni Africano: qui jussus dicere causam, sine ulla criminum mentione orationem magnificam de rebus ab se gestis exorditur. — LI; Tribuni plebis, suspicionibus magis quam argumentis, superbiæ eum et pecuniæ ab Antiocho captæ reum accusant, veteraque luxuriæ crimina Syracusanorum hibernorum, et Locris Pleminianum tumultum, ad fidem præsentium criminum referunt. Scipio autem, præfatus, se hoc die cum Hannibale et Pœnis in Africa bene et feliciter pugnasse, ad gratias diis agendas ab Rostris adscendit in Capitolium et per totam urbem omnia deorum templa circumit, prosequente eum universa populi concione. — LII; Quo facto in Literninum concedit, et tribunis diem prodicentibus intercedit unus eorum Ti. Sempronius Gracchus, etsi inimicus est Scipionibus. — LIII; Oratio ejus in laudem Scipionis habita movet non cæteros modo, sed ipsos etiam accusatores, et in senatu gratiæ ei ingentes aguntur. Silentium deinde de Africano est; qui Literni et vitam egit sine desiderio ingratæ patriæ, et sepeliri voluit: vir memorabilis; bellicis tamen, quam pacis, artibus, et prima vitæ, quam postrema, parte memorabilior. — LIV; Morte Africani crescunt inimicorum animi, et auctore M. Porcio Catone, principe eorum, Petillii rogationem promulgant, ut quæratur, quantum pecuniæ et ab Antiocho captum, et in ærarium sit relatum. Quæ lex, nequidquam intercedentibus Mummiis tribunis et L. Scipione Asiatico querente, sepulti adeo fratris famam lacerari, et se eadem onerari invidia, perfertur auctoritate et eloquentia Catonis. — — LV; Jussu Patrum quæstionem exercet Q. Terentius Culleo prætor, Corneliæ familiæ amicissimus, quem P. Scipio in Africa servitio exemerat: et damnatur L. Scipio una cum A. Hostilio legato et C. Furio quæstore. — LVI; De P. Scipionis accusatore, de tempore, quo dies ei dicta, et de anno locoque, quo mortuus sit et sepultus, non convenit inter scriptores rerum; et orationes quoque, si modo ipsorum sunt, quæ feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se. — LVII; Præterea constat quidem, filiam P. Scipionis majorem P. Cornelii Nasicæ, et minorem Ti. Gracchi uxorem fuisse; non vero, utrum hæc Graccho a patre ipso, et adeo inter solennem senatus cœnam in Capitolio, an post mortem ejus desponsa sit ac nupserit. — LVIII, LIX;

Digitized by Google

L. Scipio quum in vincula ducitur, P. Scipio Nasica tribunos appellat, orationemque habet plenam veris decoribus et Corneliæ gentis et familiæ suæ. — LX; Terentio adversus eam senatusconsultum et rogationem Petilliam recitante, neque intercedentibus reliquis tribunis, Ti. Gracchus decernit, se non prohibere, quo minus ex bonis L. Scipionis, quod judicatum sit, redigi, non vero passurum, in carcere ipsum et in vinculis esse. Ex bonis deinde ejus a quæstoribus nequaquam tantum redigitur, quantæ summæ damnatus fuerat; et ipse ex ingenti pecunia, a cognatis amicisque et clientibus ei collata, nihil accepit, contentus, necessaria ad cultum a proximis sibi cognatis suppeditari.

I. Dum in Asia bellum geritur, ne in Ætolis quidem quietæ res fuerant, principio a gente Athamanum orto. Athamania ea tempestate, pulso Amynandro[1], sub præfectis Philippi regio tenebatur præsidio; qui superbo atque immodico imperio desiderium Amynandri fecerant. Exsulanti tum Amynandro in Ætolia, literis suorum, indicantium statum Athamaniæ, spes recuperandi regni facta est: remissique nuntii[2] ab eo ad principes Argitheam (id enim caput Athamaniæ erat), si popularium animos satis perspectos haberet, impetrato ab Ætolis auxilio, in Athamaniam se venturum cum delectis Ætolorum[3], quod consilium esset

Cap. I. 1. *Athamania, pulso Amynandro* a Philippo, quum Antiocho se junxisset, *sub præfectis Philippi*, etc. vide ad XXXVI, 9 et 14.

2. *Remissique nuntii*, literæ per nuntios... *se venturum* (vid. VIII, 19, n. 10), ita cod. Mog. *remissique ab eo* (qui literas attulerant) *nuntiant principibus* reliqui MSS et edd. antt. prob. Gron. Sed ita dicendum erat *eum venturum;* Drak. — *Perspectos haberet*, sc. Amynander. Alii *haberent*, sc. principes Athamanum.

3. *Cum delectis Ætolorum*, apocletis, *quod consilium* (MSS et edd. antt. *concilium*) *esset gentis*, sc. Ætolorum; vide ad I, 54, n. 1, et XXXV, 34, n. 2. Hæc verba Drak. exponit: *ut consilium essent gentis* Athamanum, i. e. ut Athamanes in defectione ab Philippo et in bello, quod ei inferre meditabantur, illorum consilio uterentur. Apocletos igitur Ætolorum hic dicit eodem fere modo vocari *consilium* Athamanum, quo legatos et tribunos militum *consilium imperato-*

Digitized by Google

gentis, et Nicandro prætore. Quos ubi ad omnia paratos esse vidit, certiores subinde facit, quo die cum exercitu Athamaniam ingressurus esset. Quatuor primo fuere conjurati adversus Macedonum præsidium. Hi senos sibi adjutores ad rem gerendam assumpserunt: deinde, paucitate parum freti, quæ celandæ rei quam agendæ aptior erat, parem priori numerum adjecerunt. Ita duo et quinquaginta facti, quadrifariam se diviserunt: pars una Heracleam, altera Tetraphyliam petit, ubi custodia regiæ pecuniæ esse solita erat, tertia Theudoriam, quarta Argitheam. Ita inter omnes convenit, ut primo quieti, velut ad privatam rem agendam venissent, in foro obversarentur[4]; die certa multitudinem omnem convocarent ad præsidia Macedonum arcibus expellenda. Ubi ea dies advenit, et Amynander cum mille Ætolis in finibus erat; ex composito quatuor simul locis præsidia Macedonum expulsa, literæque in alias urbes passim dimissæ[5], ut vindicarent sese ab impotenti dominatione[6] Philippi et restituerent in patrium ac legitimum regnum. Un-

rum, judices assessoresque *consilium prætorum*, consiliarios aulicos *consilium regum* appellatos esse, docuerit Gronovius infra ad XLIV, 2, n. 5. — *Quatuor conjurati* primum *senos*, quisque sex, *sibi adjutores assumpserunt*, deinde iidem quatuor *parem priori numerum adjecerunt*, adeoque iterum senos, et *ita LII facti*.

4. *In foro obversarentur;* vide ad XXIV, 23, n. 2.

5. *Literæque passim dimissæ, ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10.

6. *Ab impotenti dominatione;* vide ad III, 36, n. 2. — *In patrium regnum*, paternum, ut cap. 3 pr. Conf. ad VIII, 7, n. 2, *et restituerent* sese *in patrium ac legitimum regnum*, ad patrium et justum regem: nam habent populi sub rege viventes instar libertatis, rege cive et non alienigena, tum legitimo et regiæ stirpis, non insititio, uti; Gron. coll. Herodoto, I, 126, 129, III, 82; Sall. Jug. 56. Sed non credo facile ostendi posse, eos, qui regibus civibus, et jam inde a majoribus stirpis regiæ, parent, dici *sub regno patrio esse* seu *vivere*, et populos, si reges suos ab externis pulsos restituant, *sese in patrium regnum restituere:* nam *regnum paternum*, *patrium* et *avitum* dicuntur non respectu ad cives, sed ad reges habito, qui a patribus et avis regnum acceperunt; Duk. *In pristinum* (ubi Amynander olim regnasset) *ac legitimum*

Digitized by Google

dique Macedones expelluntur. Theium oppidum, literis a Zenone præfecto præsidii interceptis, et arce ab regiis occupata, paucos dies obsidentibus restitit: deinde id quoque traditum Amynandro est; et omnis Athamania in potestate erat, præter Athenæum castellum, finibus Macedoniæ subjectum.

II. Philippus, audita defectione Athamaniæ, cum sex millibus armatorum profectus, ingenti celeritate Gomphos pervenit. Ibi relicta majore parte exercitus (neque enim ad tanta itinera subfecissent)[1], cum duobus millibus Athenæum, quod unum a præsidio suo retentum fuerat, pervenit. Inde, proximis tentatis, quum facile animadvertisset cætera hostilia esse, Gomphos regressus, omnibus copiis simul in Athamaniam rediit. Zenonem inde, cum mille peditibus præmissum, Ethopiam occupare jubet, opportune Argitheæ imminentem. Quem ubi teneri a suis locum vidit, ipse circa templum Jovis Acræi[2] posuit castra. Ibi unum diem fœda tempestate retentus, postero die ducere ad Argitheam intendit. Euntibus extemplo apparuere Athamanes, in tumulos imminentes viæ dis-

regnum MS Gaertn. non improb. Drak. *Amynandrum* quidam MSS et vett. edd. inserunt post *restituerent*, et sane utrumque epitheton *patrium* ac *legitimum* ad eum pertinet. Forte leg. *restituerent patrium* (indigenam) *ac legitimum regem*. Facile *regnum* in *regem* mutari et deinde τὸ *in* addi potuit, vel lectio vulg. orti ex glossa *in regnum*, verbo *restituerent* adscripta. Possit et *jam* reponi pro *in*. — Suspicatur Doering. post *restituerent* excidisse verbum *regem*, quod præcedens syllaba *rent* absorpsisse videri potest. Magis placet clar. Ruperti conjectura. Ed.

Cap. II. 1. *Ad tanta itinera suffecissent* cod. Mog. quod forte glossema est τοῦ *sufficerent*, quod in reliquis MSS et edd. antt. legitur. Utrumque certe loquendi generis exempla dat Livius, teste Drak. ad h. l. Vid. II, 50, n. 10. Ed. — *Proximis tentatis locis*; vide ad IX, 35, n. 1.

2. *Circa templum Jovis Acræi*, ex emend. Modii et Gron. vid. XXXII, 23, n. 4. *Acrei* Mog. *sacra* vel *sacrum* reliqui MSS et edd. antt. Possis etiam suspicari *Arei et Hercei*. Διὸς Ἀρείου meminit Pausan. V, 14; Ἑρκείου IV, 17, V, 14; Suid. et Hesych. — *Intendit*; vide ad IV, 19, n. 1.

Digitized by Google

currentes. Ad quorum conspectum constitere prima signa, totoque agmine pavor et trepidatio erat; et pro se quisque, quidnam futurum esset, cogitare, si in valles subjectas rupibus agmen foret demissum. Hæc tumultuatio regem, cupientem, si se sequerentur, raptim evadere angustias[3], revocare primos, et eadem, qua venerat, via referre coegit signa. Athamanes primo ex intervallo quieti sequebantur: postquam Ætoli se conjunxerunt, hos, ut ab tergo agmini instarent, reliquerunt; ipsi a lateribus se circumfuderunt. Quidam, per notos calles breviore via prægressi, transitus insedere; tantumque tumultus Macedonibus est injectum, ut fugæ magis effusæ, quam itineris ordinati modo, multis armis virisque relictis, flumen trajecerint. Hic finis sequendi fuit. Inde tuto Macedones Gomphos, et a Gomphis in Macedoniam redierunt. Athamanes Ætolique Ethopiam, ad Zenonem ac mille Macedonas opprimendos, undique concurrerunt. Macedones, parum loco freti, ab Ethopia in altiorem deruptioremque undique tumulum concessere. Quo pluribus locis aditu invento, expulere eos Athamanes; dispersosque, et per invias atque ignotas rupes iter fugæ non expedientes, partim ceperunt, partim interfecerunt. Multi pavore in derupta præcipitati, perpauci cum Zenone ad regem evaserunt. Postero die per inducias[4] sepeliendi cæsos potestas facta est.

3. *Raptim evadere angustias;* vide ad XXI, 32, n. 8. — *Flumen trajecerint.* Cur nomen fluminis commemorare neglexerit Livius, nos latet. Forsan ignobilius Nostro visum est, nisi librariorum culpa excidit. Ed.

4. *Postero die per inducias* (vide ad II, 18, n. 1) *sepeliendi cæsos p. f. est*, hæc Aldus ex cod. Mogunt. recepit. *Postea per inducias,* etc. reliqui MSS et edd. antt. Mirum sane, si hoc ita evenerit, aut evenire potuerit, ut eodem die per Gomphos in Macedoniam ad regem fugerint aliqui, ita ut sequente statim redierint in locum pugnæ; Jac. Gron. « Lectionem nostram si quis tueri velit, statuendum erit, posteriorem hanc cladem narrari qui-

Digitized by Google

III. Amynander, recuperato regno, legatos et Romam ad senatum, et ad Scipiones in Asiam, Ephesi post magnum[1] cum Antiocho prælium morantes, misit. Pacem petebat, excusabatque sese, quod per Ætolos recuperasset paternum regnum. Philippum incusabat. Ætoli ex Athamania in Amphilochos profecti sunt, et majoris partis voluntate in jus ditionemque totam redegerunt gentem. Amphilochia recepta (nam fuerat quondam Ætolorum), eadem spe in Aperantiam transcenderunt. Ea quoque magna ex parte sine certamine in deditionem venit. Dolopes numquam Ætolorum fuerant[2]: Philippi erant. Hi primum ad arma concurrerunt: cæterum, postquam Amphilochos cum Ætolis esse, fugamque ex Athamania Philippi, et cædem præsidii ejus accepere, et ipsi a Philippo ad Ætolos deficiunt. Quibus circumjectis gentibus jam undique se a Macedonibus tutos credentibus esse, Ætolis fama affertur, Antiochum in Asia victum ab Romanis: nec ita multo post legati ab Roma[3] rediere sine spe pacis, Fulviumque consulem nuntiantes jam

dem post regis Philippi in Macedoniam discessum, sed tamen tempore priorem fuisse, et Livium ordinem invertisse, ne narrationem rerum Philippi abrumpere opus haberet: Philippum itaque, quum in fugam conjectus flumen trajecisset, haud longe inde castra munivisse, ut suorum, quos in Athamania reliquerat, exitum videret; quibus itidem cæsis, quum fuga elapsos collegisset, et ad interfectos sepeliendos inducias composuisset, tum demum Gomphos et inde in Macedoniam rediisse: non verisimile enim videri, Philippum, nemine insequente, in regnum usque aufugisse, et inconsulta hac fuga suos, in Athamania relictos, hostibus prodidisse. Si quis tamen *postea* malit, non adversabor. » Drak.

Cap. III. 1. *Ephesi post magnum*, etc. conf. XXXVII, 45 extr. et ad hæc et seqq. Polyb. XXII, 8. — *Ætoli ex Athamania*, etc. opportunum tempus id esse rati ad recuperanda olim amissa. — *Amphilochia recepta: nam fuerat quondam Ætolorum;* vid. III, 36, n. 4, et XXXII, 34, n. 3.—*In deditionem venit;* vide ad III, 47, n. 1, et VIII, 20, n. 7.

2. *Dolopes n. Ætolorum fuerant;* vide ad III, 36, n. 4.

3. *Legati ab Roma rediere*, etc. vide ad XXXVII, 49 et 50.

Digitized by Google

cum exercitu trajecisse. His territi, prius ab Rhodo et Athenis legationibus excitis, ut per auctoritatem civitatium earum suæ preces nuper repudiatæ faciliorem aditum ad senatum haberent, principes gentis, ad tentandum ultimam spem[4], Romam miserunt; nihil, ne bellum haberent, prius quam pæne in conspectu hostis erat, præmeditati. Jam M. Fulvius, Apolloniam exercitu trajecto, cum Epirotarum principibus[5] consultabat, unde bellum inciperet. Epirotis Ambraciam placebat aggredi, quæ tum contribuerat se Ætolis: *sive ad tuendam eam venirent Ætoli, apertos circa campos ad dimicandum esse; sive detrectarent certamen, oppugnationem fore haud difficilem. Nam et copiam in propinquo materiæ ad aggeres excitandos et cætera opera esse; et Arethontem, navigabilem amnem*[6], *opportunum ad comportanda quæ usui sint, præter ipsa mœnia fluere; et æstatem aptam rei gerendæ adesse.* His persuaserunt, ut per Epirum duceret.

IV. Consuli, ad Ambraciam advenienti, magni operis oppugnatio visa est. Ambracia[1] tumulo aspero sub-

4. *Ad tentandum ultimam spem*, e cod. Mogunt. pro *tentandam*; vide ad IX, 35, n. 1, et XXVI, 43, n. 1. —*Ne bellum haberent* cum Romanis, multum potentiore populo, utque quocumque modo impetrarent pacem. — *Prius præmeditati*; vid. IX, 23, § 1.

5. *Cum Epirotarum principibus*, etc. conf. Polyb. XXII, n. 9.—*Contribuerat se Ætolis*, scil. Ætolorum genti se adjunxerat. *Contribuere* verbum esse Liv. frequens monet Drak. exempli gratia, supra XXXI, 30, *ne in unam urbem quidem contributi majores sui*; XXXVI, 35, *maluerunt Achaico contribui concilio*; inf. XLII, 37, *nuper in Achaicum contributi concilium*. Ita et Colum. III, 3, *in Faventino agro et in Gallico, qui nunc Piceno contribuitur*. Ed.

6. *Arethontem, navigabilem amnem*; unde Ἀρέθοντα pro mendoso Ἄρατον vel Ἄραθον edidit Ursin. apud Polyb. XXII, 9, § 4; at recte forsan conj. Ἀραχθον, qui est unus e quatuor nobilissimis Epiri fluviis et Ambraciam præterfluit; sed idem videtur fluvius esse, et utrumque habuisse nomen. Conf. Strab. VII, 7, § 6, pag. 325 (ubi tamen ante Xylandrum legebatur Ἀρατθος, ut apud Dicæarch. pag. 42, ed. Steph.); Plin. IV, 1; Ptol. III, 14, et inf. XXXIII, 21. Mox cap. 4 pr. forte leg. *Arethon*, aut h. l. *Arethonem*.

Cap. IV. 1. *Ambracia..... sinum*

jecta est; Perranthem incolæ vocant. Urbs, qua murus vergit in campos et flumen, occidentem; arx, quæ imposita est tumulo, orientem spectat. Amnis Aretho, ex Athamania fluens, cadit in sinum maris, ab nomine propinquæ urbis Ambracium appellatum. Præterquam quod hinc amnis munit, hinc tumuli; muro quoque firmo septa erat, patente in circuitu paulo amplius tria millia passuum. Fulvius bina a campo castra[2], modico inter se distantia intervallo, unum castellum loco edito contra arcem objecit. Ea omnia vallo ac fossa ita jungere parat, ne exitus inclusis ab urbe, neve aditus foris ad auxilia intromittenda esset. Ad famam oppugnationis Ambraciæ Stratum jam edicto Nicandri prætoris convenerant Ætoli. Inde primo copiis omnibus ad prohibendam obsidionem venire in animo fuerat. Deinde, postquam urbem jam magna ex parte operibus septam viderunt, Epirotarum trans flumen loco plano castra posita esse, dividere copias placuit. Cum mille expeditis Eupolemus Ambraciam profectus, per nondum commissa inter se munimenta[3] urbem intravit. Nicandro cum cætera manu primo Epirotarum castra nocte aggredi consilium fuerat, haud facili ab Romanis auxilio, quia flumen intererat. Deinde, periculosum inceptum ratus, ne qua sentirent Romani[4], et regressus inde in

Ambracium; vide ad XXXII, 14, n. 6, et conf. Strab. VII, 7, § 6, pag. 325. — *Amnis Aretho*, etc. vide ad cap. 3, n. 6. — *Athamania* ex emend. Palmer. Græcia ant. II, 7, pag. 306, 319, pro vulg. *Acarnania*. Conf. Drak.

2. *Bina a campo castra;* vide ad VIII, 17, n. 5. — *Unum castellum* (vide ad V, 5, n. 2) *loco edito contra arcem objecit*, arci, vel e regione arcis, ex adverso ejus. Cf. XXXVII, 15, n. 4. — *Stratum*, Acarnaniæ oppidum, quod interjecto Acheloi cursu ab Ætolia dividitur, hod. *Strato*. Ed.

3. *Commissa inter se munimenta*, conjuncta, cohærentia, sc. castellum et bina castra vallo ac fossa jungenda. Sic cap. 7, *commissis operibus*. Conf. XXXIX, 2 extr.

4. *Ne qua sentirent R.;* vide ad II, 3, n. 6; VI, 14, n. 9, et XXXV,

Digitized by Google

tutum non esset, deterritus ab hoc consilio, ad depopulandam Acarnaniam iter convertit.

V. Consul, jam munimentis, quibus sepienda urbs erat, jam operibus, quæ admovere muris parabat, perfectis, quinque simul locis mœnia est aggressus. Tria paribus intervallis[1] faciliore aditu a campo adversus Pyrrheum, quod vocant, admovit; unum e regione Æsculapii; unum adversus arcem. Arietibus muros quatiebat, asseribus falcatis detergebat pinnas[2]. Oppidanos primo et ad speciem et ad ictus mœnium, cum terribili sonitu editos, pavor ac trepidatio

14, n. 1. — *Regressus in tutum* locum *non esset* Ald. recepit ex Mogunt. *In tuto* (h. e. tutus) *non esset* reliqui MSS, non minus apte.

Cap. V. 1. *Tria* opera *paribus intervallis*, etc. conf. Polyb. XXII, 10. — Intelligendum ex cap. seq. tria admota opera adversus unum Pyrrheum, quæ quidem ab iis postmodo nominatis diversa fuerunt; ita ut quinque opera Romani admoverint adversus Ambraciam. Ed. — *Pyrrheum*, τὸ Πύῤῥειον apud Polybium, forte regia domus Pyrrhi, qui certe ibi regiam habuit; vid. cap. 9 extr. Polyb. XXII, 13, § 9; Strab. VII, 325. Est vel præcipuum aliquod ædificium, ut templum aut sacellum, vel pars urbis Ambraciæ, ex nomine Pyrrhi appellata; Drak. Nota Duk. est: « *Pyrrheum* fanum templumve Pyrrhi Epirotæ, aut Pyrrhi Achillis filii (cujus ossa ibi sepulta fuisse, Hygin. f. 122 non obscure indicat), et *Æsculapium* (Ἀσκληπιεῖον apud Polybium) Æsculapii esse puto, ut *Dianium*, I, 48; *Minervium* in Varr. Ling. lat. IV, 14; *Didymeum* et *Mausoleum* apud Suet. Cal. 21, et Aug. 100; Palmerius Græc. ant. II, 7, Pyrrheum hic accipit monimentum Pyrrhi regis, Epirotæ, quod in direptione Ambraciæ violatum fuisse docere dicit Ovid. in Ibi, versu 305. Sed Ambraciam non direptam fuisse, auctor est Livius infra c. 9, et quod quis dicat, monimentum Pyrrhi fortassis extra mœnia urbis fuisse, id nihil nisi hariolari est. Deinde ne satis quidem certum est, ossa Pyrrhi Epirotæ sepulta fuisse Ambraciæ. Antigonum quidem filio illius Heleno ossa patris *in patriam portanda* dedisse, scribunt Val. Max. V, 1, n. 4 extr. et Justin. XXV, 5; sed Pausan. I, 13, et II, 21, Argis Cereri ex oraculo fanum, quo loco Pyrrhus ceciderat, factum, in eoque ossa illius condita fuisse refert. Quæ non aliter conciliari possunt, quam ut conjiciamus, fieri potuisse, ut eodem oraculo, quod Argivis redditum Paus. dicit, filius Pyrrhi ossa patris Argos remittere juberetur ».

2. *Asseribus falcatis detergebat pinnas*, τῶν δορυδρεπάνων ἀποσυρόντων τὰς ἐπάλξεις Polyb. Cf. XXIV, 34, n. 6, et XXVIII, 30, n. 7. — *Asseres falcati* inprimis ad diruenda mœnia adhibebantur, unde *falces murales* dicuntur apud Cæsarem, Bello

Digitized by Google

cepit. Deinde, ut præter spem stare muros viderunt, collectis rursus animis, in arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum stipitesve robustos incutiebant; falces, ancoris ferreis injectis in inferiorem partem muri trahentes asserem, præfringebant: ad hoc eruptionibus et nocturnis in custodias operum, et diurnis in stationes, ultro terrorem inferebant. In hoc statu res ad Ambraciam quum essent, jam Ætoli a populatione Acarnaniæ Stratum redierant. Inde Nicander prætor, spem nactus solvendæ incepto forti obsidionis, Nicodamum quemdam cum Ætolis quingentis Ambraciam intromittit. Noctem certam tempusque etiam noctis constituit, quo et illi ab urbe opera hostium, quæ adversus Pyrrheum erant, aggrederentur, et ipse ad castra romana terrorem faceret; posse ratus, ancipiti tumultu[3] et nocte augente pavorem, memorabilem rem geri. Et Nicodamus intempesta nocte, quum alias custodias fefellisset, per alias impetu constanti erupisset, superato brachio in urbem penetrat, animique aliquantum ad omnia audenda et spei obsessis adjecit; et, simul constituta nox venit, ex composito repente opera est aggressus. Id inceptum conatu, quam effectu, gravius fuit, quia

Gall. III, 14, et alibi. *Pinnas* intelligit Doering. quadrata lapidea, ita in summo muro disposita, ut ex ore vel apertura, quæ juxta unumquodque ejusmodi quadratum patet, desuper in obsidentes tela jaci possent. Ed. — *In arietes tollenonibus libramenta plumbi aut saxorum stipitesve robustos incutiebant*, τοῖς μὲν κριοῖς διὰ κεραιῶν ἐνιέντες σηκώματα μολύβδινα καὶ λίθους καὶ στύπη δρύϊνα, Polyb. vide ad XXIV, 34, n. 6, et XLII, 63, n. 3. — *Falces, ancoris ferreis*, etc. τοῖς δὲ δρεπάνοις σιδηρᾶς περιτιθέντες ἀγκύρας, καὶ κατασχόντες ταῦτα ἔσω τοῦ τείχους, ὥστε, ἐπὶ τὴν ἔπαλξιν συντριβέντος τοῦ δόρατος, ἐγκρατεῖς γίγνεσθαι τῶν δρεπάνων· Polybius; ubi pro κατασχόντες cum Schweigh. forte leg. κατασπῶντες. — *In interiorem partem muri*, designatur locus, ubi asserem trahentes stabant. Ed.

3. *Ancipiti tumultu*; vide ad I, 25, n. 4. — *Intempesta nocte*; vide ad XXV, 9, n. 8. — *Erupisset*; mallet Crev. *perrupisset*. Ed. — *Superato brachio*; vid. IV, 9, n. 8, et V, 8, n. 4.

Digitized by Google

nulla ab exteriore parte vis admota est; seu metu deterrito prætore Ætolorum, seu quia potius visum est, Amphilochis opem ferre nuper receptis; quos Perseus Philippi filius, missus ad Dolopiam Amphilochosque recipiendos, summa vi oppugnabat.

VI. Tribus locis, sicut ante dictum est, ad Pyrrheum opera romana erant; quæ omnia simul, sed nec apparatu, nec vi simili, Ætoli aggressi sunt. Alii cum ardentibus facibus, alii stuppam picemque et malleolos[1] ferentes, tota collucente flammis acie, advenere. Multos primo impetu custodes oppresserunt. Deinde, postquam clamor tumultusque in castra est perlatus, datumque a consule signum, arma capiunt, et omnibus portis ad opem ferendam effunduntur. Uno in loco ferro ignique gesta res est. A duobus irrito incepto, quum tentassent magis, quam inissent, certamen, Ætoli abscesserunt. Atrox pugna in unum inclinaverat locum. Ibi diversis partibus duo duces Eupolemus et Nicodamus pugnantes hortabantur, et prope certa fovebant spe, jam Nicandrum ex composito adfore, et terga hostium invasurum. Hæc res aliquamdiu animos pugnantium sustinuit. Cæterum, postquam nullum ex composito signum a suis accipiebant, et crescere numerum hostium cernebant, destituti segnius instare[2]: postremo, re omissa, jam vix tuto receptu, fugientes in urbem compelluntur,

Cap. VI. 1. *Stuppam picemque et malleolos*, manipulos sparteos pice inductos, quibus sagitta inserta (unde *malleoli* figura), ut projiciantur in hostilia munimenta, opera, tecta, incendii excitandi causa, *Pechkränze, Brandpfeile;* Ern. Clav. Cic. Conf. Vitruv. X, 22; Veget. de Re Mil. IV, 18; Ammian. XXIII, 3 (10); Lips. Poliorc. 5, V; Casaub. ad Æn. Tact. pag. 1801, et Drak. ad h. l. *Malleoli stuppæ illiti pice* dicuntur XLII, 64. — Non multum a *malleolis* differre notat Doering. telum Saguntinorum *Falaricam*, cujus descriptionem dedit Livius, supra, XXI, 8. Ed.

2. *Destituti segnius instare;* vide ad III, 38, n. 5.

Digitized by Google

parte operum incensa, et pluribus aliquanto, quam ipsi ceciderant, interfectis. Quod si ex composito acta res fuisset, haud dubium erat, expugnari una utique parte opera cum magna cæde hostium potuisse. Ambracienses, quique intus erant Ætoli, non ab ejus solum noctis incepto recessere, sed in reliquum quoque tempus, velut proditi a suis, segniores ad pericula erant. Jam nemo eruptionibus, ut ante, in stationes hostium, sed, dispositi per muros et turres, ex tuto pugnabant.

VII. Perseus, ubi adesse Ætolos audivit, omissa obsidione urbis, quam oppugnabat, depopulatus tantum agros, Amphilochiam excessit[1], atque in Macedoniam rediit. Et Ætolos inde avocavit populatio maritimæ oræ. Pleuratus Illyriorum rex, cum sexaginta lembis Corinthium sinum invectus, adjunctis Achæorum, quæ Patris erant, navibus, maritima Ætoliæ vastabat. Adversus quos mille Ætoli missi, quacumque se classis circumegerat per litorum anfractus, brevioribus semitis occurrebant. Et Romani ad Ambraciam[2], pluribus locis quatiendo arietibus muros, aliquantum urbis nudaverant. Nec tamen penetrare in urbem poterant. Nam et pari celeritate novus pro diruto murus objiciebatur, et armati, ruinis superstantes, instar munimenti erant. Itaque, quum aperta vi parum procederet consuli res, cuniculum[3] occultum, vineis ante contecto loco, agere instituit: et aliquam-

Cap. VII. 1. *Amphilochiam excessit;* vid. II, 37, n. 5.— *Quæ Patris erant;* Patræ oppidum Achæorum ad Sinum Corinthiacum. Ed.

2. *Romani ad Ambraciam*, etc. conf. ad Polyb. XXII, 11; Polyæni Strat. VI, 17, et Zonar. Ann. IX, 20.

3. *Cuniculum occultum* (epitheti pleonasmum notat Bauer.) *vineis ante contecto loco*, ut mox *operis, quod vineis contectum erat;* στοὰ dicitur Polyb. et *porticus* Cæs. Bell. Civ. II, 2, nimirum longior series vinearum, unum in ordinem juncta. Conf. Lips. Poliorc. I, 7, et Schweigh. ad Polyb. I, 48, § 2.

Digitized by Google

diu, quum dies noctesque in opere essent, non solum sub terra fodientes, sed egerentes etiam humum, fefellere hostem. Cumulus repente terræ eminens index operis oppidanis fuit; pavidique, ne jam subrutis muris facta in urbem via esset, fossam intra murum e regione ejus operis, quod vineis contectum erat, ducere instituunt. Cujus ubi ad tantam altitudinem, quantæ esse solum infimum cuniculi poterat, pervenerunt, silentio facto, pluribus locis aure admota, sonitum fodientium captabant[4]. Quem ubi acceperunt, aperiunt rectam in cuniculum viam. Nec fuit magni operis; momento enim ad inane, suspenso furculis ab hostibus muro[5], pervenerunt. Ibi commissis operibus[6], quum e fossa in cuniculum pateret iter, primo ipsis ferramentis, quibus in opere usi erant, dein celeriter armati etiam subeuntes occultam sub terram ediderunt pugnam[7]. Segnior deinde ea facta est, intersepientibus cuniculum, ubi vellent, nunc

4. *Aure admota sonitum fodientium captabant*, aucupabantur. Eos præterea alteri fossæ lateri prope murum apposuisse vasa ænea, ad exteriorem sonum resonantia, memorant Polyb. et Polyæn. ll. ll. Similia de Apolloniatibus et Barcæis referunt Vitruv. X, 22; Æneas Poliorc. cap. 37, et Herodot. IV, 200. — Quum nullam hic Livius mentionem faciat æris, cujus præcipuus in ea re usus fuit, Jac. Gronov. legendum fortasse *aure æri admota*, vel simpliciter *ære admoto* suspicatur. Sed hoc, ut ipse adnotat, brevius justo esset, nec ad veram plenamque intelligentiam sufficeret. Ed.

5. *Suspenso furculis* (vide ad I, 35, n. 6) *ab hostibus muro*, διὰ τὸ τοὺς Ῥωμαίους μὴ μόνον ἀφῖχθαι πρὸς τὸ τεῖχος ὑπὸ γῆς, ἀλλὰ καὶ διεστυλωκέναι τόπον ἱκανὸν τοῦ τείχους ἐφ' ἑκάτερον τὸ μέρος τοῦ ὀρύγματος, Polyb. Conf. idem V, 4, 6-8 (ubi synon. dicuntur διαστυλοῦν et κρεμᾷν τὸ τεῖχος, h. e. sublicis inferne fulcire murum cuniculis subfossum); Schweigh. Lex. Polyb. et ad Appian. Bell. Mithrid. cap. 36, 75, 84, Bell. Civ. cap. 112; Veget. de Re Mil. IV, 24. *Fulturis* cod. Mogunt. qua voce Vitruv. X, 22, in hac re utitur; Drak.

6. *Commissis operibus*, cuniculo et fossa conjunctis (conf. ad cap. 4, n. 3, et Drak. ad h. l.), via ex hac in illum patente. « *Commissis* junctis ex adverso, et inter se congruentibus, *da die Minen zusammen trafen, gingen* »; Bauer.

7. *Sub terram ediderunt pugnam*, alii *terra*. Conf. ad III, 28, n. 7. —

Digitized by Google

ciliciis prætentis, nunc foribus raptim objectis. Nova etiam haud magni operis adversus eos, qui in cuniculo erant, excogitata res est. Dolium a fundo pertusum[8], qua fistula modica inseri posset, et fistulam ferream operculumque dolii ferreum, et ipsum pluribus locis perforatum, fecerunt. Hoc tenui pluma completum dolium ore in cuniculum verso[9] posuerunt. Per operculi foramina prælongæ hastæ, quas sarissas vocant, ad submovendos hostes[10] eminebant. Scintillam levem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fistulæ imposito, flando accenderunt. Inde non solum magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adusta pluma, quum totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat.

VIII. Quum in hoc statu res ad Ambraciam esset, legati ab Ætolis Phæneas et Damoteles, cum liberis mandatis[1], decreto gentis, ad consulem venerunt. Nam prætor eorum, quum alia parte Ambraciam oppugnari cerneret, alia infestam oram navibus hostium esse, alia Amphilochos Dolopiamque a Macedonibus vastari, nec Ætolos simul ad tria diversa bella occur-

Nunc ciliciis prætentis, etc. e Polyb. suspicari possis *nunc clypeis p.*, *nunc cratibus r. o.* Conf. ad XLIV, 9, n. 7. De *ciliciis*, sc. textis, seu velis, vid. Lips. Poliorc. V, 9, et Stewech. ad Veget. IV, 6.

8. *Dolium a fundo pertusum*, etc. conf. omnino Polyb. XXII, 11, cujus narratio et copiosior est et dilucidior.

9. *Ore in cuniculum verso*, ea dolii parte, cui impositum erat operculum ferreum, Romanis obversa: non altera, cui fistula erat inserta.

10. *Per operculi foramina... eminebant:* ad latera dolii exsertas dicit Polybius, qui et τρήματα δύο habet. Hinc Jac. Gron. suspicabatur, post *foramina* excidisse *bina* vel *binæ*. Sed Schweigh. ad Polyb. vocem δύο incommodam esse putat, quia ad impediendos hostes, ne ad dolium accederent, pluribus, quam duabus sarissis prominentibus opus fuisse videatur.— *Prælongæ hastæ, quas sarissas vocant;* vide ad IX, 19, n. 2.

Cap. VIII. 1. *Cum liberis mandatis*, nimirum cum summa agendi potestate; nos dicimus *plein pouvoir*. Ed. —*Ætolos principes*, prior vox ab interprete profecta; Gronov. Neque hoc loco, neque simili, lib. XXXVI, cap. 27, me offendit; Dukerus.

Digitized by Google

santes sufficere, convocato concilio, Ætolos principes, quid agendum esset, consuluit. Omnium eo sententiæ decurrerunt, *ut pax, si posset, æquis; si minus, tolerandis conditionibus peteretur. Antiochi fiducia bellum susceptum. Antiocho terra marique superato, et prope extra orbem terræ ultra juga Tauri exacto, quam spem esse sustinendi belli? Phæneas et Damoteles, quod e re Ætolorum, ut in tali casu, fideque sua*[2] *esse censerent, agerent. Quod enim sibi consilium, aut cujus rei electionem a fortuna relictam?* Cum his mandatis legati missi orare consulem, *ut parceret urbi, misereretur gentis quondam sociæ, nolle dicere injuriis, miseriis certe coactæ insanire. Non plus mali meritos Ætolos Antiochi bello, quam boni ante, quum adversus Philippum bellatum sit, fecisse. Nec tum large gratiam relatam sibi, nec nunc immodice pœnam injungi debere.* Ad ea consul respondit: *Magis sæpe, quam vere unquam, Ætolos pacem petere. Imitarentur Antiochum in petenda pace, quem in bellum traxissent. Non paucis urbibus eum, de quarum libertate certatum sit, sed omni Asia cis Taurum montem, opimo regno, excessisse. Ætolos, nisi inermes, de pace agentes non auditurum se. Arma illis prius equosque omnes tradendos esse, deinde mille talentum argenti populo romano dandum: cujus summæ dimidium præsens numeraretur, si pacem habere vellent. Ad ea adjecturum etiam in fœdus esse, ut eosdem, quos populus romanus, amicos atque hostes habeant.*

2. *E re Ætolorum fideque sua*; vide ad XXII, 39, n. 1. — *Non plus mali meritos Ætolos..... quam boni ante... fecisse*, scil. non plus pœnæ meritos esse, quam *boni fecisse*; nam sæpe pro pœna dicitur *malum*. Sic IV, 49. *Auditis... minitantem militibus malum?* Ed. — *Mille talentum*, h. e. supputante Crever. marcas argenti 93,750. Ed.

Digitized by Google

IX. Adversus quæ legati, et quia gravia erant, et quia suorum animos indomitos ac mutabiles [1] noverant, nullo reddito responso, domum regressi sunt, ut etiam atque etiam, quid agendum esset, re integra, prætorem et principes consulerent. Clamore et jurgio excepti, *quam diu rem traherent, qualemcumque pacem referre jussi?* quum redirent Ambraciam, Acarnanum insidiis prope viam positis, quibuscum bellum erat, circumventi Thyrium custodiendi deducuntur [2]. Hæc mora injecta est paci. Quum jam Atheniensium [3] Rhodiorumque legati, qui ad deprecandum pro his venerant, apud consulem essent; Amynander quoque, Athamanum rex, fide accepta [4], venerat in castra romana, magis pro Ambracia urbe, ubi majorem partem temporis exsulaverat, quam pro Ætolis, sollicitus. Per hos certior factus consul de casu legatorum, adduci eos a Thyrio jussit. Quorum post adventum agi cœptum est de pace. Amynander, quod sui maxime operis erat, impigre agebat, ut Ambracienses compelleret ad deditionem. Id quum per colloquia principum, succedens murum, parum proficeret [5]; postremo, consulis permissu ingressus

Cap. IX. 1. *Suorum animos indomitos ac mutabiles;* vide ad XXVI, 25, n. 6. *Immutabiles* alii. Sed immutabiles quidem censeas Ætolos fuisse in cupidine prædandi et impatientia otii; at cætera non homines, sed chamæleontes; Gron. Si animi Ætolorum, qui legatos miserant cum liberis mandatis, immutabiles essent, non erat, quod formidarent pacem, quibus poterant, conditionibus componere legati; sed ideo id facere verebantur, quia suorum *animos*, tanquam *indomitos*, jugum romanum haud facile subituros, et hinc sententiam, quæ modo placuerat, mutaturos noverant; Drak.—*Quibuscum bellum erat:* hæc verba post *Acarnanum* ponenda videntur; Crev.

2. *Thyrium cust. deducuntur;* pro *Thyrium* quidam *Tyrrheum*, ut jam monuimus. Vid. XXXVI, 11, n. 6. Ed.

3. *Quum jam Atheniensium*, etc. conf. Polyb. XXII, 12.

4. *Fide accepta*, etc. vid. XXIII, 19, n. 10.

5. *Id quum per colloquia principum, succedens murum, parum proficeret;* vid. VI, 8, n. 2, et XXII, 28, n. 7.

Digitized by Google

urbem, partim consilio, partim precibus, evicit, ut permitterent se Romanis. Et Ætolos C. Valerius Lævini filius, qui cum ea gente[6] primum amicitiam pepigerat, consulis frater, matre genitus eadem, egregie adjuvit. Ambracienses, prius pacti, ut Ætolorum auxiliares sine fraude emitterent, aperuerunt portas. Dein [Ætoli[7]], *ut quingenta Euboica darent talenta; ex quibus ducenta præsentia, trecenta per annos sex pensionibus æquis : captivos perfugasque redderent Romanis : urbem ne quam formulæ sui juris facerent*[8], *quæ post id tempus, quo T. Quintius trajecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset : Cephallenia insula ut extra jus fœderis esset.* Hæc quanquam spe ipsorum aliquanto leviora erant, petentibus Ætolis, ut ad concilium referrent, permissum est. Parva disceptatio de urbibus[9] tenuit. Quæ quum sui juris aliquando fuissent, avelli velut a corpore suo ægre patiebantur. Ad unum tamen omnes accipi pacem jusse-

6. *Lævini filius, qui cum ea gente*, etc. vide ad XXVI, 24.

7. *Dein Ætoli*, Ætolorum legati, sc. *pacti* sunt cum Romanis, *ut D Euboica talenta* (vide ad XXXIV, 50, n. 2) *darent*, etc. conf. Polyb. XXII, 13. Vocem *Ætoli* addendam esse recte docuit Periz. nisi plura exciderunt verba. Conf. Polyb. — *Sex pensionibus æquis;* conf. XXIX, 16, n. 2, et XXX, 37, n. 2. Ed.

8. *Urbem ne quam formulæ sui juris facerent*, sibi contribuerent et ad formulam legum Ætolicarum alligarent; Crever. qui respici credit ad urbes Thessaliæ Pharsalum, Echinum, Leucadem, quas sibi redditas non fuisse adeo indignati sunt Ætoli, ut hac ira maxime Antiochum in Græciam evocarint; vide ad XXXIII, 13, 34; XXXIV, 23. Ad Œniadas et Nasum (vide ad XXVI, 24, 25) referebat hæc Barbeyr. Suppl. corp. diplom. I, 1, pag. 365: πόλιν δὲ μηδεμίαν ἔχειν ἐν τῇ συμπολιτείᾳ Polyb. Conf. ad III, 62, n. 5, et XXVI, 24, n. 5. — *Extra jus fœderis*, ut cap. 11, *extra pacis leges*. — *Hæc quanquam spe i. a. l. erant*, tamen (vide ad VII, 19, n. 3) *petentibus Ætolis*, eorum legatis, *ut ad concilium* Ætolorum seu gentis suæ *referrent* ea, *p. est.*

9. *Parva disceptatio de urbibus* in concilio illo *tenuit;* vide ad I, 4, n. 9, et II, 63, n. 3. — *Sui juris fuissent;* vide ad III, 62, n. 5. — *Avelli*, scil. eas a *corpore suo;* vide ad I, 17, n. 2.

Digitized by Google

runt. Ambracienses coronam auream consuli centum et quinquaginta pondo dederunt. Signa ænea marmoreaque et tabulæ pictæ, quibus ornatior Ambracia (quia regia ibi Pyrrhi fuerat[10]), quam cæteræ regionis ejus urbes erant, sublata omnia avectaque. Nihil præterea tactum violatumve.

X. Profectus ab Ambracia consul in mediterranea Ætoliæ, ad Argos Amphilochium[1] (viginti duo millia ab Ambracia abest) castra posuit. Eo tandem legati Ætoli, mirante consule, quod morarentur, venerunt. Inde, postquam approbasse pacem concilium Ætolorum accepit, jussis proficisci Romam ad senatum, permissoque, ut et Rhodii, et Athenienses deprecatores irent, dato, qui simul cum iis proficisceretur, C. Valerio fratre, ipse in Cephalleniam trajecit. Præoccupatas aures animosque principum Romæ criminibus Philippi invenerunt, qui, per legatos, per literas, Dolopas Amphilochosque et Athamaniam ereptas sibi querens, præsidiaque sua, postremo etiam filium Persea ex Amphilochis pulsum, averterat senatum ab audiendis precibus eorum. Rhodii tamen et Athenienses cum silentio auditi sunt. Atheniensis legatus Leon, Icesiæ filius[2], eloquentia etiam dicitur movisse; qui

— Docet multis exemplis Drakenb. ad XXIII, 15, n. 4, sæpius apud Livium et cæteros antiquitatis scriptores pronomen omitti. Non ergo est opus, ut cum Mureto legatur: *quas quum*, etc. Ed. — *Centum et quinquaginta pondo*, nimirum, ex Crever. rationibus, marcarum nostratium 234, cum unciis 3. Ed.

10. *Ambracia, regia ibi Pyrrhi f.*; vide ad cap. 5, n. 1.

Cap. X. 1. *Argos Amphilochium*, etc. conf. ad XXXII, 34, n. 3, et Polyb. XXII, 13.—*Mirante consule*, *quod*, potius *quid*; Gronov. vide ad XXXIV, 57, n. 3. — *Jussis proficisci Romam*, etc. ad finem cap. conf. Polyb. XXII, 14. — *Criminibus Philippi*; vide ad III, 19, n. 7.—*Ereptas*, quasi dixisset *Dolopiam*, *Amphilochiam et A.*, nisi leg. *ereptos* vel *ereptam*, ut Livius respexerit ad dignius vel propius; Gron.

2. *Atheniensis legatus Leon, Icesiæ filius*, Δάμις, ὁ Κιχησίων MSS et edd. vett. Polyb. pro quo Ursinus edidit ὁ Ἰκεσίου et Schweigh. ὁ Ἰκησίου. In MSS Polyb. XXVIII, 16, § 5. Ἰκέ-

Digitized by Google

vulgata similitudine[3], mari tranquillo, quod ventis concitaretur, æquiparando multitudinem Ætolorum, usus, *quum in fide romanæ societatis mansissent, insita gentis tranquillitate quiesse eos* aiebat: *postquam flare ab Asia Thoas et Dicæarchus*[4], *ab Europa Menestas et Damocritus cœpissent; tum illam tempestatem coortam, quæ ad Antiochum eos, sicuti in scopulum, intulisset*[5].

XI. Diu jactati Ætoli[1] tandem, ut conditiones pacis convenirent[2], effecerunt. Fuerunt autem hæ: « Imperium majestatemque populi romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo[3]. Ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur,

σιος, nisi leg. Ἰκέσιος vel Ἰκεσίας vel Ἰκεσίας. Utrum autem verum hujus legati nomen *Leon*, isque idem fuerit, qui XXXV, 50 memoratur, nemo facile dicat.

3. *Vulgata similitudine*, etc. vide ad XXVIII, 27, n. 7. — *Quum in fide*, etc. immo *dum*; Gron. Ita certe ἕως apud Polyb.—*Insita gentis tranquillitate*; sic lib. XXVIII, 24 pr. *insita hominum libidine*. Ed.

4. *Thoas et Dicæarchus*, etc. vid. Ind. Hi Ætolos concitarunt, ut venti mare concitare solent; adeoque soli pœnam merentur, non Ætoli, cives eorum. Quando autem vel quomodo Menestas Ætolos ad bellum Romanis inferendum concitarit, Livium non retulisse quidem suo loco, sed alio tamen, data opportuna occasione, sc. XXXVI, 28, jam monuit Drak. Mos iste Livii satis notus. Conf. ad X, 33, n. 5.

5. *In scopulum intulisset*; vide ad VIII, 38, n. 2.—Terentius, Phorm. IV, 4: *Huic mandes, quod quidem recte curatum velis, Qui te ad scopulum e tranquillo inferat.* Quæ verba obversata fuisse Nostro videntur, Hoc nitens Terentii exemplo Gronov., et post hunc Crever. veterem revocavere lectionem *ad scopulum*; sed Drak., Ovid. laudato qui Metam. IX, v. 592, dixit: *Auferor in scopulos igitur*? probat æque a Livio dici potuisse *in scopulum* vel *ad scopulum*. Edidit ergo *in scopulum* ex cod. Mogunt. auctoritate, quam lectionem Doering. quoque admisit. Ed.

Cap. XI. 1. *Diu jactati Ætoli*, vexati, turbati, anxii, vel jactati quasi tempestate belli (quo spectant verba præc.), vel potius Ætolorum legati ab uno loco ad alium, ultro citroque, et in custodiam quoque, missi. Conf. cap. 8, 9, 10.

2. *Ut conditiones pacis convenirent*; vide ad I, 3, n. 4. — *Fuerunt autem hæ*, etc. cf. Polyb. XXII, 15.

3. *Imperium majestatemque populi romani gens Æt. conservato sine dolo malo*: quod in formulis fœderum caveri solebat; vid. loc. class. Cic. pro Balbo, 16: *sine dolo malo*, ut ἀδόλως apud Polyb. *comiter* apud Cic. l. l. Quæ quomodo inter se differant, ex-

Digitized by Google

« per fines suos transire sinito, neve ulla ope juvato. « Hostes eosdem habeto, quos populus romanus, ar- « maque in eos ferto, bellumque pariter gerito. Per- « fugas, fugitivos captivosque reddito Romanis sociis- « que; præterquam si qui capti, quum domos redis- « sent, iterum capti sunt; aut si qui eo tempore ex iis « capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, quum « intra præsidia romana[4] Ætoli essent. Aliorum qui « comparebunt, intra dies centum Corcyræorum ma- « gistratibus sine dolo malo tradantur: qui non com- « parebunt[5], quando quisque eorum primum inven- « tus fuerit, reddantur. Obsides quadraginta arbitratu « consulis romani dato, ne minores duodecim anno- « rum, neu majores quadraginta. Obses ne esto præ- « tor, præfectus equitum, scriba publicus; neu quis, « qui ante obses fuerit apud Romanos. Cephallenia « extra pacis leges esto ». De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibusque ejus, nihil ex eo, quod cum consule convenerat[6], mutatum. Pro argento si aurum dare mallent[7], darent, convenit; dum pro ar-

ponunt Herald. de rer. judic. auctor. II, 16, et Brisson. de Form. IV, 361. Conf. ad XXV, 12, n. 7.

4. *Intra præsidia romana esse*, id. qd. in partibus, castris, auxiliis esse, *in præsidiis* et *in causa alicujus esse, sectam ejus sequi, arma pro aliquo ferre;* Duker. Conf. ad XXV, 24, n. 10; XXXVIII, 48, n. 5; XLIII, 7, n. 2: μετὰ Ῥωμαίων συνεπολέμουν Polyb. — *Corcyræorum magistratibus,* τῷ ἄρχοντι (præfecto rom.) τῷ ἐν Κερκύρᾳ, Polyb. Conf. ad XXVI, 24, n. 8.

5. *Qui non comparebunt,* ἐὰν δὲ μὴ εὑρεθῶσί τινες Polyb. vide ad VI, 1, n. 6. Pro *tradantur* et *reddantur* bene ad fœderis formulam et accommodate ad cæteram orationem malit Gronov. *traduntor* et *redduntor.* Ed.

6. *Quod cum consule convenerat;* conf. cap. 9, et ad I, 3, n. 4.

7. *Pro argento si aurum dare mallent* (apud Polyb. *pro tertia parte argenti*), ... *dum pro argenteis decem* nummis *aureus unus valeret,* τῶν δέκα μνῶν ἀργυρίου χρυσίου μνᾶν διδόντες Polyb. unde Hotom. de Re num. pag. 353 conj. *dum pro a. d. auri libra una valeret.* Sed vid. Gron. de Pec. vet. II, 8, ubi præter alia docet, Græcis et Romanis *minas* aurum vel argentum numeratum signatumque, non infectum, dici: in pretio autem eamdem differentiam inter nummum aureum didrachmum et num-

Digitized by Google

genteis decem aureus unus valeret. « Quæ urbes, « qui agri, qui homines Ætolorum juris aliquando « fuerunt, qui eorum T. Quintio, Cn. Domitio con- « sulibus[8], postve eos consules, aut armis subacti, aut « voluntate, in ditionem populi romani venerunt, ne « quem eorum Ætoli recepisse velint[9]. OEniadæ cum « urbe agrisque Acarnanum sunto ». His legibus fœdus ictum cum Ætolis est.

XII. Eadem non æstate solum, sed etiam iisdem prope diebus, quibus hæc a M. Fulvio consule in Ætolia gesta sunt, consul alter Cn. Manlius in Gallogræcia[1] bellum gessit, quod nunc ordiri pergam. Vere primo Ephesum consul venit, acceptisque copiis a

mum argenteum didrachmum, quæ sit inter minam auri et minam argenti; et quidem auri proportionem ad argentum decuplam fuisse. — *Qui homines Ætolorum juris fuerunt;* vide ad III, 62, n. 5.

8. *T. Quintio, Cn. Domitio consulibus;* conf. Perizon. Anim. Hist. c. 1, ubi præter alia et hæc recte monuit: « Quod *T. Quintio* collegam Livius dedit *Cn. Domitium*, in eo sequitur ἁμάρτημα μνημονικὸν Polybii (XXII, 15, n. 13), quem in his rebus memoriæ prodendis sine ulla pæne variatione, quod ad rem ipsam, more suo transtulit..... quique annum, quo T. Quintius in Græciam trajecit, ipsorum consulum istius anni mentione videtur significare voluisse; sed, dum id facit, ex memoria *T. Quintio Flaminino*, qui cum *Sex. Ælio*, nono abhinc anno, consul fuerat (vide ad XXXII, 7), collegam dedisse *Cn. Domitium;* haud dubie, quod is animo ejus magis obversaretur, quia tribus solummodo annis ante cum *Quintio* item *Flaminino*, verum *Lucio*, Titi fratre (vide XXXV, 10, 20), non Tito ipso consulatum gesserat ». Hinc etiam intelligitur, emendatione Glar. et Sigon. *L. Quintio* errorem memoriæ non tolli, sed mutari. Conf. cap. 9.

9. *Ætoli recepisse velint*, id. qd. præcisum *recipiant* vel *recipiunto*, sed blandius esse vulgo creditur, certe aptius est, quam vulg. *recepissent*, quod Gron. probat et exponit per *reciperent:* nam, ait Drak., quæ hoc cap. directa oratione præcedunt, vel imperativo, vel subjunctivo præsentis concepta sunt, quorum alterutrum hic pariter requiritur. Eadem tamen utuntur formula qui vehementer aliquid præcipiunt. Ovid. Am. I, 4, 38: « Oscula præcipue nulla dedisse velis ». Conf. ad XXXVII, 17, n. 4. Ed. — *OEniadæ*, etc. vide ad lib. XXVI, cap. 24, n. 11.

Cap. XII. 1. *In Gallogræcia*, h. e. Galatia, in Phrygiæ finibus, ubi Galli post Græciam et Thraciam armis victricibus peragratam, sedem statuerant. Conf. infra cap. 16, n. 1. Ed. — *Bel. nunc o. pergam;* vid. Sil. I, 1.

Digitized by Google

L. Scipione, et exercitu lustrato, concionem apud milites habuit; qua, collaudata virtute eorum, quod cum Antiocho uno prælio debellassent, adhortatus eos ad novum cum Gallis suscipiendum bellum, qui et auxiliis[2] Antiochum juvissent, et adeo indomita haberent ingenia, ut nequidquam Antiochus emotus ultra juga Tauri montis esset, nisi frangerentur opes Gallorum, de se quoque pauca, nec falsa, nec immodica, adjecit. Læti milites cum frequenti assensu consulem audiverunt, partem virium Antiochi fuisse Gallos credentes; rege superato, nullum momentum in solis per se Gallorum copiis fore. Eumenem haud in tempore abesse (Romæ tunc erat) credere consul, gnarum locorum hominumque, et cujus interesset frangi Gallorum opes. Attalum igitur fratrem ejus arcessit a Pergamo, hortatusque ad capessendum secum bellum, pollicentem suam suorumque operam domum ad comparandum dimittit[3]. Paucos post dies profecto ab Epheso consuli ad Magnesiam occurrit Attalus cum mille peditibus, equitibus ducentis, Athenæo fratre jusso cum cæteris copiis subsequi, commendata iis custodia Pergami, quos fratri regnoque fidos credebat. Consul, collaudato juvene, cum omnibus copiis ad Mæandrum progressus, castra posuit, quia vado superari amnis non poterat, et contrahendæ naves erant ad exercitum trajiciendum. Transgressi Mæandrum ad Hieran Comen pervenerunt[4].

2. *Qui et auxiliis*, ope, vel militibus auxiliariis, *Antiochum juvissent;* vid. XXXVII, 40, et XXXVIII, 48. — *Emotus*, ut XXX, 23; XXXVII, 53; XXXVIII, 47, 48, 53; XLI, 21; XLII, 42; XLV, 15. Sic fere *evolvere* VI, 15, n. 4. *Amotus* cod. Mogunt.

3. *Ad comparandum dimittit;* vide ad XXXV, 45, n. 2. — *Quia vado superari amnis non poterat.* Infra cap. 18, med. *Quia vado nusquam transitus erat.* Ed.

4. *Transgressi Mæandrum pervenerunt ad Hieran Comen*, Ἱερὰν κώμην, oppid. Lydiæ (δῆμος Καρίας apud

XIII. Fanum ibi augustum Apollinis[1] et oraculum: sortes versibus haud inconditis dare vates dicuntur. Hinc alteris castris ad Harpasum flumen ventum est: quo legati ab Alabandis venerunt, ut castellum, quod ab ipsis nuper descisset, aut auctoritate, aut armis, cogeret[2] jura antiqua pati. Eodem et Athenæus, Eumenis et Attali frater, cum Cretensi Leuso et Corrago Macedone venit. Mille pedites mixtarum gentium et trecentos equites secum adduxerunt. Consul, tribuno militum misso cum modica manu, castellum vi captum Alabandensibus reddit. Ipse, nihil via digressus[3], ad Antiochiam super[4] Mæandrum amnem posuit castra. Hujus amnis fontes Celænis oriuntur. Celænæ urbs caput quondam Phrygiæ[5] fuit. Migratum

Steph.), non longe a Thyatiris, quod posteriores Hierocæsaream nominasse videntur. Conf. Schweigh. ad Polyb. XVI, 1, § 8. Cum his verbis initium forte novi capitis faciendum.

Cap. XIII. 1. *Fanum ibi augustum Apollinis;* ut et Dianæ, a Prusia spoliatum; vid. Polyb. XXXII, 25, § 11. — *Sortes versibus haud inconditis dare;* vide ad I, 56, n. 5, et IV, 20, n. 1. *Harpasus fl.*, Ἅρπασος ποταμὸς Καρίας, πρότερον Δαφνοῦς καλούμενος· εἴρηται δὲ διὰ τὸ ὀξύτατον τοῦ ῥοῦ, καὶ ὅτι ἁρπάζει τοὺς παριόντας αὐτῷ, ὡς ἱστορεῖ Ἀπολλώνιος ἐν Καρικοῖς. Etymol. M.

2. *Legati ab Alab. venerunt, ut... cogeret,* sc. consul *jura antiqua pati;* vide ad VIII, 19, n. 10. — *Alabanda*, urbs Cariæ, hod. *Eblebanda*. Ed.

3. *Via digressus* quidam MS et edd. antt. *degressus*.

4. *Ad Antiochiam super Mæandrum* aut *Mæandri* in Caria. Conf. Strab. XII, p. 630, et Plin. V, 29. — Hæc *Antiochia*, hod. *Tachiali*. Ed. — *Hujus amnis fontes*, etc. eadem fere de Mæandri fontibus narrare Solinum, cap. 43 vel 40, monet Sigon. Ed.

5. *Celænæ urbs caput quondam Phrygiæ fuit... novæque urbi Apameæ* seu *Apamiæ nomen inditum ab Apamea*, etc. vide ad Sil. VIII, 503; ad Tacit. Ann. XII, 58, n. 9; Plin. V, 29 (ubi conf. Hard.); Appian. Syr. 39; Cellar. Geogr. ant. III, 4, p. 156 sq. Xenoph. Ἀναβ. I, 2, n. 7; Strab. XII, 577, 578, et XVI, 749, qui Apameam ab Antiocho Sotere conditam dicit et appellatam de nomine matris *Apamæ*, non Apameæ; Artabazi filiæ et *Seleuci* Nicatoris seu Nicanoris non *sorore*, sed conjuge; quod et Appian. Syr. 57, aliique tradunt. Hinc Salmas. ad Solin. p. 580, non male emend. *ab Apama* seu *Apame uxore Seleuci*. Sic et *Apamæ* dicebantur aliæ mulieres, nulla, quod sciam, Ἀπάμεια. Duk. Cf. ad XXXV, 47, n. 2; Pausan. I, 7; Plut. in Demetrio, p. 903, in Eumene, p. 583; Apocr. lib. Esdræ, IV, 29; Appian.

Digitized by Google

inde haud procul veteribus Celænis, novæque urbi Apameæ nomen inditum ab Apamea, sorore Seleuci regis. Et Marsyas amnis, haud procul a Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit : famaque ita tenet[6], Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse. Mæander, ex arce summa Celænarum ortus, media urbe decurrens, per Caras primum, deinde Ionas, in sinum maris editur, qui inter Prienen et Miletum est. Ad Antiochiam in castra consulis Seleucus, Antiochi filius, ex fœdere icto cum Scipione, ad frumentum exercitui dandum venit. Parva disceptatio de Attali auxiliaribus orta est; quod, romano tantum militi, pactum Antiochum, ut daretur frumentum, Seleucus dicebat. Discussa ea quoque est constantia consulis, qui dimisso tribuno[7] edixit, ne romani milites acciperent, prius quam Attali auxilia accepissent. Inde ad Gordiutichos, quod vocant, processum est: ex eo loco

Syr. 13; Steph. voc. Μύρλεια. Livius et Strabo Celænas ab Apamea distinguunt, non Plin. l. l. De aliis *Apameis* vid. ad Tac. l. l.

6. *Famaque ita tenet* (vide ad I, 4, n. 9), *Celænis Marsyam cum Apolline tibiarum cantu certasse;* vide ad Sil. VIII, 502 seq. et ad Juven. IX, 2; Strab. l. l. Herodot. VII, 26. — *In sinum maris editur*, ut XXXIX, 53 extr. h. e. illabitur : supra *cadit.*— *Discussa ea quoque est constantia consulis;* quum de nulla alia disceptatione mentio superius facta sit, non esse hic locum particulæ *quoque* existimat Crever. eam ergo aut recidendam aut immutandam. Sic vero hunc locum explanat Doering. : Consul qui jam sæpius virum constantem se præbuerat, nunc *quoque* constantia sua illam disceptationem compressit. Nihil ergo in contextu emendandum. *Discutere rem aliquam* jam est, ut exposuimus ad II, 42, n. 10, rem aliquam dispellere, removere, vel efficere ut rejiciatur. Sic Cic. ad Q. Fr. II, 12, *rem totam discusseram.* Ed.

7. *Dimisso tribuno*, sc. per legiones et corpora exercitus; Gronov. *Misso* 5 MSS et editiones ante Ald. probantibus Duk. et Crever. quia plures ita *dimitti* dicuntur, sed unus *mitti.* — *Gordiutichos*, Γορδίου τεῖχος (vide ad XLIV, 28, n. 5, unde in editionibus a Frobenio ad Grut. et a Gronovio ad Ernestum rectius legitur *quod vocant*, quam in aliis et in multis MSS *quos v.*), πόλις Μίδου κτισθεῖσα ἀπὸ τοῦ παιδὸς Γορδίου, Steph. Eadem Bithyniæ urbs dicta *Gordiu Come*, Γορδίου κώμη, et postea Ἰουλιόπολις. Cf. Strab. XII, p. 574; Ptol. V, 1; Plin. V, 32 seu 40, et infra ad cap. 18, n. 8.

Digitized by Google

ad Tabas[8] tertiis castris perventum. In finibus Pisidarum posita est urbs, in ea parte, quæ vergit ad Pamphylium mare. Integris viribus regionis ejus, feroces ad bellandum habebat viros. Tum quoque equites, in agmen romanum eruptione facta, haud modice primo impetu turbavere: deinde, ut apparuit, nec numero se, nec virtute pares esse, in urbem compulsi, veniam erroris petebant, dedere urbem parati. Quinque et viginti talenta argenti et decem millia medimnum tritici imperata. Ita in deditionem accepti.

XIV. Tertio inde die ad Chaum amnem[1] perventum: inde profecti Erizam urbem primo impetu ceperunt. Ad Thabusion castellum, imminens flumini Indo, ventum est; cui fecerat nomen Indus, ab elephanto dejectus. Haud procul a Cibyra aberant; nec

8. *Ad Tabas*, etc. vid. Strab. XII, 576, et Wessel. ad Hierocl. in Synecd. p. 689. Aliud sorte Lydiæ opp. apud Steph. — *In ea parte* Pisidiæ, *quæ vergit ad Pamphylium mare*, id neutiquam intelligo; Glar. Forte leg. *quæ vergit ad Pamphyliam. Hæc integris*, etc. vel *Pace integris viribus*, i. e. quum diutina pace vires essent integræ, ut supra VI, 7. Mox *equites* (Tabensium) *agmen romanum eruptione facta... turbavere* legere malebat Gronov. Sed *turbare*, ut sæpe apud Plaut., absolute accipi potest pro *turbas edere*; Drak. — *Quinque et viginti talenta*, marcas argenti nostrates 2,343, cum unciis 6, ut supputavit Crever. Ed. — *Decem millia medimnum*, nimirum ex auctoritate sup. cit. Crever. modii romani 6,000, nostrates 46,250. Sic de *medimno* Cornel. XXV, 2, *universos frumento donavit ut singulis sex* (alii *septem*) *modii tritici darentur: qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur*. Vid. cap. seq. n. 8. Ed.

Cap. XIV. 1. *Ad Chaum amnem* ignotum. *Cahum* et *Casum* alii. — *Erizam urbem* Cariæ; vid. Hierocl. l. l. Hard. ad Plin. V, 30 seu 32; Cellar. Geogr. ant. III, 4, pag. 99. — *Thabusion castellum imminens* (vide ad III, 51, n. 3) *flumini Indo* scil. *Calbi* (si vero hic idem est), de quo vid. Strab. XIV, pag. 651; Ptol. V, 2; Plin. V, 28 seu 29; Cellar. Geogr. ant. III, 3, p. 59. — *Cui fecerat nomen Indus*, h. e. rector elephanti, ab Indico, i. e. optimo maximoque elephantorum genere (vide ad Juvenal. X, 150; XI, 123 sq.), sic dictus, licet Indus non esset. Similiter *Achæi* pro funditoribus, proprie ex Achaia oriundis, inf. c. 38, *Baliares*, etc. Cf. Cuper. Exerc. de Eleph. I, 11; Bochart. Hieroz. I, 2, 27; Freinsh. in Ind. Curt. — *Dejectus* in bellis inter Romanos et Syriæ reges; Cuper. l. l.

Digitized by Google

legatio ulla a Moagete, tyranno civitatis[2] ejus, homine ad omnia infido atque importuno, veniebat. Ad tentandum ejus animum C. Helvium, cum quatuor millibus peditum et quingentis equitibus, consul præmittit. Huic agmini, jam fines ingredienti, legati occurrerunt, nuntiantes, paratum esse tyrannum imperata facere. Orabant, ut pacatus fines iniret, cohiberetque a populatione agri militem; et coronam auream quindecim talentum afferebant[3]. Helvius, integros a populatione agros servaturum pollicitus, ire ad consulem legatos jussit. Quibus eadem referentibus, consul, « Neque Romani, inquit, bonæ voluntatis ullum si- « gnum erga nos tyranni habemus; et ipsum talem « esse inter omnes constat, ut de pœna ejus magis, « quam de amicitia, nobis cogitandum sit ». Perturbati hac voce legati nihil aliud petere, quam ut coronam acciperet, veniendique ad eum potestatem tyranno, et copiam loquendi ac purgandi se faceret. Permissu consulis postero die in castra tyrannus ve-

Sed illos in hæc loca venisse non constat; Dukerus. — *Cibyra* magna, Κιβύρα μεγάλη, Phrygiæ Magnæ oppidum maxime meridionale; videatur Strab. XIII, pag. 630; Ptol. et Plin. ll. ll. Cibyra parva, opp. Pamphyliæ vel Ciliciæ Asperæ; vid. Strab. pag. 677, et Ptolem. — *Cibyram* magnam vocant nunc *Baruz*. Ed.

2. *A Moagete, tyranno civitatis* Cibyratarum; vid. Strab. XIII, pag. 631, et Polyb. XXII, 17. — *Infido atque importuno;* vid. V, 2, n. 6.

3. *Coronam auream XV talentorum afferebant;* conf. Polyb. XXII, 17. Quidam MSS addunt *munus;* at plerique et edd. princc. præferunt *in coronea aurea XV talenta a.* Illud probabat Oudend. ad Front. II, 11, § 5; hoc Jac. Gron. *in coronam auream XV talenta a.* legendum putabat Gelen. incertum an ex cod. Mogunt. Non necessario intelligendam esse coronam factam, sed *coronam*, ut στέφανος et στεφανόω, etiam munus dici posse vel pecuniæ summam, muneris aut officii honorisque causa loco coronæ oblatam (cf. Cic. Agr. I, 4, et Pis. 34; Lips. de Magn. Rom. II, 9; Casaub. ad mon. Ancyr.), docuit Duk. Cf. ad III, 21, n. 3; XXXVIII, 15, not. 6, et Schweigh. ad Athen. V, 35, p. 127, et ad similia loca Polyb. XIII, 9, § 5; XXII, 17, § 4; XXII, 19, § 4, et XXVIII, 18, § 3. — Quum Polyb. *coronam* illam de qua sermo est, appellaverit στέφανον ἀπὸ πεντεκαίδεκα ταλάντων,

Digitized by Google

nit, vestitus comitatusque[4] vix ad privati modice locupletis habitum; et oratio fuit submissa et infracta, extenuantis opes suas, urbiumque suæ ditionis egestatem querentis. Erant autem sub eo[5], præter Cibyram, et Syleum et Alimne quæ appellatur. Ex his, ut se suosque spoliaret[6], quinque et viginti talenta se confecturum, prope ut diffidens, pollicebatur. « Enimvero, inquit consul, ferri jam ludificatio ista non « potest. Parum est, non erubuisse absentem, quum « per legatos frustrareris nos: præsens quoque in « eadem impudentia persistis. Quinque et viginti ta-

coronam intelligit Doering. e summa quindecim talentorum confectam, et eodem modo verba Liviana explicanda omnino putat. Duker. ergo et Crev. qui eumdem sensum atque Duk. amplexus est, non audiendos censet; et quum illi se nescire fateantur, quomodo corona, non solum tanti pretii, sed etiam tanti ponderis, offerri potuerit a legatis, contendit primum (verba Juven. Sat. X, 40, de grandioris formæ corona triumphali usurpans), tantum hujus coronæ orbem esse potuisse, quanto vix ulla cervix sufficeret; deinde coronæ illi pretium magnum addi potuisse, tam ex opere artificis quam ex gemmis, quibus illa fortasse distincta fuit, uti fere apud Virg. Æneid. I, 655, commemoratur *corona duplex gemmis auroque*, et VII, 176, *insignis gemmis;* et apud Ovid. Metam. XIII, 704, *clara auro gemmisque.* Judicet lector. Ed.

4. *Vestitus comitatusque*, etc. κατά τε τὴν ἐσθῆτα καὶ τὴν ἄλλην προστασίαν λιτὸς καὶ ταπεινὸς Polyb. XXII, 17, § 10. Προστασία splendor, magnificentia, pompa, comitatus, ut et apud Polyb. V, 43, § 3, et XVI, 25, § 5.

5. *Erant autem sub eo;* vid. XXIV, 30, not. 7. — *Syleum*, Σύλειον πόλις Φρυγίας · τινὲς δὲ Παμφυλίας, Steph. Σύλλιον apud Arrian. I, 27, et Polyb. XXII, 17, § 11. — *Alimne quæ appellatur*, ἡ ἐν Τεμένει πόλις (pro mendosis ἐντεμένη et ἐν τέμνη, et emendatione Ursini Αλίνδη) apud Polyb. l. l. ubi vid. Schweigh. qui conjiciebat *Atimne*, et designari putat Τεμένειαν Steph. Idem docet, adjectam vocem πόλιν (ut apud Liv. verba *quæ appellatur*) significare nomen aliquod oppidi, quod vel sua origine appellativum fuerit, non proprium (ut τὴν Ἄγκυραν πόλιν Polyb. XXII, 1 et al.), vel in plurali numero usurpatum, ut Κύρμασα πόλιν XXII, 19, § 1, et apud Liv. XXXVIII, 15, n. 4. *Cormasa urbem* e melioribus MSS pro vulg. *Cormasam urbem.*

6. *Ex his, ut se suosque spoliaret* (vide ad V, 15, n. 7), *XXV talenta*, etc. immo, nisi fallor, *XV talenta*, quæ et Polybius memorat, et legati Moagetis antea promiserant, *exspoliaret*, (h. e. ita spoliaret, ut nihil superesset. Vid. Voss. Lov. 3, et Gaertn. non improb. Drak. Cf. Burm. ad Phædr. II, 2, 1, et Græv. ad Cic. Epist. ad Att. X, 4. — *Se confecturum;* vide

Digitized by Google

« lenta tyrannidem tuam exhaurirent? Quingenta ergo « talenta nisi triduo numeras, populationem in agris, « obsidionem in urbe exspecta ». Hac denuntiatione conterritus, perstare tamen in pertinaci simulatione inopiæ; et paulatim illiberali adjectione [7], nunc per cavillationem, nunc precibus et simulatis lacrymis, ad centum talenta est perductus: adjecta decem millia medimnum [8] frumenti. Hæc omnia intra sex dies exacta.

XV. A Cibyra per agros Sindensium [1] exercitus ductus, transgressusque Caularem amnem, posuit castra. Postero die est præter Caralitin paludem agmen ductum. Ad Mandropolim manserunt: inde progredientibus ad Lagon, proximam urbem, metu incolæ fugerunt. Vacuum hominibus et refertum rerum omnium copia oppidum diripuerunt. Inde ab Lysis fluminis fonte [2], postero die ad Cobulatum amnem progressi.

ad III, 64, n. 3, et XXIX, 35, n. 3. — *Quingenta talenta*, et paulo inferius *centum talenta*. Summam priorem æstimat Crev. marcis argenti 46,875, posteriorem marcis 9,375. Ed.

7. *Illiberali adjectione*, quæ dicitur de ementibus, quum parce nimis et per gradus quasi minutos assurgunt ad pretium rei comparandæ destinandum, in quo acquiescere venditor possit; Ern.

8. *Decem millia medimnorum*, ut apud Polyb. *modium* cod. Mogunt. Harl. et Gaertn. ut et c. 15. Modius sexta pars medimni. Cf. Schweigh. ad Polyb. II, 15, § 1, et Tzschucke ad Nep. Att. 2 extr. — Conf. cap. præc. n. 8. Ed.

Cap. XV. 1. *Per agros Sindensium*; vide ad XXXV, 13, n. 3. — *Caularis amnis* in Pamphylia. — *Caralitis palus* in Lycaonia, Κώραλις seu Κάραλις apud Strab. XII, 568. *Carallis* oppid. Isauriæ apud Steph. *Caralia* Pamphyliæ in actis concilii Ephes. et apud Hierocl. in Synecd. p. 682, ubi vid. Wessel. — *Mandropolin* (Phrygiæ opp. apud Steph.) ex emend. Gelen. et Sigon. *Madamprum*, *Madanprum*, *Manandrum*, *Mandrupyum*, *Mandropum*, *Mandaprum* MSS. et edd. antt. *Mordiæum* conj. Jac. Gronov. quod est oppid. Pisidiæ, magis h. l. aptum apud Steph. in Ἀπολλωνία et Athenæum. Semel dicendum, in hoc Manlii itinere plura occurrere, quæ apud alios scriptores non memorantur: his autem ignotis notiora substituere, anceps videtur inceptum; Drak. — *Inde progredientibus*; vide ad XXXVI, 14, n. 3. *Progredientes* conj. Gronov.

2. *Inde ab Lysis fluminis fonte*, alii *Lisis*, et Glar. emend. *Lyci*, qui notus in hac regione fluvius est. Sed conf. not. 1. *Ad Lysis flum. fontem*

Digitized by Google

Termessenses eo tempore Isiondensium arcem, urbe capta, oppugnabant: inclusi, quum alia spes auxilii nulla esset, legatos ad consulem, orantes opem, miserunt. *Cum conjugibus ac liberis in arce inclusos se mortem in dies, aut ferro aut fame patiendam, exspectare.* Volenti consuli[3] causa in Pamphyliam devertendi oblata est. Adveniens obsidione Isiondenses exemit. Termesso pacem dedit, quinquaginta talentis argenti acceptis; item Aspendiis cæterisque Pamphyliæ populis. Ex Pamphylia rediens ad fluvium Taurum primo die, postero ad Xylinen, quam vocant, Comen[4] posuit castra. Profectus inde continentibus itineribus ad Cormasa urbem pervenit. Darsa proxima urbs erat. Eam, metu incolarum desertam, plenam omnium rerum copia invenit. Progredienti præter paludes legati ab Lysinoe, dedentes civitatem, vene-

ed. Frob. et reliquæ ad Gruter. forte rectius. — *Cobulatum amnem*, Κολοβάτον apud Polyb. XXII, 18. *Crobialum* vel *Cobialum* conj. Heins. ad Val. Flacc. V, 103, ubi conf. intpp. Sed Paphlagonia et Pontus longe abest a Pisidiæ et Pamphyliæ finibus; Drak. — *Termessenses*, MSS et editiones vett. *Telmenses*, *Elmenses*, etc. Apud Polyb. l. l. Τερμησσεῖς edidit Schweigh., alii vero Τερμησεῖς et Τελμισεῖς pro mendosis μεσεῖς et Τελμεῖς. *Termessus* (non *Termissus*) oppid. mediterraneum Pisidiæ aut Pamphyliæ, non longe a Cibyra; vid. Cellar. Geogr. ant. III, 4, pag. 195 sq. Eckhel. Doctr. num. t. III, p. 27; Huschke in Anal. Crit. p. 209, 210. De *Telmesso* seu *Telmisso* Lyciæ vel Cariæ vide ad XXXVII, 16, n. 5. — *Isiondensium*, ut Ἰσιονδεῖς et Ἰσιόνδα opp. (Pisidiæ, ut videtur) apud Polyb. l. XXII, 18, § 1 et 5. *Isindensium* emend. Ursin. et Berkel. ex Steph. Ἴσινδος vel Ἴσινδα πόλις Ἰωνίας, quæ tamen h. l. minus convenit.

3. *Volenti consuli* (vide ad XXI, 39, n. 4) *causa in Pamphyliam devertendi*, etc. vide ad I, 51, n. 2. — *Quinquaginta talentis argenti* (non vero *argenteis*, ut legunt quidam), marcis 4,687, cum unciis 4, ex Creverii rationibus. Ed.

4. *Ad Xylinen Comen* cod. Mogunt. In aliis *Silenen*, *Silenem*, *Sylenen*, *Silenu* (vide ad XLIV, 28, n. 5), *Sillenem*, *Silinen*. Ξυλίνη Cappadociæ oppid. maritimum apud Ptol. V, 6, ad pontum Euxinum: sed ab eo longissime nunc aberat Manlius, in Pisidia degens; Drak. — *Ad Cormasa urbem*, etc. conf. Polyb. XXII, 19, ubi Κόρμασα. At Κόρμασσα etiam Ptolem. V, 5. Conf. ad cap. 14, n. 5. — *Lysinoe* Λυσινία apud Ptolem. Λυηνόη et Λιηνόη in codd. Polyb. l. l.

Digitized by Google

runt. Inde in agrum Sagalassenum[5], uberem fertilemque omni genere frugum, ventum est: colunt Pisidæ, longe optimi bello regionis ejus. Quum ea res animos facit, tum agri fecunditas, et multitudo hominum, et situs inter paucas munitæ urbis. Consul, quia nulla legatio ad finem præsto fuerat[6], prædatum in agros misit. Tum demum fracta pertinacia est, ut ferri agique res suas viderunt. Legatis missis, pacti quinquaginta talentis et viginti millibus medimnum tritici, viginti hordei, pacem impetraverunt. Progressus inde ad Obrimæ fontes[7], ad vicum, quem Aporidos comen vocant, posuit castra: eo Seleucus ab Apamea postero die venit. Ægros inde et inutilia impedimenta quum Apameam dimisisset, ducibus itinerum ab Seleuco acceptis, profectus eo die in Metropolitanum campum[8], postero die Dinias Phrygiæ processit. Inde Synnada venit, metu omnibus circa

5. *In agrum Sagalassenum*, Σαγάλασσος πόλις Πισιδίας· τὸ ἐθνικὸν Σαγαλασσεὺς καὶ Σαγαλασσηνός, Steph. Conf. etiam Strab. XII, 569; Plin. V, 27, et, qui de Sagalassensibus eadem, quæ Livius, prædicat, Arrian. I, 29. Σαγαλασσέων in Polyb. Lyciæ oppid. apud Ptol.—*Longe optimi bello*; vide ad II, 51, n. 3.

6. *Nulla legatio ad finem præsto fuerat*; vide ad II, 49, n. 10. — *Ferri agique res suas*; vide ad III, 37, n. 4. — *Quinquaginta talentis*, L talentorum coronam apud Polyb. Conf. ad cap. 14, n. 3. — *Viginti millibus medimnum*, hoc est, ut computavit Crever. modiis Romanorum 120,000, nostratibus 92,500. Conf. sup. cap. 13, n. 8. Ed.

7. *Ad Obrimæ fontes* ex emend. Glar. In MSS et edd. antt. *Rotrinos*, *Rhotrinos*, *Rothrinos*, *Rothinos*, *Rhotinos*, *Rhocrinos*; vid. Plin. V, 29, et ad Tac. Ann. XII, 58, n. 9. — *Aporidos comen* e cod. Mog. primus edidit Aldus. *Aporides* primæ edd. et quidam MSS. *Aporidios*, *Apridos*, *Adprodios* alii codd. *Acaridos comen* conj. Jac. Gron. quia *Acaris* oppid. Phrygiæ est apud Steph. et ei adjacens aliquis ex pagis ita dictus videri potest, ut Leidæ vicus. *Adonidos comen* emend. Wessel. ad Hieroclis Synecd. p. 669.

8. *Metropolitanum campum*, Μητρόπολις urbs Magnæ Phrygiæ, ἀπὸ τῆς Μητρὸς τῶν θεῶν sic dicta; vid. Steph. Alia Metropolis in Phrygia fuit; vid. Ptol. V, 2; Strab. XII, pag. 576; Hard. ad Plin. V, 29 et 31; Wessel. ad Hierocl. pag. 660. — *Dinias* plerique MSS. *Dymas* vel *Dimas* Lov. 3, 5, 6, et edd. ante Frob. a. 1535. — *Synnada*, Σύνναδα, apud

Digitized by Google

oppidis desertis. Quorum jam præda grave agmen trahens, vix quinque millium die toto itinere profecto, ad Beudos, quod Vetus[9] appellant, pervenit. Ad Anabura inde, et altero die ad Alandri fontes, tertio ad Abbassum posuit castra: ibi plures dies stativa habuit, quia perventum erat ad Tolistoboiorum fines.

XVI. Galli, magna hominum vis[1], seu inopia agri, seu prædæ spe, nullam gentem, per quam ituri essent, parem armis rati, Brenno duce in Dardanos[2] pervenerunt. Ibi seditio orta, et ad viginti millia hominum, cum Leonorio ac Lutario regulis[3], secessione facta a

Græcos recentt. Σύναδα, opp. Phrygiæ Majoris, cujus marmor celeberrimum fuit; vid. Tristan. Comm. t. II, pag. 202; Holsten. ad Steph. et Cellar. Geogr. Ant. III, 3, pag. 90.

9. *Beudos Vetus*, Βεῦδος Παλαιὸν apud Ptol. V, 5. — *Anabura* Pisidiæ opp. apud Strab. XII. — *Alandri* ex emend. Sigon. pro *Alexandri*. — *Abbassum*, alii *Abassum*, *Abbasum*, *Abbasium*, *Abassium*, *Babasum*, *Alcasum*.

Cap. XVI. 1. *Galli, magna hominum vis*, etc. descriptio transitus Gallorum seu Celtarum primum in Italiam circa a. Urb. cond. 475, et deinde a. 476, in Asiam Minorem, ubi partem Phrygiæ et Paphlagoniæ occuparunt, quæ *Galatia* et a græca gente Gallis mixta *Gallogræcia* est dicta, ut ipsi *Galatæ* et *Gallogræci*. Cf. Strab. IV, pag. 286 sq. et XII, p. 566 sq. Plin. V, 32 seu 42; Flor. II, 11; Justin. XXIV, 4, XXV, 1; Pausan. I, 3, 4, VII, 6 inpr. X, 15 et 19-23; Cellar. Geogr. Ant. III, 4; Schweigh. ad Appiani Hisp. c. 1; Gottl. Wernsdorf. de republ. Galatarum liber singul. Nor. 1743, in-4; Ritter. in *d. Weltgesch. von. Guthril und Gray*, t. V, part. III, p. 457, et *Anleit. zur Kenntniss der allg. Weltgesch.* vid. Beck. t. II, p. 46 sq.

2. *Brenno duce in Dardanos* (hod. Serviam) *pervenerunt* ex Pannonia et Illyrico, ubi Scordisci, Boii et Taurisci, Galliarum populi, jam antea consederant. — Veterem ac maxime insignem apud Gallos Brennorum gentem fuisse, documento est clarus ille Brennus, quo duce olim a Gallis Senonibus Roma capta est. Vid. supra lib. V, 40 seqq. Ed.

3. *Cum Leonorio ac Lutario regulis* et Comontorio (vid. Memnon comm. de Heracl. Pont. cap. 20), *secessione facta a Brenno, in Thraciam iter averterunt*, in quam antea jam irruperant duce primum Cambaule, deinde Cerethrio. *Lomnorio* et *Lonorio* MSS. Λεονόριος dicitur Strab. l. l. Λεωννόριος Memnoni apud Phot. pag. 374, et *Lutarius* eidem Λουτούριος, Cæsari B. G. VII, 5 sq. *Luterius*, Agathiæ I, p. 12, Λωθάριος et Λεύθαρις· utrumque vero nomen Germanis etiam nunc in usu, *Leonhardus* et *Lutarius* vel *Luderus*; Gronov. Idem Λυτάριος conj. pro Αὐτάριτος apud Polybium, I, 77-80, 85, 86, sed

Digitized by Google

Brenno, in Thraciam iter averterunt. Ubi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium quum pervenissent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis ejus urbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Asiam transeundi [4], audientes ex propinquo, quanta ubertas terræ ejus esset, cepit; et, Lysimachia fraude capta, Chersonesoque omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt. Ibi vero exiguo divisam freto cernentibus Asiam, multo magis animi ad transeundum accensi; nuntiosque ad Antipatrum, præfectum ejus oræ, de transitu mittebant. Quæ res quum lentius spe ipsorum traheretur, alia rursus nova inter regulos orta seditio est. Leonorius retro, unde venerat, cum majore parte hominum repetit Byzantium: Lutarius Macedonibus, per speciem legationis ab Antipatro ad speculandum missis, duas tectas naves et tres lembos adimit. His, alios atque alios dies noctesque trans-

Reiskius Αὐτάριχος, ut sit nomen id. qd. Odericus et Odalricus. — *Lutarius* forte nomen idem ac *Lothaire* et *Clotaire*, quæ sæpius in primis historiæ nostræ temporibus occurrunt. Ed. — Cæterum *Brennus* tum Macedoniam, Illyricum et Thessaliam vastabat, sed deinde diripiendi templi Delphici consilio capto, a Græcis victus sibi ipse manus intulit; etsi quidam, etiam Livius, XXXVIII, 48, n. 3, tradunt, templum ab eo spoliatum fuisse. Neminem potius a Gallis evasisse, narrant Diodor. XXII, 13; Justin. XXIV, 8; Pausan. I, 4, X, 23; Polyb. I, 6, § 5, IV, 46, § 1; alii, permultos spoliantes Delphos tempestate peremptos fuisse; vide ad XL, 58, n. 3, et Pausan. l. l. — *Cum resistentibus pugnando..... imponendo..... quum pervenissent*, pro *pugnantes* et *imponentes*, quum interim in via pugnassent; Bauer. Conf. ad I, 8, n. 4.

4. *Cupido inde eos in Asiam transeundi*, etc. quod iter ingressi sunt ducibus iisdem, Leonorio ac Lutario. Comontorius mansit in Thracia, eique successerunt Cavarus, Clyarus et alii; vid. Polyb. IV, 45 sq. 51 sq. V, 77 sq. 111, VIII, 24. — *Divisam*, h. e. discretam, separatam. Hæc sæpius obvia locutio ap. Latinos. Sall. Jug. XVIII, *freto divisi ab Hispania*. Virg. Ecl. I, 67, « Et penitus toto divisos orbe Britannos ». Legebatur olim *divisis*. Ad fidem cod. Vict. in textum recepit *divisam* Crev. orationis concinnitati consulens. Hæc est cæterum lectio in cod. Lov. 6, teste Drak. Ed.

Digitized by Google

vehendo, intra paucos dies omnes copias trajecit. Haud ita multo post Leonorius, adjuvante Nicomede Bithyniæ rege, a Byzantio transmisit. Coeunt deinde in unum rursus Galli, et auxilia Nicomedi dant[5], adversus Zibœtam, partem tenentem Bithyniæ, gerenti bellum. Atque eorum maxime opera devictus Zibœta est, Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis concessit. Profecti ex Bithynia in Asiam processerunt. Non plus ex viginti millibus hominum, quam decem armata erant: tamen tantum terroris omnibus, quæ cis Taurum incolunt, gentibus injecerunt, ut, quas adissent quasque non adissent, pariter ultimæ propinquis[6], imperio parerent. Postremo, quum tres essent gentes, Tolistoboii, Trocmi, Tectosagi[7], in tres partes, qua cuique populorum suorum vectigalis Asia esset, diviserunt. Trocmis Hellesponti ora data; Tolistoboii Æolida atque Ioniam, Tectosagi mediterranea Asiæ sortiti sunt, et stipendium tota cis Taurum Asia exigebant. Sedem autem ipsi[8] sibi circa Halyn flumen

5. *Et auxilia Nicomedi dant* (ut III, 23, et apud Justin. XXXVIII, 5, Duk.) *adversus Zibœtam* e membranis Mogunt. recepi. *Zybœam* et *Zybœtam* alii. Ζιποίτης dicitur Memnoni in Phot. Bibl. pag. 373, et Ζιβύτης Diodoro et Suidæ, ut Ῥοιμετάλκης et Ῥυμετάλκης, Gronov. Τιβοίτης vel Τιβίτης Polyb. IV, 50. Conf. Scalig. ad Hieron. Chron. pag. 78, et intpp. lib. XXVII Trogi Prolog.

6. *Pariter ultimæ propinquis*, quam propinquæ.

7. *Tolistoboii*, *Trocmi*, *Tectosagi*, quarum gentium cuilibet quatuor et postea tres tetrarchæ præerant, donec post mortem Cæsaris Dejotarus et deinde Amyntas omnes XII tetrarchias omnemve Galatiam imperio suo subjecit, tandemque Octavianus, Amynta mortuo, Galatiam, Pisidiam Lycaoniamque in provinciarum rom. formulas redegit; vid. Strab. XII, p. 567, al. 852 sq. et Dio Cass. XLVII, 24, XLIX, 32, XLVIII, 33, LI, 2, LIII, 26. De nominibus harum gentium vid. Hard. ad Plin. V, 32 seu 42. *Tolistoboii* gr. Τολιστόβοιοι, Τολιστόβιοι, Τολιστοβῶγοι, Τολιστοβώγιοι, Τολιστοβόγιοι, Τολιστόβογοι· vid. Schweigh. ad Appian. Syr. 42; Harduin. l. l. Berkel. ad Steph. *Tectosagi* aliis *Tectosages* et *Tectosagæ* dicuntur. — *Qua*, quatenus.

8. *Sedem autem ipsi* Tectosagi *sibi circa Halyn fl. ceperunt*, iisque *Syriæ quoque reges stipendium dare non abnuerunt;* quod tamen non gratuito

Digitized by Google

ceperunt; tantusque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, ut Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. Primus Asiam incolentium abnuit Attalus[9], pater regis Eumenis; audacique incepto, præter omnium opinionem, adfuit fortuna, et signis collatis superior fuit. Non tamen ita infregit animos eorum, ut absisterent imperio: eædem opes usque ad bellum Antiochi cum Romanis manserunt[10]. Tum quoque, pulso Antiocho, magnam spem habuerunt, quia procul mari incolerent, romanum exercitum ad se non perventurum.

XVII. Cum hoc hoste, tam terribili omnibus regionis ejus, quia bellum gerendum erat, pro concione milites maxime in hunc modum[1] alloquutus est consul: «Non me præterit, milites, omnium, quæ Asiam «colunt, gentium Gallos fama belli præstare. Inter «mitissimum genus hominum ferox natio, pervagata «bello prope orbem terrarum, sedem cepit. Procera «corpora[2], promissæ et rutilatæ comæ, vasta scuta,

ab his factum, sed intercedente pacto de suppeditandis sibi, ut Antiocho, copiis auxiliaribus, suspicatur Schweigh. ad Polyb. V, 53, § 3.

9. *Primus Asiam incolentium abnuit Attalus* I, etc. conf. Polyæn. IV, 20, et Frontin. Strat. II, 13.

10. *Eædem opes... manserunt* iis. *Eisdem* al.

Cap. XVII. 1. *Maxime in hunc modum*, « fere, *ungefähr*, quo sensu alias *maxime* postponi solet. Mox *omnium gentium Gallos præstare fama belli* quasi per græcismum διαφέρειν », Bauer.—*Ferox natio, pervagata bello prope orbem terrarum;* conf. Ruhnken. ad Vell. II, 98.

2. *Procera corpora;* vide ad V, 44, n. 4. — Diodor. Sic. V, 28, οἱ δὲ Γαλάται τοῖς σώμασιν εἰσὶν εὐμήκεις. Cæs. de Bell. Gall. II, 30, *nam plerumque hominibus Gallis præ magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est.* Ed. — *Promissæ et rutilatæ comæ* (ut apud Tac. Hist. IV, 61); immo *rutilæ:* nam natura hunc colorem habebant; Bauer. Enimvero Gallis, æque ac Germanis, crinis non modo a natura, sed etiam ab arte rutilus erat; et *comæ* eorum tam *promissæ*, quam *rutilatæ*, eo spectabant, ut terribiles essent adspectu, vel, ut mox dicitur, erant *de industria compositæ ad terrorem.* Οἱ Γαλάται ταῖς κόμαις οὐ μόνον ἐκ φύσεως ξανθοί, ἀλλὰ καὶ διὰ τῆς κατασκευῆς ἐπιτηδεύουσιν αὔξειν τὴν φυσικὴν τῆς χρόας ἰδιότητα. Τιτάνου γὰρ ἀποπλύματι

Digitized by Google

« prælongi gladii : ad hoc cantus ineuntium prælium, « et ululatus, et tripudia, et quatientium scuta in pa- « trium quemdam modum horrendus armorum cre- « pitus : omnia de industria composita ad terrorem. « Sed hæc, quibus insolita atque insueta sunt, Græci « et Phryges et Cares timeant : Romanis gallici tu- « multus assuetis[3] etiam vanitates notæ sunt. Semel « primo congressu ad Alliam olim fuderunt majores « nostros : ex eo tempore per ducentos jam annos pe- « corum in modum consternatos cædunt fugantque; « et plures prope de Gallis triumphi, quam de toto « orbe terrarum, acti sunt. Jam usu hoc cognitum « est[4], si primum impetum, quem fervido ingenio et

σμῶντες τὰς τρίχας συνεχῶς, ἵνα διαφανεῖς ὦσι, καὶ ἀπὸ τῶν μετώπων ἐπὶ τὴν κορυφὴν καὶ τοὺς τένοντας ἀνασπῶσιν, ὥστε τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι Σατύροις καὶ Πᾶσιν ἐοικυῖαν, etc. Diodor. V, 28. Τῶν ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται· ἔχει τὶ φοβερὸν τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι· Clemens, Pæd. III, 2, pag. 98 : *prodest et sapo. Galliarum hoc inventum rutilandis capillis. Fit ex sevo et cinere*, etc. Plinius, XXVIII, 12 seu 51. Conf. ibi Hard. et Lips. ad Tacit. Germ. IV. — *Vasta scuta, prælongi gladii;* vide ad XXII, 46, n. 2 et 3. — *Ad hoc cantus ineuntium prælium, et ululatus, et tripudia, et quatientium scuta...crepitus;* vide ad II, 23, n. 3, et X, 26, n. 8.

3. *Romanis gallici tumultus assuetis;* vide ad IV, 9, n. 4, et XXI, 16, n. 5. Possis etiam jungere: *Romanis notæ sunt vanitates tumultus gallici, ut*, quippe *assuetis* ei; Bauer. et Doujat. Sed inordinata hæc verborum confusio omnibus displicebit; Drak. — *Vanitates*, scil. tumultus. — *Semel primo congressu ad Alliam olim fuderunt majores nostros : ex eo tempore... consternatos* Gallos *cædunt fugantque*, quinam? *majores nostri?* Sed ita Livius dixisset *ceciderunt fugaruntque;* nec bene ita transmutantur subjecta. Forte leg. *consternati cadunt fugiuntque*, vel potius *consternati cæduntur fuganturque*. Syllaba finalis *tur* etiam sola litera *t* uncinata designatur; et, hoc compendio scripturæ deleto aut non animadverso aut parum intellecto, docta indoctave manus scripsit *consternatos*, ne prorsus inepta prodiret sententia. *Ad Alliam eos olim fugerunt majores vestri* et *nostri* codd. Mogunt. Voss. et Lov. 1, unde Modius non male conj. *eos olim fugerunt majores nostri* (ut *fugere aliquem* X, 27, et XXXVIII, 38), non improb. Drak. Sed ita quoque mox dicendum erat *ceciderunt fugaruntque*, sc. majores nostri.

4. *Jam usu hoc cognitum est*, experientia (ut VI, 36; VII, 38; XLII,

Digitized by Google

« cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore et « lassitudine membra, labant arma : mollia corpora, « molles, ubi ira consedit, animos sol, pulvis, sitis, « ut ferrum non admoveas, prosternunt. Non legio- « nibus legiones eorum solum experti sumus, sed vir « unus cum viro congrediendo, T. Manlius, M. Vale- « rius, quantum gallicam rabiem vinceret romana « virtus, docuerunt. Jam M. Manlius unus agmine « scandentes in Capitolium Gallos detrusit : et illis ma- « joribus nostris cum haud dubiis Gallis[5] in terra sua « genitis res erat. Hi jam degeneres sunt, mixti, et « Gallogræci vere, quod appellantur; sicut in frugibus « pecudibusque non tantum semina ad servandam in- « dolem valent, quantum terræ proprietas cælique « sub quo aluntur, mutat. Macedones, qui Alexan- « driam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, « quique alias sparsas per orbem terrarum colonias ha- « bent, in Syros, Parthos, Ægyptios degenerarunt. « Massilia, inter Gallos sita[6], traxit aliquantum ab ac- « colis animorum. Tarentinis quid ex Spartana, dura « illa et horrida, disciplina mansit? Generosius in sua

59; Drak.), *si primum impetum, quem fervido ingenio et cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore... prosternunt;* vide ad V, 44, n. 4, VII, 29, n. 3, et X, 28, n. 3.—*Labant arma,* minus firmiter retinentur, manibus effluunt; Bauer. — *Ut,* quamvis, *ferrum,* etc. —*T. Manlius, M. Valerius, quantum gallicam,* etc. de singulari L. Manlii, Lucii filii, cum vastissimi corporis quodam Gallo certamine vide ad VII, 10, et de simili certamine M. Valerii, tribuni militum, eod. libro, cap. 26. Ed.—*Gallicam rabiem;* recentioribus temporibus, quum Franci, regnante Carolo Octavo, Italiam invasere, eodem usi verbo Itali, ad significandum hunc impetum quo per prælia feruntur et nunc Gallorum nepotes, dicere solebant *la furia Francese.* Ed.

5. *Cum haud dubiis Gallis,* veris, germanis, non degeneribus, quales sunt Gallogræci. — *Gallogræci vere;* conf. ad cap. 16, n. 1, et ad XXVI, 31, n. 1. — *Terræ proprietas cælique,* propria natura, singularis indoles, diversa ab aliarum regionum natura.

6. *Massilia inter Gallos sita,* sed græcæ originis; vide ad V, 34, n. 7. — *Tarentinis Spartana* origo; vide

Digitized by Google

« quidquid sede gignitur; insitum alienæ terræ, in id « quo alitur, natura vertente se, degenerat. Phrygas « igitur gallicis oneratos armis, sicut in acie Antiochi « cecidistis, victos victores cædetis. Magis id vereor, « ne parum inde gloriæ, quam ne nimium belli sit. « Attalus eos rex sæpe fudit fugavitque. Nolite exi- « stimare, belluas tantum recens captas feritatem illam « silvestrem primo servare, deinde, quum diu mani- « bus humanis alantur, mitescere; in hominum feri- « tate mulcenda non eamdem naturam esse. Eosdemne « hos creditis esse, qui patres eorum avique fuerunt? « Extorres inopia agrorum profecti domo per asperri- « mam Illyrici oram, Pæoniam inde et Thraciam, pu- « gnando cum ferocissimis gentibus, emensi, has terras « ceperunt. Duratos eos tot malis exasperatosque ac- « cepit terra, quæ copia rerum omnium saginaret: « uberrimo agro, mitissimo cælo, clementibus acco- « larum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, man- « suefacta est feritas. Vobis, mehercule, Martis [7] viris, « cavenda ac fugienda quam primum amœnitas est « Asiæ: tantum hæc peregrinæ voluptates ad exstin- « guendum vigorem animorum possunt; tantum con- « tagio disciplinæ morisque accolarum valet! Hoc ta- « men feliciter evenit, quod, sicut vim adversus vos « nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi an-

ad XXV, 9, n. 10. Mox *quidque* pro *quidquid* cum Gronov. legendum, aut durius construendum: *quidquid generosius... gignitur,* illud *insitum... degenerat;* Bauer. Sed *quidquid* pro *quidque* poni, ex Cic. p. Cluent. 19, probat Crever. — Sic *quisquis* pro *quisque* apud Ciceronem ad Div. VI, 1, princ. « nam etsi, quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus »; et apud Catull. LXVIII, 28: « Quare, quod scribis: Veronæ turpe Catullo Esse, quod hic quisquis de meliore nota Frigida deserto tepefecit membra cubili ». Ed.

7. *Vobis, mehercule, Martis viris*, immo *Martiis viris,* ut ἄνδρες Ἀρήϊοι et sim. quod jam Duk. et alii monuere. Conf. ad X, 27, n. 7.—*Servantes antiquum specimen animorum*, exemplum seu notam indolem. Conf. ad XXVIII, 35, n. 7.

Digitized by Google

« tiquæ obtinent, cum qua venerunt, bellique glo-
« riam victores eamdem inter socios habebitis, quam
« si servantes antiquum specimen animorum Gallos
« vicissetis. »

XVIII. Concione dimissa, missisque ad Eposognatum legatis [1], qui unus ex regulis et in Eumenis amicitia manserat, et negaverat Antiocho adversus Romanos auxilia, castra movit. Primo die ad Alandrum flumen, postero ad vicum, quem vocant Tyscon, ventum. Eo legati Oroandensium quum venissent, amicitiam petentes, ducenta talenta iis sunt imperata, precantibusque, ut domum renuntiarent, potestas facta. Ducere inde exercitum consul ad Plitendum: deinde ad Alyattos castra posita. Eo missi ad Eposognatum redierunt, et legati cum illis [2] reguli orantes, ne Tectosagis bellum inferret: *ipsum in eam gentem iturum Eposognatum, persuasurumque, ut imperata faciant.* Data venia regulo, duci inde exercitus per Axylon (quam vocant) terram cœptus. Ab re nomen habet: non ligni modo quidquam, sed ne spinas quidem, aut ullum aliud alimentum fert ignis. Fimo

Cap. XVIII. 1. *Missisque ad Eposognatum* (al. *Epossognatum*) *legatis*, etc. conf. Polyb. XXII, 20. — *Legati Oroandensium*, alii *Orondensium* et *Orcadensium*, ut et cap. 19 pr. ubi Gron. substituit *Œnoandensium*. Forte leg. *Œandensium* cum Glar. ex Plin. V, 32 seu 42, ut sint pars Tolistoboiorum in Galatia ad *Alandrum fl.* Minus h. l. conveniunt vel *Œnoanda* opp. Lyciæ apud Ptol. vel *Oroanda* urbs Pisidiæ inf. c. 37, 39 (ubi alii *Œnoanda* et *Orvanda*), unde *Oroandicus Pisidiæ tractus* Plin. V, 27 seu 24. Ὀρόνδικοι Ptol. V, 4, et Ὀραανδεῖς aut rectius Ὀροανδεῖς Polyb. XXII, 25, § 7; conf. Cellar. Geogr. Ant. III, 4, pag. 114, al. 188 sq. — *Ad Alyattos*, Ἀλυαττὰ χωρίον Βιθυνίας, Steph.

2. *Legati cum illis* (ex emend. Gronov. pro *l. Compulsi*; nisi et del. *cum illis*, quæ non edidit Doering. quia, Drak. teste, in plerisque MSS desunt) *reguli* Eposognati, *orantes*, *ne Tectosagis bellum inferret*; immo *Tolistoboiis*, quod jam monuit Perizon. Anim. Hist. cap. 9, pag. 394, 395. Id probabile fit tum ex Polyb. XXII, 20, tum ex postremis hujus cap. et primis cap. 19 verbis, unde patet, *gentem*, *in quam iverit* Eposognatus

Digitized by Google

bubulo pro lignis utuntur. Ad Cuballum[3], Gallogræciæ castellum, castra habentibus Romanis apparuere cum magno tumultu hostium equites; nec turbarunt tantum stationes romanas, repente invecti, sed quosdam etiam occiderunt : qui tumultus quum in castra perlatus esset, effusus repente omnibus portis equitatus romanus fudit fugavitque Gallos, et aliquot fugientes occidit. Inde consul, ut qui jam ad hostes perventum cerneret, explorato deinde et cum cura coacto agmine procedebat; et continentibus itineribus quum ad Sangarium flumen pervenisset, pontem, quia vado nusquam transitus erat, facere instituit. Sangarius, ex Adoreo monte per Phrygiam fluens, miscetur ad Bithyniam Tymbreti[4] fluvio. Inde major jam geminatis aquis per Bithyniam fertur, et in Propontidem sese effundit[5]; non tamen tam magnitudine memorabilis, quam quod piscium accolis ingentem vim præbet. Transgressis ponte perfecto flumen, præter ripam euntibus Galli Matris Magnæ[6] a Pessinunte

et quæ *Olympum montem ceperit*, fuisse *Tolistoboios*.

3. *Ad Cuballum*, alii *Coballum*, *Cubalum* et *Euballum*. Urbem, quæ Κύβελλα Φρυγίας Steph. Byz. in voc. Κυβελεία vocatur, intelligi, monet ibi Berkel. quod refellere conatur Hemsterh. ad Luciani Judic. vocal. § 7. Conf. Werusdorf. Res publ. Galatarum, cap. 5, pag. 217. — *Cum cura coacto agmine*, accurate densatis ordinibus; Drakenb. Conf. ad XXXII, cap. 2, n. 4.

4. *Sangarius, ex Adoreo monte per Phrygiam fluens, miscetur ad Bithyniam Thymbreti* (al. *Thymbri*) *fluvio*, etc. conf. tamen Strab. lib. XII, pag. 543, et Plin. VI, 1, ibique Hard. Thymbres Plinio dicitur *Tembrogium*, et alius est Θύμβριος apud Strab. XIII, pag. 598, Trojanus amnis, in Scamandrum influens. Conf. Drak. — *Sangarius* hodie *Zangari* sive *Sagaris* nuncupatur. Ed.

5. *In Propontidem sese effundit*, immo in Pontum Euxinum, quod ex Arriano, I, 30, Orph. Argon. 714, et Eustath. in Dionys. jam docuere Sigon. et Cellar. Geogr. Ant. III, 3 et 8. — *Non magnitudine memorabilis*, sed τῷ θερινῷ καταστήματι ξηρὸς ὁρᾶται πολλάκις et hinc Ξηραβάτης dictus est (vid. Plut. de flum.), *piscium accolis ingentem vim præbet*, ut Tymbretes seu Τέμβριος ἰχθύσεις (Orph. Arg. 713), Drak.

6. *Galli Matris Magnæ* Deum *occurrere cum insignibus suis* : ἔχοντες

occurrere cum insignibus suis, vaticinantes fanatico carmine, Deam Romanis viam belli et victoriam[7] dare, imperiumque ejus regionis. Accipere se omen quum dixisset consul, castra eo ipso loco posuit. Postero die ad Gordium pervenit. Id haud magnum quidem oppidum est, sed plus, quam mediterraneum, celebre et frequens emporium. Tria maria pari ferme distantia intervallo habet, Hellespontum, ad Sinopen, et alterius oræ litora[8], qua Cilices maritimi colunt. Multarum magnarumque præterea gentium fines contingit, quarum commercium in eum maxime locum mutui usus contraxere. Id tum desertum fuga incolarum oppidum, refertum idem copia rerum omnium, invenerunt. Ibi stativa habentibus legati ab Eposognato venerunt, nuntiantes, *profectum eum ad regulos Gallorum nihil æqui impetrasse: ex campestribus*[9] *vicis*

προστηθίδια καὶ τύπους, Polybius, XXII, 20, § 4 (ex Suida voc. Γάλλος), quæ προστηθίδια Schweigh. non cum Suida interpretatur εἰκόνας μέχρι στήθους, imagines pectore tenus, sed πρὸ τῶν στήθεων, ante pectus gestatas a Gallis, quod Dionys. Hal. II, 19, dicat τύπους περικείμενοι τοῖς στήθεσι.

7. *Viam belli et victoriam;* vide ad IV, 48, n. 2.—*Accipere se omen;* vide ad I, 7, n. 11. — *Gordium*, Γόρδιον seu Γορδιεῖον, Phrygiæ opp. ad Sangarium fl., caput quondam Galatiæ (vid. Plin. V, 32 seu 42), regiaque Midæ, sic dicta a patre ejus Gordio, cujus nodum Alexander solvisse traditur. Conf. Arrian. II, 3; Justin. XI, 7; Curt. I (III), 1, § 12.

8. *Tria maria pari ferme distantia intervallo habet, Hellespontum, ad Sinopen, et alterius oræ litora*, etc. cf. intpr. Curt. l. l. *Pontum* ante *ad Sinopen* excidisse suspicatur Freinsh. ad Curt., sed *ad Hellespontum* cum edd. vett. ante Frob. a. 1535 legendum putabat Gron. eamque vocem accipiendam non pro mari, sed pro regione terrarum, ut intell. mare unum ad Hellespontum, alterum ad Sinopen, tertium ad litora Cilicum. *Hellespontium* emendat Jac. Periz. *Hellespontium* vel *ad Hellespontum, ad Sinopen, ad alterius* malebat Drak. Curtius urbem dicit *pari intervallo Pontico et Cilicio mari distare*, multum errans, judice Schmiedero, sed præeunte Livio. Contra Raderus monet, Gordium esse id. qd. Gordiutichos (vid. sup. ad cap. 13, n. 7), et hoc Phrygiæ Minoris oppidum juste medio intervallo abesse a tribus maribus, Hellespontico, Euxino, et Cilicio. — *Sinope* hodie vocatur *Senap* a popularibus. Ed.

9. *Ex campestribus vicis;* quam ad

Digitized by Google

agrisque frequentes demigrare, et cum conjugibus ac liberis, quæ ferre atque agere possint[10], *præ se agentes portantesque Olympum montem*[11] *petere, ut inde armis locorumque situ sese tueantur.*

XIX. Certiora postea Oroandensium[1] legati attulerunt: *Tolistoboiorum civitatem Olympum montem cepisse; diversos Tectosagos alium montem, qui Magaba dicatur, petisse; Trocmos, conjugibus ac liberis apud Tectosagos depositis, armatorum agmine Tolistoboiis statuisse auxilium ferre.* Erant autem tunc trium populorum reguli Ortiagon[2], et Combolomarus, et Gaulotus. Iis hæc maxime belli ratio sumendi fuerat, quod, quum montes editissimos ejus regionis tenerent, convectis omnibus, quæ ad usum quamvis longi temporis sufficerent, tædio se fatigaturos hostem censebant. *Nam neque ausuros per tam ardua atque iniqua loca subire eos; et, si conarentur, vel parva manu prohiberi ac deturbari posse; nec quietos, in radicibus gelidorum montium sedentes, frigus aut inopiam laturos.* Et quum ipsa altitudo locorum eos tutaretur, fossam quoque et alia munimenta verticibus iis, quos insederant, circumjecere. Minima

locutionem, confer XXXVI, 10, n. 3.

10. *Quæ ferre atque agere possint;* vide ad III, 37, n. 4.

11. *Olympum montem* Galatiæ; cf. Polyb. XXII, 20, § 9, et Appian. Syr. 42. Hic intelligit *Olympum Mysium*, h. e. Mysiæ montem, qui et tutum semper receptaculum fuit prædonum propter densas silvas; vid. Strab. XII, pag. 574; Herodot. I, 36; Ptol. V, 1, et Plin. V, 32 seu 40. Sed a Galatia nimis remotus videtur, et silvarum ejus cap. 20, in descriptione montis nulla fit mentio — *Olympus*, hod. a Turcis vocatur *Anatolidag*. Ed.

Cap. XIX. 1. *Oroandensium;* vid. c. antec. n. 1. Ed. — *Diversos*, diversa scilicet via. Ed. — *Qui Magaba dicatur*, ex emend. Freinsh. ad Flor. II, 11. *Magana*, *Magava*, *Magnana* et *Magnava* MSS et edd. vett. *Magaba* etiam memoratur in Sex. Rufi Breviar. cap. 11.

2. *Ortiagon;* de quo vid. Polyb. XXII, 21, et intpp. Aur. Vict. de Viris ill. cap. 55; Val. Max. VI, 1 ext. 2; Flor. II, 11, n. 6, et Suidæ. — *Combolomarus*, alii *Cobolomarus* et *Cumbolocrus*.—*Gaulotus*, al. *Gaudotus* et *Gandotus*.

Digitized by Google

apparatus missilium telorum cura fuit, quod saxa affatim præbituram asperitatem ipsam locorum credebant.

XX. Consul, quia non cominus pugnam, sed procul locis oppugnandis, futuram præceperat[1] animo, ingentem vim pilorum, velitarium hastarum[2], sagittarum, glandisque, et modicorum, qui funda mitti possent, lapidum paraverat; instructusque missilium apparatu ad Olympum montem ducit, et a quinque ferme millibus locat castra. Postero die cum quadringentis equitibus et Attalo progressum eum, ad naturam montis situmque gallicorum castrorum visendum, equites hostium, duplex numerus, effusi castris in fugam averterunt: occisi quoque pauci fugientium, vulnerati plures. Tertio die cum omnibus ad loca exploranda profectus, quia nemo hostium extra munimenta processit, tuto circumvectus montem, animadvertit, meridiana regione terrenos et placide acclivos ad quemdam finem colles[3] esse, ad septentrionem arduas et rectas prope rupes, atque, omnibus ferme aliis inviis, itinera tria esse; unum medio monte, qua terrena erant, duo difficilia ab hiberno solis ortu et ab æstivo occasu. Hæc contemplatus, eo die sub ipsis radicibus

Cap. XX. 1. *Futuram præceperat animo;* vide ad VII, 26, n. 5.

2. *Velitarium hastarum;* vide ad XXIV, 34, n. 3. — *Glandisque,* per *glandem* intelligit Doering. globulum plumbeum; globuli enim plumbei, qui nunc mittuntur tubo ferreo, olim funda mitti solebant. Ed.—*Ad Olympum montem ducit* (vide ad I, 23, n. 4), *et a quinque ferme millibus* (vide ad IX, 24, n. 2) *locat castra,* i. e. quinque millia ab hostibus, quasi in quinto milliario, inde a quinto milliario, locare incipit; Bauer. Quinque millium intervallo ab hostibus, ut XLII, 58 pr. et gr. ἀπὸ, v. c. ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε in Evang. Joannis, II, 18. Conf. Kypke Obss. sacr. t. I, pag. 390, et Schæfer ad Longi Pastor. p. 329.

3. *Terrenos... colles;* colles *terreni* (quorum solum est terrenum) saxosis collibus opponuntur, ut patet ex Plin. Epist. V, 6: *terrenique colles (neque enim facile usquam saxum, etiam si quæratur, occurrit).* Ed. — *Arduas et rectas prope rupes;* vide ad XXI, 35, n. 9.

Digitized by Google

posuit castra. Postero die, sacrificio facto, quum primis hostiis litasset[4], trifariam exercitum divisum ducere ad hostem pergit. Ipse cum maxima parte copiarum, qua æquissimum aditum præbebat mons, ascendit. L. Manlium fratrem ab hiberno ortu, quoad loca patiantur et tuto possit, subire jubet: si qua periculosa et prærupta occurrant, non pugnare cum iniquitate locorum, neque inexsuperabilibus vim afferre; sed obliquo monte ad se declinare[5], et suo agmini conjungi. C. Helvium cum tertia parte circumire sensim per infima montis, deinde ab æstivo occasu erigere agmen. Et Attali auxilia trifariam æquo numero divisit: secum esse ipsum juvenem jussit; equitatum cum elephantis in proxima tumulis planitie reliquit. Edictum præfectis, ut intenti, quid ubique geratur, animadvertant, opemque ferre, quo postulent res, properent.

XXI. Galli, duobus[1] lateribus satis fidentes invia esse, ab ea parte, quæ in meridiem vergeret, ut armis clauderent viam, quatuor ferme millia armatorum ad tumulum, imminentem viæ minus mille passuum a castris, occupandum mittunt, eo se rati velut castello iter impedituros. Quod ubi Romani viderunt, expediunt sese ad pugnam. Ante signa modico intervallo velites eunt[2], et ab Attalo Cretenses sagittarii

4. *Quum primis hostiis litasset;* vide ad V, 38, n. 1.

5. *Obliquo monte ad se declinare;* vide ad II, 39, n. 3. — *Quo postulent res;* magis Crev. placeret ex more Livii *postulet*. Ed.

Cap. XXI. 1. *Galli duobus* a *lateribus invia esse* loca omnia, *satis fidentes:* vel *satis fidentes lateribus duobus*, propterea quod essent *invia*, ut invia; Bauer. (qui de eo usu infinitivi plura notavit in Philol. Thucyd. Paull. p. 93). Posterior ratio durissima: multo lenior altera; Schæf. Sed neque hæc satisfaciet omnibus, et forte *itinera* excidit ante aut post *invia*.

2. *Ante signa modico intervallo velites eunt;* cf. Lips. de Mil. Rom. IV, 2, et Schel. ad Hygin. pag. 1052, ubi disputat adv. Salmas. de Re mil. Rom. cap. 17, qui *velites* et *antesignanos* eosdem esse contendit, et Li-

Digitized by Google

et funditores et Tralli et Thraces; signa peditum, ut per arduum, leni gradu ducuntur, ita præ se habentium scuta, ut missilia tantum vitarent, pede collato non viderentur pugnaturi. Missilibus ex intervallo loci prælium commissum est, primo par, Gallos loco adjuvante, Romanos varietate et copia telorum. Procedente certamine, nihil jam æqui erat. Scuta longa, cæterum[3] ad amplitudinem corporum parum lata et ea ipsa plana, male tegebant Gallos: nec jam tela alia habebant, præter gladios; quorum, quum manum hostis non consereret, nullus usus erat. Saxis, nec modicis, ut quæ non præparassent, sed quod cuique temere trepidanti ad manum venisset, ut insueti, nec arte nec viribus adjuvantes ictum, utebantur: sagittis, glande, jaculis incauti ab omni parte configebantur; nec, quid agerent, ira et pavore obcæcatis animis, cernebant; et erant deprehensi genere[4] pugnæ, in quod minime apti sunt. Nam quemadmodum cominus, ubi in vicem pati et inferre vulnera licet, accendit ira animos eorum; ita, ubi ex occulto et procul levibus telis vulnerantur, nec, quo ruant cæco impetu, habent, velut feræ transfixæ in suos temere incurrunt. Detegebat vulnera eorum, quod nudi pugnant, et sunt fusa et candida corpora[5], ut quæ nun-

vium inconstantiæ arguit, ut qui eos interdum distinguat; Duk. — *Ab Attalo Cretenses sagittarii*, etc. vide ad XXVII, 5, n. 4.—*Et Tralli et Thraces;* male particula *et* ante *Thraces* in quibusdam veteribus edd. omissa fuit. *Tralli* enim aut *Tralles*, ut crebro vocantur, non e Thracia sed ex Illyrico; vide ad XXXI, 35, et XXXIII, 4. Ed. — *Ut per arduum;* vide ad VIII, 30, n. 7. — *Leni gradu*, placido, lento; vid. Drak.

3. *Scuta longa, cæterum... Gallos;* vide ad XXII, 46, n. 2. Mox τὸ *alia* post *tela* omittunt alii, et sane abesse possit; Bauer. Sed primus omisit Gruterus in ed. postuma.

4. *Deprehensi genere pugnæ;* vid. IX, 23, n. 3.

5. *Fusa corpora*, mollia, carnosa, succi plena, multa carne, ut ipse explicat; Bauer. Sed vide ad VII, 29, n. 3. — Quum exempla non reperiat Doering. ubi *fusus* in hoc sensu dica-

Digitized by Google

quam, nisi in pugna, nudentur; ita et plus sanguinis e multa carne fundebatur, et fœdiores patebant plagæ, et candor corporum magis sanguine atro maculabatur. Sed non tam patentibus plagis moventur. Interdum insecta cute[6], ubi latior quam altior plaga est, etiam gloriosius se pugnare putant. Iidem, quum aculeus sagittæ aut glandis, abditæ introrsus, tenui vulnere in speciem urit, et scrutantes, quæ vellant, telum non sequitur; tum, in rabiem et pudorem tam parvæ perimentis pestis versi, prosternunt corpora humi, sic ut passim procumberent. Alii, ruentes in hostem, undique configebantur, et, quum cominus

tur, mallet *diffusa*. Apud Plin. Hist. Nat. XVI, 8, glans querna suem reddere dicitur *diffusam*, h. e. latam, pinguem vel obesam. Sus *diffusa* apud Plin. opponitur sui *angustæ*, h. e. angusti et teretis corporis. Ed.

6. *Non tam patentibus plagis* Galli *moventur. Interdum insecta cute* seqq. Notat Walch. Emend. p. 265, hic legitimam constructionem fuisse: sed non tam patentibus plagis moventur, quam tenui in speciem vulnere, quum aculeus sagittæ aut glandis introrsus urit, etc. mutandæ vero orationis occasionem attulisse interjecta *interdum insecta cute gloriosius*, etc. Jam exempla vidimus orationis, quæ similiter, relicta inchoata constructione, ἀνακόλουθος exit. Vid. X, 14, n. 12. Ed. — *Aculeus sagittæ aut glandis;* syllepsis figura est, ex voc. *sagittæ*, cui aptus sit *aculeus*, non *glandis* vocabulo, ubi *aculeum* intellige vim, dolorem, ictum pungentem; Bauer. Conf. ad I, 33, n. 7. — *Scrutantes*, scrutaturos, scrutari volentes (actus pro conatu, de quo vide ad III, 21, n. 3), *quæ*, qualia, aculeumne sagittæ, an glandem, *vellant* (sed potius *qua* parte *evellant* leg. cum Periz., aut *qui*, quomodo, *evellant*), *telum*, cuspis teli et glans, *non sequitur*, ab iis extrahi non potest; quo sensu *ensis*, *restis*, *cera sequi* et *duci* dicuntur. Conf. ad Juven. X, 58. Baueri nota est: « *Qua* malit Gronov. et sane aptius foret, etsi *quæ* intelligas, ut ea vellant: sed sequitur *telum*; ut *quod* etiam legi possit. (At præcedunt *aculeus sagittæ* et *glans*.) Cæterum et tempora confudit Livius: *sequitur*, *prosternunt*, *procumberent:* quo ultimo imperfecto voluit rem universe expositam ad præsentem narrationem convertere. Sic et seqq. *fuerunt*, *tegant*, *excipiant*. Forte dederit Livius aut voluerit: *sicut tum passim procubuerunt*. Alioquin sic redundanter dederit: *prosternunt*, *ut procumberent:* nisi hoc brevius dictum pro: sicut et tum procubuerunt, vel, ut tum quoque fecere, ut procumberent. Miscuit *universam* rationem et infinitam narrationi *finitæ* ». — Placeret hic Walch. Emend. l. l. *sicut passim procumberent*, nimirum quasi huc illuc procumbere vellent. Ed. — *In rabiem et pudorem tam parvæ perimentis pestis;*

Digitized by Google

venerant, gladiis a velitibus trucidabantur. Hic[7] miles tripedalem parmam habet, et in dextra hastas, quibus eminus utitur : gladio hispaniensi est cinctus; quod si pede collato pugnandum est, translatis in lævam hastis, stringit gladium. Pauci supererant jam Gallorum; qui, postquam ab levi armatura superatos se viderunt, et instare legionum signa, effusa fuga castra repetunt, pavoris et tumultus jam plena, ut ubi feminæ, puerique, et alia imbellis turba permixta esset. Romanos victores deserti fuga hostium acceperunt tumuli.

XXII. Sub idem tempus L. Manlius et C. Helvius, quum, quoad viam colles obliqui[1] dederunt, escendissent, postquam ad invia ventum est, flexere iter in partem montis, quæ una habebat iter, et sequi consulis agmen, modico uterque intervallo, velut ex composito, cœperunt; quod primo optimum factu fuisset, in id necessitate ipsa compulsi. Subsidia enim in talibus iniquitatibus locorum maximo sæpe usui fuerunt; ut, primis forte deturbatis, secundi et tegant pulsos, et integri pugnam excipiant. Consul, postquam ad tumulos, ab levi armatura captos, prima signa legionum pervenerunt, respirare et conquiescere paulisper militem jubet; simul strata per tumulos corpora Gallorum ostentat[2], et, *quum levis armatura tale prælium ediderit, quid ab legionibus, quid ab justis armis, quid ab animis fortissimorum militum*

videatur ad I, 5, n. 5, et II, 44, n. 5.

7. *Hic miles* (velites) *tripedalem parmam habet, et in dextra hastas*, etc. vid. XXIV, 34, n. 3, et XXVI, 4, n. 3. — *Gladio hispaniensi est cinctus;* vide ad VII, 10, n. 3.

Cap. XXII. 1. *Collès obliqui;* vide ad II, 39, n. 3. — *Escendissent;* vide ad II, 7, n. 7. Mox forte del. *iter* post *flexere;* Duker. — *Subsidia;* vide ad II, 20, n. 2. — *Integri pugnam excipiant;* vide ad IV, 43, n. 4.

2. *Corpora Gallorum ostentat, et*, sc. dixit; vide ad XXX, 12, n. 3. — *Levis armatura;* vide ad XXI, 55, n. 2. — *Ab justis armis;* de hoc vul-

Digitized by Google

exspectari? Castra illis capienda esse, in quæ compulsus ab levi armatura hostis trepidet. Præcedere tamen jubet levem armaturam; quæ, quum staret agmen, colligendis per tumulos telis, ut missilia sufficerent, haud segne id ipsum tempus consumpserat[3]. Jam castris appropinquabant; et Galli, ne parum se munimenta sua tegerent, armati pro vallo constiterant. Obruti deinde omni genere telorum, quum, quo plures ac densiores erant, eo minus vani quidquam intercideret teli, intra vallum momento temporis compelluntur, stationibus tantum firmis ad ipsos aditus portarum relictis. In multitudinem, compulsam in castra, vis ingens missilium telorum conjiciebatur; et, vulnerari multos, clamor, permixtus mulierum atque puerorum ploratibus, significabat. In eos, qui portas stationibus suis clauserant, legionum antesignani pila conjecerunt. Hi vero non[4] vulnerabantur, sed, transverberatis scutis, plerique inter se conserti hærebant; nec diutius impetum Romanorum sustinuerunt.

XXIII. Patentibus jam portis, prius quam irrum-

gari loquendi genere vid. I, 4, n. 5.

3. *Segne tempus consumpserat*, segnis, segniter.

4. *Hi vero non* modo *vulnerabantur, sed* etiam (vide ad I, 40, n. 1) *transverberatis scutis plerique inter se conserti hærebant*, stantes in arcto et velut testudine facta structis ante se et conjunctis scutis, quorum plura uno ictu telorum erant transfixa; Duk. Cf. Cæsar. Bell. Gall. I, 25, et Lips. Mil. rom. III, 4.— Non Dukeri sensum probat Doering. « quum, ait, non sumi tantum, sed etiam probari possit, jacta pila sæpius in scutis tantummodo infixa hæsisse, haud ad pugnantis usque corpus penetrasse, quid tandem impedit, quominus hunc quoque locum ita explicemus? » De sequentibus Livii verbis *sed transverberatis scutis*, etc. addit idem: « Quum scuta, testudine quasi (συνασπισμῷ) facta, ita inter se conjungerentur, ut unius scuti pars dimidia dimidiam alterius superficiem tegeret, fieri omnino sæpe debuit, ut uno pilorum ictu duo scuta colligarentur, et sic, colligatis duobus scutis, pugnantes quoque colligati sive *conserti hærerent* ». Totius loci sensum ita expositum juvare videntur tum verba Cæsaris, l. l. tum vocula *non*, quæ ad significationem τοῦ

perent victores, fuga e castris Gallorum in omnes partes facta est. Ruunt cæci per vias, per invia; nulla præcipitia saxa, nullæ rupes obstant: nihil præter hostem metuunt. Itaque plerique præcipites per vastam altitudinem prolapsi aut debilitati exanimantur. Consul, castris captis, direptione prædaque abstinet militem[1]: sequi pro se quemque, et instare et perculsis pavorem addere jubet. Supervenit et alterum cum L. Manlio agmen; nec eos castra intrare sinit. Protenus ad persequendos hostes mittit; et ipse paulo post, tradita captivorum custodia tribunis militum, sequitur; debellatum ratus, si in illo pavore quam plurimi cæsi forent, aut capti. Egresso consule, C. Helvius cum tertio agmine advenit; nec continere suos a direptione castrorum valuit, prædaque eorum, iniquissima sorte, qui pugnæ non interfuerant, facta est. Equites diu, ignari et pugnæ et victoriæ suorum, steterunt: deinde et ipsi, quantum equis subire poterant, sparsos fuga Gallos circa radices montis consectati cecidere, aut cepere. Numerus[2] interfectorum haud facile iniri potuit, quia late inter omnes anfractus montium fugaque et cædes fuit, et magna pars rupibus inviis in profundæ altitudinis[3] convalles delapsa est, pars in silvis vepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta millia hominum cæsa, auctor est; Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem millia. Numerus captivorum haud dubie millia quadraginta explevit, quia omnis generis ætatisque turbam secum traxerant, demigran-

non modo adduci non nisi contorte potest. Ed.

Cap. XXIII. 1. *Prædaque abstinet militem*; vide ad II, 22, n. 3.

2. *Numerus interfectorum*, etc. cf. Appian. Syr. 42.

3. *In profundæ altitudinis c.*; vide ad Tac. Ann. II, 61, n. 5.

Digitized by Google

tium magis, quam in bellum euntium, modo. Consul, armis hostium in uno concrematis cumulo, cæteram prædam conferre omnes jussit, et aut vendidit, quod ejus in publicum redigendum erat, aut cum cura, ut quam æquissima esset, per milites divisit[4]. Laudati quoque pro concione omnes sunt, donatique pro merito quisque; ante omnes Attalus, summo cæterorum assensu. Nam singularis ejus juvenis quum virtus et industria in omnibus laboribus periculisque, tum modestia etiam fuerat.

XXIV. Supererat bellum integrum cum[1] Tectosagis. Ad eos profectus consul, tertiis castris Ancyram, nobilem in illis locis urbem, pervenit, unde hostes paulo plus decem millia aberant. Ubi quum stativa essent, facinus memorabile a captiva factum est. Ortiagontis reguli[2] uxor forma eximia custodiebatur inter plures captivos, cui custodiæ centurio præerat, et libidinis et avaritiæ militaris. Is primo ejus animum tentavit. Quem quum abhorrentem a voluntario videret stupro, corpori, quod servum fortuna erat, vim fecit[3]. Deinde, ad leniendam indignitatem injuriæ,

4. *Aut vendidit, quod ejus* prædæ *in publicum redigendum erat, aut cum cura... per milites divisit;* vide ad II, 9, n. 4; V, 25, n. 5, et X, 17, n. 5. Captivos finitimis Barbaris divenditos tradit Appianus l. l.

Cap. XXIV. 1. *Bellum integrum cum Tectosagis*, quorum maxima pars non Olympum, sed Magaba montem insederat. Conf. cap. 19 pr. — *Ancyram pervenit, nobilem urbem* Tectosagorum in Galatia (hod. *Angora*), ubi repertum monimentum Ancyranum. Conf. Strab. XII, pag. 567, et Hard. ad Plin. V, 32 seu 42.

2. *Ortiagontis reguli* (vid. c. 19, n. 2) *uxor* Chiomara, cujus *memorabile facinus* retulit etiam Plut. in Γυναικῶν ἀρεταῖς, cap. 43, Opp. t. II, pag. 258, præeunte Polybio, quem cum hac muliere colloquutum esse Sardibus dicit, miratumque prudentiam ejus et animi magnitudinem. Vernaculum reguli nomen fuisse *Ortwin*, uxoris *Widmara*, monet Periz.—*Inter plures captivos*, forte *captivas* e cod. Victor. Lov. 6, et Plutarch. μετὰ τῶν ἄλλων γυναικῶν.—*Centurio*, ταξίαρχος Plut. quod idem est.

3. *Corpori, quod servum* seu servile *fortuna erat, vim fecit*, facere conatus est seu voluit: actus pro conatu (vide ad III, 21, n. 3), quo etiam postrema hujus cap. verba referenda

Digitized by Google

spem reditus ad suos mulieri facit, et ne eam quidem, ut amans, gratuitam. Certo auri pondere pactus, ne quem conscium suorum haberet, ipsi permittit, ut, quem vellet, unum ex captivis nuntium ad suos mitteret. Locum prope flumen constituit; quo duo, ne plus, necessarii captivæ cum auro venirent nocte insequenti ad eam accipiendam. Forte ipsius mulieris servus inter captivos ejusdem custodiæ erat. Hunc nuntium primis tenebris extra stationes centurio educit. Nocte insequenti, et duo necessarii mulieris ad constitutum locum, et centurio cum captiva venit. Ubi quum aurum ostenderent, quod summam talenti Attici (tanti enim pepigerat) expleret; mulier lingua sua, *stringerent ferrum, et centurionem pensantem aurum occiderent,* imperavit[4]. Jugulati præcisum caput ipsa involutum veste ferens, ad virum Ortiagontem, qui ab Olympo domum refugerat, pervenit: quem prius quam complecteretur, caput centurionis ante pedes ejus abjecit, mirantique, cujusnam id caput hominis, aut quod id facinus haudquaquam muliebre esset, et injuriam corporis, et ultionem violatæ per vim pudicitiæ confessa viro est: aliaque (ut traditur) sanctitate[5] et gravitate vitæ hujus matronalis facinoris decus ad ultimum conservavit.

videntur. Certe Plut. tradit, eam marito dixisse: ἀλλὰ κάλλιον, ἕνα μόνον ζῆν ἐμοὶ συγγεγενημένον, *corpus, quod s. f. fecerat, vim; deinde... mulieri fecit* conj. Gron. — *Ut amans* contrarii causam notat, hoc sensu: quod tamen, ut amans, facere debuisset; quod exspectari tamen ab amante conveniret; Bauer. — *Pactus* hanc spem. — *Duo, ne plus;* alii *nec plus,* perperam. Aut *ne plus,* aut *nec plures* legendum; Bauer. In locutionibus *ne plus, ne minus, ne minores, ne amplius* ponitur *ne* pro *non;* vid. Drak. et conf. XXVIII, 39; XXXII, 26; XXXIV, 6.

4. *Mulier lingua sua... imperavit,* ἡ μὲν ἀπὸ νεύματος προσέταξεν ἑνὶ, etc. Plut. l. l.

5. *Aliaque, ut traditur, sanctitate,* Burm. et Drak. conj. *reliquaque.* — Legend. *altaque* suspicatur Walch. in Emend. Liv. pag. 216. Sed vide ad IV, 10, n. 2. Ed.

Digitized by Google

XXV. Ad Ancyram [1] in stativa Tectosagum oratores ad consulem venerunt, petentes, ne ante ab Ancyra castra moveret, quam colloquutus cum suis regibus esset: nullas conditiones pacis iis non bello fore potiores. Tempus in posterum diem constituitur locusque, qui maxime medius inter castra Gallorum et Ancyram est visus. Quo quum consul ad tempus cum præsidio quingentorum equitum venisset, nec ullo Gallorum ibi viso, regressus in castra esset, oratores iidem redeunt, excusantes, religione objecta [2] venire reges non posse: principes gentis, per quos æque res transigi posset, venturos. Consul se quoque Attalum missurum dixit. Ad hoc colloquium utrimque ventum est. Trecentos equites Attalus præsidii causa quum adduxisset, jactæ sunt pacis conditiones [3]. Finis rei quia absentibus ducibus imponi non poterat, convenit, uti consul regesque eo loco postero die congrederentur. Frustratio Gallorum eo spectabat, primum ut tererent tempus, donec res suas, quibus periclitari nolebant [4], cum conjugibus ac liberis trans Halyn flumen trajicerent; deinde quod ipsi consuli, parum cauto adversus colloquii fraudem, insidiabantur. Mille ad eam rem ex omni numero audaciæ expertæ delegerunt equites. Et successisset fraudi, ni pro jure

Cap. XXV. 1. *Ad Ancyram*, etc. conf. Polyb. XXII, 22. — Præpositio *ad*, quæ in quibusdam libris vett. omittitur, non sane superflua est, modo junxeris: *venerunt... in stativa ad* (prope) *Ancyram*. Ed.

2. *Religione objecta;* vide ad II, 5, n. 4, et V, 15, n. 6. Σκήψεις τινὰς λέγοντες Polyb.

3. *Jactæ sunt pacis conditiones.* Pro *jactæ*, *jactatæ* legendum putat Gron. cui favet Crev. Quum vero passim *voces*, *verba*, *sermones* dicantur *jaci* pro, edi, proferri, quid obstat quominus nunc quoque *pacis conditiones jacere* dixerit Livius, pro, edere, in medium proferre? Ed. — Vide ad II, 12, n. 7.

4. *Quibus periclitari nolebant*, cum quibus periculum adire nol. Ern. Cf. ad XL, 15, n. 8. — *Deinde quod ipsi consuli... insidiabantur:* τὸ *quod* non est Livii, qui persæpe causam sine causali particula explicat; Gron. quem

Digitized by Google

gentium, cujus violandi consilium initum erat, stetisset fortuna[5]. Pabulatores lignatoresque romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt; tutius id futurum tribunis ratis, quia consulis præsidium et ipsum pro statione habituri erant, hosti oppositum : suam tamen alteram stationem propius castra sexcentorum equitum posuerunt. Consul, affirmante Attalo, venturos reges et transigi rem posse, profectus e castris, quum eodem, quo antea, præsidio equitum quinque millia fere processisset, nec multum a constituto loco abesset, repente concitatis equis cum impetu hostili videt Gallos venientes. Constituit agmen[6], et, expedire tela animosque equitibus jussis, primo constanter initium pugnæ accepit, nec cessit. Dein, quum prægravaret multitudo, cedere sensim, nihil confusis turmarum ordinibus, cœpit. Postremo, quum jam plus in mora periculi, quam in ordinibus conservandis præsidii esset, omnes passim in fugam effusi sunt. Tum vero instare dissipatis Galli, et cædere; magnaque pars oppressa foret, ni statio pabulatorum, sexcenti equites, occurrissent. Ii, procul clamore pavido suorum exaudito, quum tela equosque expedissent, integri profligatam pugnam acceperunt[7]. Itaque versa extemplo fortuna est, ver-

vide ad I, 40. Abesse quidem, sed et retineri posse, monent Duk. et Drak. coll. XXXIV, 39 pr. Mihi vero latinitas postulare videtur : *Frustratio Gallorum eo spectabat, primum ut tererent tempus... deinde ut ipsi consuli... insidiarentur.*

5. *Et successisset fraudi, ni pro jure gentium... stetisset fortuna;* vide ad VIII, 25, n. 6, et VIII, 34, n. 1. — *Consulis præsidium*, D equites.

6. *Constituit agmen;* vid. XXVII, 16, n. 4.—*Expedire tela animosque*, ad pugnam magno animo incundam se accingere, ut XXX, 32, n. 1. — *Initium pugnæ accepit*, ut mox n. 7. Conf. ad I, 60, n. 1. *Excepit* malebat Periz. et *eques jussis* Gronov. at Drak. *equitibus* dictum putabat pro *cum equitibus.* — *Prægravaret multitudo;* vide ad XXXV, 42, n. 3.

7. *Integri profligatam pugnam acceperunt;* vide ad I, 60, n. 1; III, 50, n. 5, et IV, 43, n. 4. — *Per fi-*

Digitized by Google

sus in victores a victis terror, et primo impetu fusi Galli sunt; et ex agris concurrebant pabulatores, et undique obvius hostis Gallis erat, ut ne fugam quidem facilem aut tutam haberent, quia recentibus equis Romani fessos sequebantur. Pauci ergo effugerunt: captus est nemo; major multo pars per fidem violati colloquii pœnas morte luerunt. Romani, ardentibus ira animis, postero die omnibus copiis ad hostem perveniunt.

XXVI. Biduum natura montis[1] per se ipsum exploranda, ne quid ignoti esset, absumpsit consul: tertio die, quum auspicio operam dedisset, deinde immolasset, in quatuor partes divisas copias educit; duas ut medio monte duceret, duas ab lateribus ut adversus cornua Gallorum erigeret. Hostium quod roboris erat, Tectosagi et Trocmi mediam tenebant aciem, millia hominum quinquaginta. Equitatum (quia equorum nullus inter inæquales rupes usus erat) ad pedes deductum[2], decem millia hominum, ab dextro locaverunt cornu. Ariarathis[3] Cappadoces et Morzi auxiliares in lævo quatuor ferme millium numerum explebant. Consul, sicut in Olympo monte, prima in acie locata levi armatura, telorum omnis ge-

dem violati colloquii pro *violatam;* Ern. Conf. ad I, 1, n. 6. *Perfide violati c.* Voss. et Lov. 3, prob. Perizon. Sed eodem sensu dici I, 9, et XLII, 47 pr. *per fas ac fidem decepti*, V, 29; *fide publica decipi*, et apud Terent. Phorm. III, 1, n. 5, *propter tuam fidem decepta*, monet Duk. Cf. Davis. ad Cæs. Bell. Gall. I, 46, et Cort. ad Sall. fragm. hist. I, p. 950.

Cap. XXVI. 1. *Natura montis*, Magaborum (conf. cap. 19 pr.), *exploranda;* alii *naturam explorando* et *ad naturam explorandam.* Conf. ad I, 53, n. 3. — *Duas ut medio monte duceret*, in mediam montis partem: nam expeditius erat iter unum medio monte, duo difficilia ab lateribus ejus. Conf. cap. 20 med.

2. *Ad pedes deductum equitatum;* vide ad III, 62, n. 9.

3. *Ariarathis Cappadoces* (forte *Cappadocis*, h. e. regis Cappadociæ) *et Morzi*, regis Paphlagoniæ (Μορζίου apud Polyb. XXVI, 6, § 9, et Μορζέους apud Strab. XII, p. 562, cujus regia fuit Gangra; vid. Strab. et Wessel. ad Hierocl. pag. 695) *auxiliares*,

Digitized by Google

neris ut æque magna vis ad manum esset, curavit. Ubi appropinquarunt, omnia eadem utrimque, quæ fuerant in priore prælio, erant præter animos, et victoribus ab re secunda auctos[4], et hostibus fractos; quia, etsi non ipsi victi erant, suæ gentis hominum cladem pro sua ducebant: itaque a paribus initiis cœpta res eumdem exitum habuit. Velut nubes levium telorum[5] conjecta obruit aciem Gallorum; nec aut procurrere quisquam ab ordinibus suis, ne nudarent undique corpus ad ictus, audebant; et stantes, quo densiores erant, hoc plura, velut[6] destinatum petentibus, vulnera accipiebant. Consul, jam per se turbatis si legionum signa ostendisset, versuros extemplo in fugam omnes ratus, receptis inter ordines velitibus et alia turba auxiliorum, aciem promovit.

XXVII. Galli, et memoria Tolistoboiorum cladis territi, et inhærentia corporibus gerentes tela, fessique et stando et vulneribus, ne primum quidem impetum et clamorem Romanorum tulerunt. Fuga ad castra inclinavit; sed pauci intra munimenta sese recepere: pars major, dextra lævaque prælati[1], qua quemque impetus tulit, fugerunt. Victores, usque ad

auxilia ab eo adducta. Cf. XXXVII, 39, n. 4.

4. *Ab re secunda auctos;* vide ad I, 1, n. 5.

5. *Velut nubes levium telorum;* vide ad XXXV, 49, n. 2.

6. *Velut destinatum*, h. e. scopum *petentibus*, ut *destinata ferire* apud Curt. VII, 5, 41, et Aur. Vict. Epit. de Cæs. cap. 47, ad quæ loca conf. intpp. Hinc forsan inf. cap. 29, *quem locum destinassent oris* pro, designassent seu fecissent scopum, quem ferirent; nisi exponere malis: destinassent, scil. vulnerare. Sed manca h. l. videtur oratio. Forte leg. *telis ut destinatum petentibus*, aut *velut destinatum Rom.* (Romanis) *petentibus:* nisi *ab* ante *destinatum* inserendum esse recte suspicatus est Gronov. qui etiam monuit jam, frigere explicationem Schelii ad Polyb. cap. 14, *ut destinatum* erat *petentibus*. — *Versuros in fugam*, sc. se; vide ad II, 3, n. 2. — *Alia turba;* vide ad IV, 10, n. 2, ubi pro *reliquus* sæpe usurpari τὸ *alius* comprobatur. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Dextra lævaque prælati*, prætergressi castra; vide ad II, 14, n. 3.

Digitized by Google

castra sequuti, ceciderunt terga : deinde in castris cupiditate prædæ hæserunt, nec sequebatur[2] quisquam. In cornibus Galli diutius steterunt, quia serius ad eos perventum est : cæterum ne primum quidem conjectum telorum tulerunt. Consul, qui ingressos in castra ab direptione abstrahere non poterat, eos, qui in cornibus fuerant, protenus ad sequendos hostes misit. Per aliquantum spatium sequuti, non plus tamen octo millia hominum in fuga (nam pugna nulla fuit) ceciderunt : reliqui flumen Halyn trajecerunt. Romanorum magna pars ea nocte in hostium castris mansit; cæteros in sua castra consul reduxit. Postero die captivos prædamque recensuit; quæ tanta fuit, quantam avidissima rapiendi gens, quum cis montem Taurum omnia armis per multos tenuisset annos, coacervare potuit. Galli, ex dissipata passim fuga in unum locum congregati, magna pars saucii[3], aut inermes, nudati omnibus rebus, oratores de pace ad consulem miserunt. Eos Manlius Ephesum venire jussit. Ipse (jam enim medium autumni erat), locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans, victorem exercitum in hiberna maritimæ oræ reduxit.

XXVIII. Dum hæc in Asia geruntur, in cæteris provinciis tranquillæ res fuerunt. Censores Romæ T. Quintius Flamininus et M. Claudius Marcellus senatum perlegerunt : princeps in senatu[1] tertium lectus P. Scipio Africanus : quatuor soli præteriti sunt, nemo curuli usus honore. Et in equitatu recensendo mitis

2. *Nec sequebatur quisquam* ultra hostes.

3. *Magna pars saucii;* vide ad I, 41, n. 1.

Cap. XXVIII. 1. *Senatum perlegerunt. Princeps in senatu* seu senatus *tertium lectus*, etc. vide ad XXVII, 11, n. 8 et 10. Conf. etiam Drak. et Doer. ad h. l. Ed.—*Quatuor soli præteriti sunt;* vid. XXVII, 11, n. 11. — *In equitatu recensendo*, in recensione seu recensu equitum, de quo vide ad IX, 46, n. 20, et ad Tacit. Ann. II, 83, n. 10.

Digitized by Google

admodum censura fuit. Substructionem[2] super Æquimælium in Capitolio, et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt. Campani, ubi censerentur, senatum consuluerunt: decretum, uti Romæ censerentur. Aquæ ingentes eo anno[3] fuerunt: Tiberis duodecies campum Martium planaque urbis inundavit. Ab Cn. Manlio consule bello in Asia cum Gallis perfecto, alter consul M. Fulvius, perdomitis Ætolis, quum trajecisset in Cephalleniam, circa civitates insulæ misit percunctatum, utrum se dedere Romanis, an belli fortunam experiri, mallent? Metus ad omnes valuit, ne deditionem recusarent: obsides inde imperatos pro viribus inopis populi, vicenos Nesiotæ, Cranii[4], Palenses et Samæi dederunt. Insperata pax Cephalleniæ adfulserat; quum repente una

2. *Substructionem* (vide ad VI, 4, n. 7) *super Æquimælium*, Æquimælio, *in Capitolio*, h. e. sub Capitolio, ut gr. ἐν de loco vicino (vid. Periz. ad Ælian. V. H. II, 25), nisi cum Ryck. de Capit. cap. 25, leg. *et in Capitolio;* Duk. Conf. ad IV, 16, n. 1. — *Viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt;* vide ad I, 33, n. 6, et conf. VII, 23, X, 23 et 47. — Hic locus absolvit a suspicione mendi loc. libri X, cap. 47, quem ad n. 5, forte corruptum diximus. Ed. — *Campani ubi censerentur;* ex quo Capua a Romanis capta erat, nullum in ea urbe corpus fuit civitatis, nullum senatus nec plebis concilium, ut monet Livius, XXVI, cap. 16. Hinc oritur difficultas illa, ubinam censerentur Campani. Ed.

3. *Aquæ ingentes eo anno fuerunt,* ut XXIV, 9. — *Misit percunctatum;* vide ad VIII, 19, n. 10.

4. *Nesiotæ, Cranii* (*Cranonii* et *Granonii* edd. vett.), *Palenses* (aliis *Pallenses*) *et Samæi* quatuor populi et civitates *Cephalleniæ,* maximæ Græcorum in Ionio mari insulæ, inter Ithacam et Zacynthum sitæ, hodie *Cefalonia* seu *Cefalogna.* Ea dicta credebatur a Cephalo (vid. Pausan. I, 38, unde et *Cephalenia* a quibusdam scribitur, sed *Cephallenia* in optimis græcorum romanorumque scriptorum exemplaribus), et ab hujus filiis IV oppida ejus. Τετράπολις ἡ Κεφαλληνία ἀπὸ τῶν Κεφάλου παίδων, Προνήσου (forte Πρόνου), Σάμου, Πηλέως, Κρανίου· τὸ ἐθνικὸν Κραναεῖς. Steph. Byz. Κεῖται δὲ ἡ Κεφαλληνία κατὰ Ἀκαρνανίαν καὶ Λευκάδα, τετράπολις οὖσα, Παλλῆς (al. Παλλεῖς et Παλεῖς, at Παλαιεῖς apud Polyb. V, 3, § 5, 16, 17, 10, ut Παλοῦς opp. V, 5, § 10; al. *Palle* et Πάλη apud Schol. Thucyd. I, 27), Κράναοι, Σαμαῖοι (quorum opp. Σάμη, *Same*), Πρόναιοι (al. Πρόνναιοι et Πρώναιοι) Thucyd. II, 30. Cf. ibi Intpp., Etymol. M. voc. Κεφαλληνία, Tzetz. ad Ly-

Digitized by Google

civitas, incertum quam ob causam, Samæi desciverunt[5]. Quia opportuno loco urbs posita esset, timuisse se aiebant, ne demigrare cogerentur ab Romanis. Cæterum ipsine sibi eum finxerint metum, et timore vano quietem exsuerint[6], an jactata sermonibus res apud Romanos perlata ad eos sit, nihil comperti est; nisi quod, datis jam obsidibus, repente portas clauserunt, et ne suorum quidem precibus (miserat enim sub muros consul ad tentandam[7] misericordiam parentum populariumque) desistere ab incepto voluerunt. Oppugnari deinde, postquam nihil pacati respondebatur, cœpta urbs est. Apparatum omnem tormentorum machinarumque transvectum ab Ambraciæ oppugnatione habebat; et opera, quæ facienda erant, impigre milites perfecerunt. Duobus igitur locis admoti arietes quatiebant muros.

XXIX. Nec ab Samæis quidquam, quo aut opera, aut hostis arceri posset, prætermissum est. Duabus tamen maxime resistebant rebus: una, interiorem semper juxta validum[1] pro diruto novum obstruentes

cophr. Cassandr. 791; Strab. X, p. 455 sq. al. 700; Hard. ad Plin. IV, 12 seu 19; Eustath. ad Homerum, Iliad. II, p. 232, ed. Bas. et ad Dionys. Perieg. 531. Livio *Nesiotæ* dicuntur, qui Thucyd. Πρόναιοι, horumque oppid. οἱ Πρόννοι Polyb. V, 3, § 3. Πρόνησος Strab. et Steph. Prius nomen est commune insulanorum; alterum significare videtur oppidum adjacentis insulæ parvæ seu peninsulæ. Sed forte cum Drak. leg. *Pronæi*, *Cranii*, *Palæenses et Samæi*. Pro *Nesiotæ* in omnibus MSS et edd. ante Frob. a. 1535 *autem*. — *Insperata pax;* legendum *jam sperata* Doering. censet, quod, quum Cephalleniæ civitates neque deditionem, neque imperatos obsides recusassent, recte pacem sperare poterant. Addit τῷ *jam* respondere bene particulam sequentem, *quum*. Ed.

5. *Una civitas,... Samæi, desciverunt... opportuno loco urbs posita*, Same; vid. I, 41, n. 1, et III, 47, n. 1.

6. *Quietem exsuerint;* vide ad Tac. Ann. XIV, 52, n. 6. — *Jactata sermonibus res;* vide ad II, 12, n. 7, et III, 10, n. 2.

7. *Miserat enim sub muros consul ad tentandam*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10, et IX, 35, n. 1. Mox *habebat*, sc. consul.

Cap. XXIX. 1. *Juxta validum*, h. e. æque validum. « Sed quis ferat,

Digitized by Google

murum; altera, eruptionibus subitis, nunc in opera hostium, nunc in stationes: et plerumque iis præliis superiores erant. Una ad coercendos inventa haud magna memoratu res est. Centum funditores ab Ægio et Patris et Dymis acciti. A pueris ii, more quodam gentis, saxis globosis, quibus ferme arenæ immixtis strata litora sunt, funda mare apertum[2] incessentes, exercebantur. Itaque longius certiusque et validiore ictu, quam Baliaris funditor, eo telo usi sunt: et est non simplicis habenæ[3], ut Baliarica aliarumque gentium funda, sed triplex scutale, crebris suturis duratum, ne fluxa habena volutetur in jactu glans; sed, librata quum sederit, velut nervo missa excutiatur. Coronas modici circuli magno ex intervallo loci adsueti trajicere, non capita solum hostium vulnera-

inquit Doering. *interiorem... juxta validum... novum... murum?* Mihi quidem vox *novum* ex interpretatione margini adscripta et inde in textum importata esse videtur.» Monet cæterum Drak. libros omnes exhibere *juxta vallum.* Ed.

2. *Funda mare apertum incessentes,* saxa super et in illud jacientes. — *Eo telo;* vide ad III, 50, n. 1.

3. *Et est non simplicis habenæ,* lori, funda, non ex simplici habena constat, *ut Baliarica... funda, sed triplex scutale,* media ejus pars, cui globus trajiciendus imponitur, ex triplici loco coriaceo seu tela funiculove constabat ad scuti formam, i. e. orbicularem et in longum protensam; Donat. Lipsius, Poliorc. IV, 3, monet, fundam hoc loco Achaicam describi (Ἀχαϊκὸν σέλος τῶν ἐξ Ἀχαΐας σφενδονητῶν, πάντων ἐπιτηδειότατον πρὸς πολιορκίαν, Suid.), eamque *non fuisse simplicis habenæ,* non ex uno simplicique fune, amento aut colo (κῶλα τὰ τῆς σφενδόνης ἑκάτερα μέρη, Suid.), sed *triplici scutali,* habena, sive distincte triplici, sive junctim et conserte ad robur. Nota Dukeri est: «*Scutale* omnino est habena fundæ, id est, lorum seu funis. Nam quum Livius primum dicat, fundas has *non simplicis habenæ* esse, verbis his, quæ statim addit, *sed triplex scutale,* declarare videtur, quod dixerat, eos *non simplicis habenæ* esse, i. e. non unum modo funem, ut alias, sed tres, sive singulos separatos ac distinctos, sive inter se consertos ac triplicatos habere. Hoc significare voluisse Livium, etiam ex eo quodam modo colligitur, quod funda tali *velut nervo missam sagittam* excuti dicit: nam vix intelligi potest comparatio *scutalis triplicis* fundæ cum *nervo arcus,* si aliud est *habena,* aliud *scutale fundæ.* Salmas. ad Spartiani Pescenn. Nigr. 10, *scutale* vult esse sinum fundæ, in quo lapides collocabantur; sed hæc interpretatio non explicat, quid sit *habena*

Digitized by Google

bant, sed quem locum destinassent oris[4]. Eæ fundæ Samæos cohibuerunt, ne tam crebro, neve tam audacter erumperent; adeo ut precarentur ex muris Achæos, ut parumper abscederent, et se, cum romanis stationibus pugnantes, quiete spectarent. Quatuor menses obsidionem Same sustinuit. Quum ex paucis qnotidie aliqui eorum caderent[5], aut vulnerarentur, et, qui superarent, fessi et corporibus et animis essent; Romani nocte per arcem, quam Cyatidem vocant (nam urbs, in mare devexa, in occidentem vergit), muro superato, in forum pervenerunt. Samæi, postquam captam urbis partem ab hostibus senserunt, cum conjugibus ac liberis in majorem refugerunt arcem. Inde postero die dediti, direpta urbe, sub corona omnes venierunt[6].

XXX. Consul, compositis rebus Cephalleniæ, præsidio Samæ imposito, in Peloponnesum, jam diu arcessentibus Ægiensibus maxime ac Lacedæmoniis, trajecit. Ægium, a principio Achaici concilii, semper conventus gentis indicti[1] sunt: seu dignitati urbis id, seu loci opportunitati datum est. Hunc morem Philopœmen eo primum anno labefactare conatus, legem parabat ferre, ut in omnibus civitatibus, quæ

non simplex fundæ, nec quomodo medium sive sinus imus fundæ *nervo* comparetur, cui parem firmitatem et σὐτονίαν, certe majorem, quam habena *simplex*, habet *triplex* et *crebris suturis durata* habena. » Conf. ad hæc et seqq. not. 4 ad VII, 23. — *Sed librata quum sederit*, sed quum glans immota manserit in fundo, dum habena rotata libratur. En. — *Coronas modici circuli* modica foramina rotunda; Drakenb.

4. *Quem locum destinassent oris*; vide ad cap. 26, n. 6. — *Ut precarentur ex muris Achæos*; vid. c. 14, n. 1.

5. *Aliqui eorum caderent*, Samæorum; redundare τὸ *eorum* Crev. ait; sed vide ad III, 47, n. 1. — *Qui superarent*, superessent; vide ad VIII, 10, n. 1; *supererant* cod. Mog. et al.

6. *Sub corona omnes venierunt*; vide ad II, 17, n. 3.

Cap. XXX. 1. *Ægium, a principio Achaici concilii, semper conventus gentis indicti*; vide ad IV, 25, n. 4, et XXXVII, 30, n. 8. De Achæo-

Digitized by Google

Achaici concilii essent, in vicem conventus agerentur: et sub adventum consulis, Damiurgis[2] civitatium, qui summus est magistratus, Ægium evocantibus, Philopœmen (prætor tum erat) Argos conventum edixit. Quo quum appareret omnes fere conventuros, consul quoque, quanquam Ægiensium favebat causæ, Argos venit. Ubi quum disceptatio fuisset, et rem inclinatam cerneret, incepto destitit. Lacedæmonii deinde eum in sua certamina averterunt. Sollicitam eam civitatem exsules maxime habebant[3], quorum magna pars in maritimis Laconicæ oræ castellis, quæ omnis adempta erat[4], habitabant. Id ægre patientes Lacedæmonii, ut aliqua liberum ad mare haberent aditum, si quando Romam aliove quo mitterent legatos, simulque ut emporium et receptaculum peregrinis mercibus ad necessarios usus esset, nocte adorti vicum maritimum, nomine Lan, improviso occupavere. Vicani, quique ibi exsules habitabant, primo inopinata re territi sunt; deinde, sub lucem congregati, levi certamine expulerunt Lacedæmonios. Terror tamen omnem maritimam oram pervasit: legatosque communiter et castella omnia vicique, et exsules, quibus ibi domicilia erant, ad Achæos miserunt.

XXXI. Philopœmen prætor[1], jam inde ab initio ex-

rum Lacedæmoniorumque certaminibus vide ad XXXVI, 35, n. 4.

2. *Damiurgis civitatium*, etc. vid. XXXII, 22, n. 2. — *Evocantibus* concilium, indicentibus conventum gentis. — *Philopœmen tum prætor;* vide ad XXXI, 25, n. 3. — *Rem inclinatam cerneret*, h. e. Ægienses rem suam non defendere posse intelligeret; *incepto destitit:* causam Ægiensium sustinere desiit. Ed.

3. *Sollicitam eam civitatem exsules maxime habebant, quorum*, etc. vide ad XXXVI, 35, n. 4.

4. *Quæ omnis adempta erat* Nabidi a Quintio, et Achæis tradita. Forte leg. *quæ omnia a. erant;* Drak. vide ad XXXVI, 35, n. 4. — *Ut aliqua* parte aut via; vide ad III, 70, n. 2. — *Vicum maritimum Lan;* v. Pausan. III, 24; Strab. VIII, 364; Ptol. III, 16; Meurs. Misc. Lacon. IV, 7.

Cap. XXXI. 1. *Philopœmen prætor;* vide ad XXXI, 25, n. 3. — *Que-*

Digitized by Google

sulum causæ et amicus, et auctor semper Achæis minuendi opes et auctoritatem Lacedæmoniorum, concilium querentibus dedit; decretumque, eo referente, factum est, *Quum in fidem Achæorum*[2] *tutelamque T. Quintius et Romani Laconicæ oræ castella et vicos tradidissent, et, quum abstinere his ex fœdere Lacedæmonii deberent, Las vicus oppugnatus esset, cædesque ibi facta; qui ejus rei auctores affinesque*[3] *essent, nisi dederentur Achæis, violatum videri fœdus.* Ad exposcendos eos legati extemplo Lacedæmonem missi sunt. Id imperium adeo superbum et indignum Lacedæmoniis visum est, ut, si antiqua civitatis fortuna esset, haud dubie arma extemplo capturi fuerint. Maxime autem consternavit eos metus, si semel primis imperiis obediendo jugum accepissent, ne, id quod jam diu moliretur, Philopœmen exsulibus Lacedæmonem traderet. Furentes igitur ira, triginta hominibus ex factione, cum qua consiliorum aliqua societas Philopœmeni atque exsulibus erat, interfectis, decreverunt, renuntiandam societatem Achæis[4], legatosque extemplo Cephalleniam mittendos, qui consuli M. Fulvio quique Romanis Lacedæmonem dederent, orarentque eum, ut veniret in Peloponnesum ad urbem Lacedæmonem in fidem ditionemque populi romani accipiendam.

XXXII. Id ubi legati ad Achæos retulerunt, omnium civitatium, quæ ejus concilii erant, consensu bellum Lacedæmoniis indictum est. Ne extemplo ge-

rentibus, legatis nempe, de Lacedæmoniorum violentia et fraude, qui nocte vicum maritimum Lan ex improviso occupaverant. Ed.

2. *Quum in fidem Achæorum;* vide ad XXXVI, 35, n. 4. — *T. Quintius et Romani;* vide ad III, 25, n. 4.

3. *Rei auctores affinesque*, participes, socii, ut XXXIX, 14, et XLIII, n. 16.

4. *Renuntiandam societatem A.;* vide ad XXV, 18, n. 5.

Digitized by Google

reretur, hiems impediit. Incursionibus tamen parvis, latrocinii magis quam belli modo, non terra tantum, sed etiam navibus a mari fines eorum vastati[1]. Hic tumultus consulem in Peloponnesum adduxit; jussuque ejus Elin concilio indicto, Lacedæmonii ad disceptandum acciti. Magna ibi non disceptatio modo, sed etiam altercatio fuit: cui consul, quum alia, satis ambitiose partem utramque fovendo, incerta respondisset, una denuntiatione, ut bello abstinerent, donec Romam legatos ad senatum misissent, finem imposuit. Utrimque legatio missa Romam est. Exsules quoque Lacedæmoniorum suam causam legationemque Achæis injunxerunt. Diophanes et Lycortas, Megalopolitani[2] ambo, principes legationis Achæorum fuerunt. Qui, dissidentes in republica, tum quoque minime inter se convenientes orationes habuerunt. Diophanes senatui disceptationem omnium rerum permittebat: eos optime controversias inter Achæos ac Lacedæmonios finituros esse. Lycortas ex præceptis Philopœmenis postulabat, ut Achæis ex fœdere ac legibus suis, quæ decressent, agere liceret; libertatemque sibi illibatam, cujus ipsi auctores essent, præstarent. Magnæ auctoritatis apud Romanos tum gens Achæorum erat: novari tamen nihil de Lacedæmoniis placebat. Cæterum responsum ita perplexum fuit, ut et Achæi sibi de Lacedæmone permissum[3] acciperent; et Lacedæmonii non omnia concessa iis interpreta-

Cap. XXXII. 1. *A mari fines vastati;* vide ad VIII, 17, n. 5.—*Satis ambitiose,* etc. demerendæ utriusque gratia præter decorum; Ern.

2. *Diophanes et Lycortas Megalopolitani:* de illo vide ad XXXVI, 31, n. 3. *Lycortas* fuit pater Polybii historici, prætor Achæorum post Aratum et Philopœmenem nobilissimus, et huic proximus virtute. Cf. XXXIX, 35, 36; Polyb. II, 40, XXIII, 1, 9 sq. XXIV, 9, 12, XXV, 1, 7, XXVI, 1, XXVIII, 3, 6, XXIX, 8, 10; Pausan. VII, 9; Plut. Philop. p. 368; Justin. XXXII, 1.

3. *Sibi de Lacedæmone permissum;*

Digitized by Google

rentur. Hac potestate immodice Achæi ac superbe usi sunt.

XXXIII. Philopœmeni continuatur[1] magistratus; qui veris initio, exercitu indicto, castra in finibus Lacedæmoniorum posuit: legatos deinde misit ad deposcendos auctores defectionis, et civitatem in pace futuram, si id fecissent, pollicens, et illos nihil indicta causa passuros. Silentium præ metu cæterorum fuit. Quos nominatim depoposcerat, ipsi se ituros professi sunt; fide accepta ab legatis, vim abfuturam[2], donec causam dixissent. Ierunt alii etiam illustres viri, et advocati privatis[3], et quia pertinere causam eorum ad rempublicam censebant. Nunquam alias exsules Lacedæmoniorum Achæi secum adduxerant in fines, quia nihil æque alienaturum animos civitatis videbatur: tunc exercitus totius prope antesignani exsules erant. Ii venientibus Lacedæmoniis ad portam castrorum agmine facto occurrerunt, et primo lacessere jurgiis; deinde altercatione orta, quum accenderentur iræ, ferocissimi exsulum impetum in Lacedæmonios fecerunt. Quum illi deos[4] et fidem legatorum testarentur, et legati et prætor submoveret turbas, et pro-

vide ad IX, 43, n. 4. — *Hac potestate*, quam in illo parum definito Romanorum responso sibi dicebant permissam esse. Ed.

Cap. XXXIII. 1. *Philopœmeni continuatur magistratus*; vide ad XXXI, 25, n. 3. — *Exercitu indicto, c. in fin. Laced.* vide ad IV, 25, n. 4. — *Si id fecissent*; pro *fecissent* in quibusdam libris veteribus legitur *fecisset*, nempe civitas. Cæterum Clariss. Frid. Büttn. notat, Obss. Liv. pag. 91, parum accurate hic scripsisse Livium, quandoquidem verba *si id fecissent* interpretanda sunt *si eos*, auctores defectionis, *tradidissent*, non, ut grammaticorum præcepta flagitant, si eos *depoposcissent*. Ed.

2. *Fide accepta... vim abfuturam*; vide ad XXIII, 19, n. 10.

3. *Et advocati privatis*; vide ad XXVI, 48, n. 4. — *Nunquam alias exsules Lacedæm.*, etc. vid. XXXVI, 35, n. 4.

4. *Quum illi deos*, perjurii vindices, *et fidem legatorum* Philopœmenis *testarentur, et legati* Philopœmenis prætoris *et prætor* ipse *submoveret*, etc. sed e Lov. 2 leg. *submoverent... protegerent... arcerent.* In cæteris

Digitized by Google

tegeret Lacedæmonios, vinculaque jam quosdam injicientes arceret, crescebat tumultu concitato[5] turba. Et Achæi ad spectaculum primo concurrebant: deinde vociferantibus exsulibus, quæ passi forent, et orantibus opem, affirmantibusque simul, *Nunquam talem occasionem habituros, si eam prætermisissent: fœdus, quod in Capitolio, quod Olympiæ, quod in arce Athenis sacratum fuisset, irritum per illos esse: prius quam alio de integro fœdere obligarentur, noxios puniendos esse;* accensa his vocibus multitudo ad vocem unius, qui, ut ferirent, inclamavit, saxa conjecit: atque ita septemdecim, quibus vincula per tumultum injecta erant, interfecti sunt: sexaginta tres[6] postero die comprehensi, a quibus prætor vim arcuerat, non quia salvos vellet, sed quia perire causa indicta nolebat, objecti multitudini iratæ, quum aversis auribus pauca loquuti essent, damnati omnes, et traditi sunt ad supplicium.

XXXIV. Hoc metu injecto, Lacedæmoniis imperatum primum, ut muros diruerent[1]: deinde, ut omnes externi auxiliares, qui mercede apud tyrannos militassent, terra Laconica excederent: tum, uti, quæ

MSS fere omnibus *submovere* et *protegere*.

5. *Crescebat tumultu concitato turba;* quidam MSS non minus apte *concitata* et *concito;* Gronov. autem malebat *concita.* — *Nunquam talem occasionem*, etc. vide ad XXV, 38, n. 8. — *Fœdus, quod in Capitolio*, etc. de hac re nihil superioribus libris a Livio dici memini; Duk. De Ætolis tantum XXVI, 24, simile quid narratur; Drak.

6. *Atque ita septemdecim*... et *sexaginta tres*, etc. conf. XXXIX, 36 sq., Polyb. apud Plut. Philop. p. 365, et Pausan. VIII, 51. Idem Pausanias tradit, *CCC* quoque Spartanos, defectionis auctores, a Philopœmene pulsos Peloponneso (quo forte referenda verba illa, inf. XXXIX, 48, num. 3 notata), et Aristocrates apud Plut. l. l., *CCCL* Spartiatas ab eodem interfectos fuisse. — *Aversis auribus* multitudinis iratæ. Conf. ad XXIV, 26, n. 6.

Cap. XXXIV. 1. *Ut muros diruerent;* vide ad XXXIV, 38, n. 1. — *Uti, quæ servitia* (forte *quos servitio*) *tyranni liberassent*, etc. conf. Plut. Philop. p. 365; Polyb. XXIII, 12,

Digitized by Google

servitia tyranni liberassent (ea magna multitudo erat) ante diem certam abirent; qui ibi mansissent, eos prehendendi, vendendi, abducendi Achæis jus esset: Lycurgi leges moresque abrogarent: Achæorum assuescerent legibus institutisque: ita unius eos corporis fore[2], et de omnibus rebus facilius consensuros. Nihil obedientius fecerunt, quam ut muros diruerent; nec ægrius passi sunt, quam exsules reduci[3]. Decretum Tegeæ[4] in concilio communi Achæorum de restituendis iis factum est: et, mentione illata, externos auxiliares dimissos, et Lacedæmoniis adscriptos (ita enim vocabat, qui a tyrannis liberati erant) urbe excessisse, in agros dilapsos; prius quam dimitteretur exercitus, ire prætorem cum expeditis, et comprehendere id genus hominum[5], et vendere jure prædæ placuit. Multi comprehensi venierunt: porticus ex ea pecunia[6] Megalopoli permissu Achæorum refecta est, quam Lacedæ-

§ 2. Hi forte sunt, *quos Achæos damnaverant* XXXIX, 48, n. 3, novi Spartæ cives, a tyrannis olim liberati e servitute et civitate donati, sed a Philopœmene et Achæis ejecti ductique in Achaiam. De *tyrannis* autem Laced. conf. Meurs. Regn. Lacon. XX, et *Manso's* Sparta. — *Ante diem certam*, Romano loquendi more pro: die certa. Ed.

2. *Unius eos corporis fore;* vide ad I, 17, n. 2; III, 62, n. 5.

3. *Nec* quidquam, et nihil *ægrius passi sunt, quam exsules reduci:* quod non inter cætera, modo dicta, imperatum iis fuisse mireris, quum hæc omnis certaminis causa fuerit. Conf. cap. 30 et 31.

4. *Decretum Tegeæ* (an *Ægii?* cf. ad XXVII, 30, n. 8) *in concilio communi Achæorum de restituendis*, etc. vide ad XXXVI, 35, n. 4. *Consilio* edidit Drak. qui tamen cap. 30, 31, 32, 35, sexies vulg. *concilium* retinuit; vide ad I, 54, n. 1. — *Lacedæmoniis adscripti*, Plut. l. l. vocantur οἱ ὑπὸ τῶν τυράννων ἀποδεδειγμένοι πολῖται τῆς Σπάρτης.

5. *Comprehendere id genus hominum*, quorum tria millia fuisse tradit Plut. l. l. et ὅσον τρισχιλίους Pausan. VIII, 51.

6. *Porticus ex ea pecunia*, etc. conf. Plut. l. l. — *Quam Lacedæmonii diruerant;* suspicor fuisse στοὰν, Μυρόπωλον vocatam, quam Megalopolitani, fusis Spartanis et cæso eorum duce Acrotato Cleomenis filio, ex eorum spoliis ædificarant, et Lacedæmonii deinde, quum duce Cleomene Leonidæ filio Megalopolim oppressissent, tanquam nominis sui dedecus, destruxerant (vide Pausan. VIII, 27 et 30): quam nunc Philopœmen Me-

Digitized by Google

monii diruerant. Et ager Belbinates[7], quem injuria tyranni Lacedæmoniorum possederant, restitutus eidem civitati, ex decreto vetere Achæorum, quod factum erat, Philippo Amyntæ filio regnante[8]. Per hæc velut enervata civitas Lacedæmoniorum diu Achæis[9] obnoxia fuit: nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi, cui per septingentos annos assueverant, sublata[10].

XXXV. A concilio, ubi apud consulem inter Achæos Lacedæmoniosque disceptatum[1] est, M. Fulvius, quia jam in exitu annus erat, comitiorum causa profectus Romam, creavit consules M. Valerium Messallam et

galopolitanus ex eorum spoliis denuo civibus suis refecit; Drak. Conf. ad XXXII, 22, n. 5.

7. *Ager Belbinates* (al. *Belbinatis*, *Belbibatis*, *Belbinitis* et *Belbinites*) in Arcadia, quem Cleomenes *tyrannus Laced.* Arcadibus eripuerat (vide ad XXXII, 22, n. 5, et Pausan. VIII, 35), *restitutus eidem civitati* Megalopolitanorum, quibus jam antea agrum sæpius controversum restituerat Antigonus Doson una cum castellis, a Cleomene ibi exstructis; vid. Polyb. II, 54, n. 3, ubi ἡ Βελμινᾶτις χώρα dicitur, ut Βελεμίνα Pausan. III, 21; VIII, 27 (ubi Βλένινα corrupte legitur, si eadem est) et 35. Βλέμμινα Ptol. III, 16, at Βέλβινα πόλις Λακωνικὴ, τὸ ἐθνικὸν Βελβινίτης, ὡς Αἰγινίτης (forte Βελβινήτης, ὡς Αἰγινήτης, Drak.) Steph. (ex Pausan.) Plut. Cleom. cap. 4, t. I, pag. 806, et Hesych. Literas β et μ sæpius permutatas, aut Belbinæ insulæ nomen per errorem forte in hoc opp. Laconicæ translatum fuisse, monet Schweigh. ad Polyb. l. l. Conf. Drak. ad h. l. Meurs. Misc. Lacon. IV, 4; Sylburg. ad Pausan. p. 263, ed. Kuhn.; Berkel. ad Steph. et Cellar. Geogr. ant. II, 13, pag. 775.

8. *Philippo Amyntæ f. regnante*, qui Megalopolitanis, Messeniis, Tegeatis et Argivis restituit oppida, a Spartanis capta; vid. Polyb. II, 48; IX, 28, 33; XVII, 14.

9. *Achæis obnoxia;* vide ad III, 39, n. 1.

10. *Disciplina Lycurgi sublata, cui per DCC annos assueverant:* recte, si Lycurgus circa a. 880, a. Ch. n. leges tulit, quæ vulgaris opinio est. *DCCC annos* edd. ante Sigon. (quod non firmari loco inf. XXXIX, 37, n. 2, ubi de muris sermo, non de legibus, jam monuit Drak.) *D annos* apud Plut. Lycurg. pag. 58; *DCC* apud Cic. pro Flacco, 26, ubi tamen de suis temporibus loquitur. Conf. Meurs. Misc. Lacon. II, 5; *Voy. du jeune Anach.* t. V, cap. 43 sq. *de la Barre* in *Mém. de l'Acad. des Inscrip.* t. VII, p. 262 seq. *Manso's* Sparta. Leges Lycurgi postea restitutæ sunt a Romanis; vid. Meurs. l. l. et Plut. Philop. p. 365.

Cap. XXXV. 1. *Apud consulem inter Achæos Lac. disceptatum est;* alii *ad consulem* (eodem sensu, ut pas-

Digitized by Google

C. Livium Salinatorem, quum M. Æmilium Lepidum inimicum, eo quoque anno petentem, dejecisset[2]. Prætores inde creati Q. Marcius Philippus, M. Claudius Marcellus, C. Stertinius, C. Atinius, P. Claudius Pulcher, L. Manlius Acidinus. Comitiis perfectis, consulem M. Fulvium in provinciam ad exercitum redire placuit; eique et collegæ Cn. Manlio imperium in annum prorogatum est. Eo anno in ædem Herculis signum dei ipsius ex decemvirorum responso, et sejuges in Capitolio aurati a P. Cornelio positi[3]. Consulem dedisse, inscriptum est. Et duodecim clypea[4] aurata ab ædilibus curulibus, P. Claudio Pulchro et Ser. Sulpicio Galba, sunt posita ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam damnarunt. Et ædilis plebis Q. Fulvius Flaccus duo signa aurata, uno reo damnato (nam separatim accusaverant), posuit[5]. Collega

sim), et vett. edd. *a consule* prob. Gron. Conf. ad I, 50, n. 5. — *Disceptatum est*, h. e. litigatum et certatum est: si vero legeris *a consule, disceptatum est* pro, *judicatum est* positum fuerit. *Disceptare* sæpe de eo dicitur, qui judicio suo causam aliquam dirimit. Vid. Drak. ad h. l. et Ern. Clav. Cic. sub voce *disceptare, disceptatio*. Ed.

2. *Creavit consules M. Fulvius,... quum Lepidum... petentem dejecisset;* vide ad III, 35, n. 10, et VII, 16, n. 6.

3. *In ædem Herculis... positi*, forsan *in æde*, ut XXX, 39, XXXI, 50, XXXV, 10, et mox *in Capitolio;* Duk. — Nisi verbum aliquod, cui respondebant voces *in ædem*, librariorum culpa exciderit (verbi causa *deportatum, delatum*, vel simile), certe Noster, ut observat Doer. aliud quam primum in animo habuerat, deinde subjunxit, sc. *positi*. Ed. — *Sejuges* equi *in Capitolio aurati a P.* (al. *Cn.*) *Cornelio* Scipione (Nasica, ut videtur, qui triennio ante fuerat consul et de Boiis triumphaverat; de quo vide XXXV, 24, XXXVI, 1 sq. et 37 sq.) *positi: consulem dedisse inscriptum est;* vid. XXVIII, 39, n. 1.

4. *Clypea aurata;* vide ad XXV, 39, n. 7. *Ærata* edd. ante Drak. At *signa ærata* ab ædilibus aliisve posita nusquam in Livio legi monet Duk. sed semper *ænea, aurata* et *inaurata*, ut XXVII, 6; XXXI, 50; XXXIII, 27; XXXV, 41; XXXVII, 3 et al. — *Qua frumentarios* (vide ad IV, 12, n. 8) *ob annonam compressam damnarunt*, ut apud Cic. ad Att. V, 21. *Comprimere frumentum* est occultare, celare; vel retinere, non vendere, ob nimis vile ejus pretium Conf. ad XXXV, 10, n. 5.

5. *Duo signa aurata, uno reo damnato (nam separatim accusaverant*

Digitized by Google

ejus A. Cæcilius neminem condemnavit. Ludi Romani ter, plebeii quinquies toti instaurati. M. Valerius Messalla inde et C. Livius Salinator consulatum idibus Martiis quum inissent, de republica, deque provinciis et exercitibus senatum consuluerunt[6]. De Ætolia et Asia nihil mutatum est. Consulibus, alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est: comparare inter se, aut sortiri jussi, et novos exercitus, binas legiones, scribere, et ut sociis latini nominis quina dena millia peditum imperarent et mille et ducentos equites[7]. Messallæ Ligures, Salinatori obtigit Gallia. Prætores inde sortiti sunt. M. Claudio urbana, P. Claudio peregrina jurisdictio evenit. Q. Marcius Siciliam, C. Stertinius Sardiniam, L. Manlius Hispaniam citeriorem, C. Atinius ulteriorem est sortitus.

XXXVI. De exercitibus ita placuit: e Gallia legiones, quæ sub C. Lælio fuerant, ad M. Tuccium proprætorem in Bruttios traduci; et, qui in Sicilia esset, dimitti exercitum; et classem, quæ ibi esset, Romam reducere M. Sempronium proprætorem. Hispaniis le-

tribuni pl.), *posuit* in Capitolio ex mulcta: *collega ejus neminem condemnavit;* vid. VII, 16, n. 6, et XXXV, 10, n. 5. Nota Dukeri est: « Livius plerisque locis ita de accusationibus ædilium loquitur, ut appareat, ædiles, tam curules, quam plebis, accusationes communiter instituere solitos; vide ad XXV, 2; XXVII, 6; XXX, 39; XXXIII, 25, 42; XXXV, 10, 41. Et sic h. l. de ædilibus curulibus scribit. Exempla accusationis ab uno tantum intentatæ non plura fortassis sunt, quam h. l., III, 31, et X, 31; unde videri potest illud hic, tanquam extraordinarium aliquid, adnotavisse. Quum autem dicit, Q. Cæcilium *neminem condemnasse*, non significat, neminem ab eo accusatum, sed eos, qui accusati erant, absolutos fuisse: nam utrumque accusasse, argumento est, quod dicit separatim *accusaverant*, non Q. Fulvius separatim *accusaverat* ».

6. *De republica, deque provinciis et exercitibus senatum consuluerunt;* vide ad IX, 8, n. 1. — *Comparare inter se aut sortiri;* vid. III, 2, n. 1.

7. *Ut sociis latini nominis quina dena millia peditum imperarent et mille et ducentos equites*, forte et *millenos et ducenos equites*, ne numerus cardinalis et distributivus jungatur; Drak. Conf. ad XXII, 36, n. 4.

Digitized by Google

giones singulæ, quæ tum in iis provinciis erant, decretæ, et ut terna millia peditum, ducenos equites ambo prætores in supplementum sociis imperarent, secumque transportarent. Prius quam in provincias novi magistratus proficiscerentur, supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata[1] fuit in omnibus compitis, quod luce inter horam tertiam ferme et quartam tenebræ obortæ fuerant: et novemdiale sacrificium[2] indictum est, quod in Aventino lapidibus pluisset. Campani, quum eos ex senatusconsulto, quod factum erat priore anno, censores Romæ censeri coegissent (nam antea incertum fuerat, ubi censerentur), petierunt, ut sibi cives romanas ducere uxores liceret[3]; et, si qui prius duxissent, ut habere eas, et ante eam diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent: utraque res impetrata. De Formianis Fundanisque municipibus et Arpinatibus C. Valerius Tappus[4] tribunus plebis promulgavit, uti iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, quum intercederent,

Cap. XXXVI. 1. *Supplicatio in triduum pro collegio decemvirorum imperata;* vide ad II, 7, n. 4; III, 10, n. 6; III, 63, n. 2. — *Quod luce,* interdiu (ut VIII, 38; XXV, 35; XXXII, 29, ubi vid. Gronov.), *tenebræ obortæ fuerant,* eclipsis solis. Conf. Oudend. ad Obseq. de prod. 56, et Dodwell. in Append. Præl. Camden. pag. 757.

2. *Novemdiale sacrificium,* etc. vide ad I, 31, n. 3.

3. *Campani petierunt, ut sibi cives romanas ducere uxores liceret,* etc. vide ad VIII, 14, n. 9. «Jus connubii ac potestatem cives rom. ducendi filiasque suas civibus rom. elocandi Campanos jam diu ante nactos fuisse, constat ex XXIII, 2, et XXXI, 31. Verum hoc privilegium per defectionem ad Hannibalem amiserunt; vide ad XXVI, 34. Id igitur nunc receperunt.» Drak. Conf. Sigon. de Ant. Jur. civ. rom. I, 9. — *Ut habere eas* sibi liceret, nisi leg. *haberent,* h. e. retinerent.

4. *C. Valerius Tappus* (vide ad XXXV, 10, n. 5) *promulgavit,* scil. rogationem seu legem, h. e. scriptam publice proposuit ante comitia. — *Suffragii latio* præcipua pars *civitatis,* h. e. juris civitatis. — *Nam ante*

Digitized by Google

edocti, populi esse, non senatus jus, suffragium quibus velit, impartiri, destiterunt incepto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani et Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent: atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt. M. Claudius Marcellus censor, sorte superato T. Quintio, lustrum condidit [5]. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta octo millia trecenta decem et octo [6]. Lustro perfecto, consules in provincias profecti sunt.

XXXVII. Hieme ea, qua hæc Romæ gesta sunt, ad Cn. Manlium, consulem primum, deinde pro consule [1], hibernantem in Asia, legationes undique ex omnibus civitatibus gentibusque, quæ cis Taurum montem incolunt, conveniebant; et ut clarior nobiliorque victoria Romanis de rege Antiocho fuit, quam de Gallis, ita lætior sociis erat de Gallis, quam de Antiocho. Tolerabilior regia servitus fuerat, quam feritas immanium Barbarorum, incertusque in dies terror, quo velut tempestas eos populantes inferret. Itaque, ut quibus libertas, Antiocho pulso, pax, Gallis domitis, data esset, non gratulatum modo venerant, sed coronas etiam aureas, pro suis quæque facultati-

sine suffragio h. c.; vide ad VIII, 14, et X, 1. — *Populi esse, non senatus jus, suffragium* (ejus lationem seu jus), *quibus velit, impartiri*; nam civitas sine suffragio dabatur ex auctoritate senatus et plebiscito, cum suffragio a solo populo sine SCto dari poterat; Duk. Conf. VIII, 14, XLV, 15; Sigon. de Ant. Jur. Ital. II, 6, et Gruch. de Com. rom. II, 3. — *Ferrent*, sc. suffragia. — *Ex Valerio* (non vero *Valerii*, quod dat Mead. 2. Ed.) *plebiscito*, quod factum erat auctore et rogante C. Valerio Tappo. Sic *Atinium plebiscitum* apud Gell. XIV, 8; *rogatio Petillia* et *Marcia*, XXXVIII, 55; XLII, 21.

5. *Marcellus censor, sorte superato T. Quintio, lustrum condidit*, quod tamen et ab utrisque censoribus, olim certe, factum. Conf. X, 9 extr. et al.

6. *Censa sunt civium cap. CCLVIII millia trecenta decem et octo*; vide ad XXXIX, 7, n. 1. Alii *trecenta octo*, et in Epit. hujus libri *trecenta viginti octo*.

Cap. XXXVII. 1. *Pro consule* (vid. X, 29, n. 2), *hibernantem in Asia*, Ephesi. Conf. ad hæc et sqq. Polyb. XXII, 24.

Digitized by Google

bus, attulerant. Et ab Antiocho legati, et ab ipsis Gallis, ut pacis leges dicerentur, et ab Ariarathe rege Cappadocum venerunt, ad veniam petendam, luendamque pecunia noxam, quod auxiliis Antiochum juvisset. Huic sexcenta talenta[2] argenti sunt imperata: Gallis responsum, quum Eumenes rex venisset, tum daturum iis leges: civitatium legationes cum benignis responsis, lætiores etiam quam venerant, dimissæ. Antiochi legati pecuniam in Pamphyliam frumentumque ex pacto cum L. Scipione fœdere jussi advehere; eo se cum exercitu venturum. Principio deinde veris, lustrato exercitu, profectus, die octavo Apameam venit[3]. Ibi triduum stativis habitis, tertiis rursus ab Apamea castris in Pamphyliam, quo pecuniam frumentumque regios convehere jusserat, pervenit. Mille et quingenta talenta argenti accepta Apameam deportantur: frumentum exercitui dividitur. Inde ad Pergam ducit[4]; quæ una in iis locis regio tenebatur præsidio. Appropinquanti præfectus præsidii obvius fuit, triginta dierum tempus petens, ut regem Antiochum de urbe tradenda consuleret. Dato tempore, ad eam diem præsidio decessum est. A Perga, L. Manlio fratre cum quatuor millibus militum Oroanda, ad reli-

2. *Huic DC talenta* recte cod. Mogunt., ut apud Polyb. Al. *Ei CC t.*, ut apud Appian. Syr. 42. Cf. Schweigh. ad Polyb. t. V, pag. 42, et Drak. ad h. l. qui Appianum cum Livio in concordiam redigendi rationem proponit. — Legit Crev. *ducenta talenta*, quæ ait marcis argenti 18,750 repræsentari. Ed. — *Tum daturum iis leges;* exhibent *legem* libri fere omnes, testibus Gebh. et Drak. Mog. vero cod. dat *leges*, et similiter Polyb. l. cit. συνθήκας dixit plurali numero. Ed.

3. *Apameam venit* Phrygiæ opp. vide ad cap. 13, n. 5. — *Mille et quingenta talenta*, cum Ruben. leg. *duo millia et q. t.* ex XXXVII, 45, et Polyb. — *Talenta* 2,500 sunt, ex auctoritate Crev. marcæ argenti Paris. 234,375. Ed.

4. *Inde ad Pergam ducit;* vide ad I, 23, n. 4; VIII, 1, n. 1, et conf. ad hæc et sqq. Polyb. XXII, 25. — Scripserant *Pergamum* librarii quidam, ignari, ut credibile est, urbem esse Pamphyliæ celebrem, *Pergam* nomine. Ed. — *Triginta dierum tempus*, *XXXIX* Polyb. nisi λ leg. pro λθ.

Digitized by Google

quum[5] pecuniæ ex eo, quod pepigerant, exigendum, misso, ipse, quia Eumenem regem et decem legatos ab Roma Ephesum venisse audierat, jussis sequi Antiochi legatis, Apameam exercitum reduxit.

XXXVIII. Ibi ex decem legatorum sententia fœdus in hæc verba fere cum Antiocho conscriptum[1] est. « Amicitia regi Antiocho cum populo romano his legi-« bus et conditionibus esto. Ne quem exercitum, qui « cum populo romano sociisve bellum gesturus erit, « rex per fines regni sui eorumve, qui sub ditione « ejus erunt, transire sinito; neu commeatu, neu qua « alia ope juvato. Idem Romani sociique Antiocho et « iis, qui sub imperio ejus erunt, præstent[2]. Belli ge-« rendi jus Antiocho ne esto cum iis, qui insulas co-« lunt, neve in Europam transeundi. Excedito urbi-« bus, agris, vicis, castellis cis Taurum montem usque « ad Halyn amnem, et a valle Tauri usque ad juga, « qua in Lycaoniam vergit. Ne qua arma efferto[3] ex « iis oppidis, agris castellisque, quibus excedat. Si « qua extulit, quæ quoque oportebit, recte restituito. « Ne militem, neu quem alium ex regno Eumenis re-« cipito. Si qui earum urbium cives, quæ regno abs-

5. *Oroanda, ad reliquum*, etc. vide ad cap. 18, n. 1.

Cap. XXXVIII. 1. *Ex decem legatorum sententia fœdus in hæc verba fere cum Antiocho conscriptum*, etc. conf. XXXVII, 45, 55; Polyb. XXI, 14, XXII, 7, impr. XXII, 26, et Appian. Syr. 38, 39. Mox *sociisque* et *eorumque* ex Polyb. legendum videtur; Drakenb.

2. *Et iis, qui sub imperio ejus erunt, præstent*, potius *præstanto*, ut et mox *ante diem certam redeunto*, Mur. Mox suadentibus viris doctis *Halyn amnem* pro vulg. *Tanaim a.* reposui. Confer Strab. VI, 287; *ad Accaym* Voss. *ad Canym* in Lov. 1. *Achanim* Lov. 6.

3. *Ne qua arma efferto*, etc. μὴ ἐξαγέτω μηδὲν, πλὴν τῶν ὅπλων, ὧν φέρουσιν οἱ στρατιῶται Polyb. unde Periz. conj. *ne qua præter arma e.* et Drak. *ne qua præter militum arma e.* — *Quæ quoque*, et quo sc. loco, *oportebit, recte restituito*, sine dolo; Drak. Conf. ad XXXIV, 35, n. 2. Sed forte cum Periz. leg. *quo quæque oportebit... earum urbium, quæ regno* Antiochi *abscedunt*, avelluntur, regi auferuntur a Romanis.

Digitized by Google

« cedunt, cum rege Antiocho intraque fines ejus re-
« gni sunt, Apameam omnes ante diem certam redeant.
« Qui ex regno Antiochi apud Romanos[4] sociosque
« sunt, iis jus abeundi manendique esto. Servos seu
« fugitivos, seu bello captos, seu qui liber captus
« aut transfuga erit, reddito Romanis sociisque. Ele-
« phantos tradito omnes, neque alios parato. Tradito
« et naves longas armamentaque earum[5]: neve plures,
« quam decem naves actuarias, nulla quarum plus
« quam triginta remis agatur, habeto; neve monerem
« ex belli causa, quod ipse illaturus erit. Neve navi-

4. *Qui ex regno Antiochi apud Romanos*, etc. de h. l. agunt Herald. Emend. cap. 37, et Salmas. ad Jus Att. et Rom. c. 37, an postliminium fuerit iis, qui armis victi hostibus se dediderant, disputantes; Duker. — *Elephantos tradito omnes*, τοὺς ἐλέφαντας τοὺς ἐν Ἀπαμείᾳ πάντας Polyb. Verba ejus aperte mendosa: nam Apamea hoc tempore erat in ditione Romanorum; Drak. Forte Apameam Syriæ intelligendam esse, monet Schweigh. Sed suspicor potius, legendum esse ἐν Ἀραμαίᾳ, in Syria. Σύρους οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν, Strab. XVI, 785.

5. *Tradito et naves longas armamentaque earum* (vide ad IX, 40, n. 12, et XXI, 17, n. 5); *neve plures, quam decem naves actuarias, nulla quarum plus quam XXX remis agatur, habeto; neve monerem ex belli causa, quod ipse illaturus erit:* ita Mogunt. In cæteris fere MSS et edd. antt. (*nulla plus quam... agatur*), et *minorem ea belli causa*, etc. sed *monerem* exhibet etiam Lov. 4; Polyb. XXII, 26, καὶ μηκέτι ἐχέτω πλὴν ἱ καταφράκτων, μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον, μηδὲ πολέμου ἕνεκεν οὗ αὐτὸς κατάρχει. Appian. Syr. 39, ναῦς δὲ καταφράκτους ἔχειν δυώδεκα μόνας (sic ille, non δέκα), αἷς ἐς τοὺς ὑπηκόους πολέμου κατάρχειν· πολεμούμενον δὲ καὶ πλείοσι χρῆσθαι. Hinc varia tentarunt viri docti. Ursinus: *quam X naves actuarias* (h. e. quæ remis *agerentur*), *nulla quarum XXX remis agatur, habeto, neve eas belli causa*, etc. J. Fr. Gron. *neve plures quam decem* (longas) *naves, actuariam nullam, quæ XXX remis agatur* (ita enim Livius vertit Polyb. τριακοντάκωπον ἐλαυνόμενον *habeto, neve monerem* (ne unam quidem navem XXX remorum) *ex belli causa, q. i. i. e.*, h. e. si bellum ipse inferat; quo satis significatur concessam, si lacessatur, non lacessat (conf. Appian. l. l. et verba hujus cap. extrema: *Si qui... ultro bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi jus esto*); Jac. Gron. *neve plures, quam decem* (sc. *habeto*, e seqq.); *naves actuarias* (τριακοντάκωποι Polyb. ut *naves longæ* Liv. κάτάφρακτοι), *nulla... neve monerem*, h. e. longam navem, ne concessas quidem decem istas longas, sc. *habeto* et usurpato, si lacessat ipse, aut potius: ad bellum in-

Digitized by Google

« gato citra Calycadnum[6], neve Sarpedonium, pro-
« montoria; extra quam[7], si qua navis pecuniam, sti-
« pendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites
« mercede conducendi ex iis gentibus, quæ sub di-
« tione populi romani sunt, Antiocho regi jus ne esto:
« ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum so-
« ciorumve quæ ædes ædificiaque[8] intra fines regni
« Antiochi sunt, quo jure ante bellum fuerunt, eo
« Rhodiorum sociorumve sunto. Si quæ pecuniæ de-
« bentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est,
« id conquirendi, cognoscendi, repetendique jus item

ferendum ne habeto non modo navem XXX remorum, sed ne ullam quidem *monerem*, unius remorum ordinis, vel potius unius remi, ut διήρης, τριήρης, *biremis*, *triremis*, etiam navis duorum triumque remorum. Reiske ad Polyb. *neve plures quam decem habeto: naves actuarias nullas plus quam XXX remis agat, neve minorem ex belli*, etc. Prætermitto emendationes minus probabiles Schefferi de Mil. Nav. II, 2, et Meibom. de Fabric. trirem. pag. 614, 617, 618, t. XII Thes. Antiq. Rom. Duker. et Schweigh. ingenue profitentur, sibi nondum ita de omnibus liquere, ut Polybii et Livii verba plane intelligant.—Quum non nisi maxima difficultate cum Polybio Livius possit conciliari, de loci Polybiani integritate dubitat Creverius, cui Doeringius adstipulatur. Ed.

6. *Citra Calycadnum* (mendose *Calycandrum* vett. edd.) *et Sarpedonium promontoria*: ita et Appian. Syr. 39. Polybius non nisi τοῦ Καλυκάδνου ἀκρωτηρίου mentionem facit. *Calycadnus*, non promontorium, sed fluvius Ciliciæ asperæ seu Isauriæ, quam mediam interscindit, et *Sarpedon*, Σαρπηδὼν, *promont.* et opp. ejusdem regionis, finis olim regni Sarpedonis, memorantur Strab. XIV, pag. 670; Plin. V, 27 seu 22; Ammiano, XIV, 7; Melæ, I, 13; Scylaci, pag. 38; Steph., Ptol. Conf. et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, pag. 786, et in Orbe rom. II, 16, pag. 433, et *Mém. de l'Acad. des Inscr.* t. XXI, pag. 436 sq. Sed Calycadnum etiam promont. fuisse, ex Livio, Polyb. et Appiano intelligitur. *Sarpedonium* ex MSS, edd. vett. et Appiano revocavi pro *Sarpedonem*, quod vulgarius nomen substitutum est ab editoribus recentt. nec nisi in cod. Lov. 2 reperitur.

7. *Extra quam si* (vide ad XXII, 3, n. 8) *qua navis*, etc. h. e. *aliqua navis*, nisi potius leg. *quo*. — *Ne voluntarios quidem r.*, forte *ne fugitivos q. r.*, μηδ' ὑποδεχέσθω τοὺς φεύγοντας, Polyb.

8. *Ædes ædificiaque*, synonyma (cf. ad XXIV, 27, n. 3), quæ et Polyb. una voce οἰκία complectitur. Ea tamen etiam distincta, et omnes *ædes ædificia*, sed non omnia *ædificia ædes* esse, docent Cujac. in Postumis ad lib. III, D. de Servitut. lib. XXI; Paulli ad Edict. et Noodt. Obss. I,

Digitized by Google

« esto. Si quas urbes, quas tradi oportet, ii tenent, « quibus Antiochus dedit, et ex iis præsidia deducito, « utique recte tradantur, curato[9]. Argenti probi duo- « decim millia Attica talenta[10] dato intra duodecim « annos pensionibus æquis (talentum ne minus pondo « octoginta romanis ponderibus pendat), et tritici « quingenta quadraginta millia modium. Eumeni regi « talenta trecenta quinquaginta[11] intra quinquen- « nium dato; et pro frumento, quod æstimatione fiat, « talenta centum viginti septem. Obsides Romanis vi- « ginti dato, et triennio mutato; ne minores octonum « denum annorum, neu majores quinum quadrage-

10, et de usufr. I, 10, 12. — *Conquirendi, cognoscendi, repetendi;* vid. III, 10, n. 1, brevius Polyb. ἀναζητηθὲν ἀποδοθήτω. *Conquiruntur,* quæ latent et occultantur; *noscuntur* et *cognoscuntur,* quæ in propatulo sunt, quæque domini sua esse probant; Duker. Conf. ad lib. III, 10, n. 1; Gron. ad XXV, 7 et 12; Cujac. Obss. XXIII, 19.

9. *Utique recte tradantur, curato:* verba forte mendosa: ἐὰν δέ τινες ὕστερον ἀποτρέχειν (abire ex iis urbibus, vel ad eum confugere) βούλωνται, μὴ προσδεχέσθω, Polyb.

10. *Argenti probi duodecim millia Attica talenta,* immo *Atticûm talentûm,* nisi ex Polyb. leg. *argenti probi Attici duodecim millia talentum;* vid. Gronov. de Pec. vet. III, 3 et 4, et sup. ad XXXVII, 45, n. 6, ubi tamen *Euboica talenta* Antiocho imperata dicuntur. Forte dicendum, convenisse quidem inter Antiochum et Scipionem, ut solverentur talenta Euboica, sed Romanos, forsan ignorantes, quanti ponderis illa forent, ideo definivisse, *ne talenta* promissa *minus pondo octoginta romanis ponderibus penderent;* Drak. qui et Ursini aliorumque conjecturas memoravit. Cf. Crev. qui fusius de h. l. disputat. — *Et tritici quingenta quadraginta millia modium,* h. e. secundum Crev. modios nostrates 416,250. Ed.

11. *Eumeni regi talenta CCCL;* vide ad XXXVII, 45, n. 6. Apud Polyb. *CCCLIX.* Sed lectio est dubia; vid. ibi Schweigh. et Duk. ad h. l. Liv. — Si hæc sunt talenta Attica, ut solet intelligi, quando talentum absolute ponitur, fiunt ex Crever. marcæ argenti 32,812, cum unciis 4. Ed. — *Pro frumento* (de quo vid. XXXVII, 45), *quod æstimatione fiat,* forte leg. *quæ æstimatio ejus fuit,* vel cum Drakenb. *quod æstimatum fuit:* καθὼς ἐτίμησεν ὁ βασιλεὺς Ἀντίοχος, Polyb. Eumenes antea ipsum dari frumentum sibi debitum voluerat; nunc contentus est numerata pecunia et pretio frumenti, quod Antiochus constituerat. — *Talenta CXXVII* et 1,208 drachmas, τάλαντα ρκζ' καὶ δραχμὰς χιλίας σ' ὀκτώ Polyb. — *Obsides XX dato et triennio mutato,* nam id quoque moris fuit Romanis; vid. Schweigh. ad Appian. Hisp. 41.

Digitized by Google

« num. Si qui sociorum populi romani ultro bellum « inferent Antiocho, vim vi arcendi jus esto; dum ne « quam urbem aut belli jure teneat[12], aut in amici- « tiam accipiat. Controversias inter se jure ac judicio « disceptanto, aut, si utrisque placebit, bello ». De Hannibale Pœno, et Ætolo Thoante, et[13] Mnasilocho Acarnane, et Chalcidensibus Eubulida et Philone, dedendis in hoc quoque fœdere adscriptum est; et ut, si quid postea addi, demi, mutarive placuisset, ut id salvo fœdere fieret.

XXXIX. Consul juravit in hoc fœdus[1] : ab rege qui exigerent jusjurandum, profecti Q. Minucius Thermus et L. Manlius, qui tum forte ab Oroandis rediit. Et Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat, scripsit, ut Patara extemplo proficisceretur, quæque ibi naves regiæ

12. *Belli jure teneat*, si armis eam ceperit.

13. *Ætolo Thoante et Mnasilocho;* vide ad XXXVII, 45, n. 8. — *Et Philone*, et præterea τῶν Αἰτωλῶν ὅσοι κοινὰς εἰλήφασιν ἀρχάς, *dedendis*, ἐὰν ᾖ δυνατὸν αὐτῷ, Polyb. — *Et ut... ut id;* vide ad XXII, 11, n. 2. — De hoc fœdere Antiochum dixisse ferunt, se maximas Romanis gratias agere, quod se ipsum exemissent tot curis et laboribus, quos, in administrando latiori imperio, subire necesse fuisset. Ed.

Cap. XXXIX. 1. *Consul juravit in hoc fœdus*, propr. proconsul; vid. c. 37, et ad XXVIII, 39, n. 1. Cur vero consul jurat, nec potius feciales, sine quibus non fieri poterat fœdus? vid. IX, 5. « Quidam respondent, quod quis per alium facit, id eum per se facere censeri; alii, Manlium ipsum quoque fortassis fecialem fuisse; alii denique, præter feciales etiam imperatorem ipsum *suo jussu et imperandi potestate* fœdera confirmasse. Verum Manlius cum X legatis tum fœdus cum Antiocho non fecit: nam id jam ante, postquam populus romanus pacem cum Antiocho jusserat, Romæ in Capitolio cum Antipatro legato regis ictum fuisse, auctor est Livius, XXXVII, 55, ad quod feriendum ibi haud dubie adhibiti fuerunt feciales. — Quod ergo Manlius in hoc fœdus juravit, id eum jussu senatus vel populi rom. fecisse, et ita inter Romanos et Antiochi legatos, quum fœdus Romæ fieret, convenisse arbitror, ut Manlius nomine populi romani, Antiochus suo in id juraret. » Duker. — *Qui tum forte ab Oroandis rediit*, Κόϊντον Μινούκιον Θέρμον καὶ Λεύκιον τὸν ἀδελφὸν, ἄρτι κεκομικότας τὰ χρήματα παρὰ τῶν Ὀροανδέων, Polyb. Sed leg. κεκομικότα ex h. l. Livii coll. supra cap. 37 extr. — *Scripsit* consul, *ut*, etc. vide ad VIII, 19, n. 10.

Digitized by Google

essent, concideret cremaretque. Profectus ab Epheso, quinquaginta tectas naves[2] aut concidit, aut incendit. Telmissum eadem expeditione, territis subito adventu classis oppidanis, recepit. Ex Lycia protenus, jussis ab Epheso sequi, qui ibi relicti erant, per insulas in Græciam trajecit. Athenis paucos moratus dies, dum Piræeum ab Epheso naves venirent, totam inde classem in Italiam reduxit. Cn. Manlius quum inter cætera, quæ accipienda ab Antiocho erant, elephantos quoque accepisset, donoque Eumeni omnes dedisset; deinde causas civitatium[3], multis inter novas res turbatis, cognovit. Et Ariarathes rex, parte dimidia pecuniæ imperatæ, Eumenis beneficio, cui desponderat per eos dies filiam, remissa, in amicitiam est acceptus. Civitatium autem cognitis causis, decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. Quæ stipendiariæ regi Antiocho fuerant, et cum populo romano senserant, iis immunitatem dederunt: quæ partium Antiochi fuerant, aut stipendiariæ Attali regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni jusserunt. Nominatim præterea Colophoniis, qui in Notio[4] habitant, et Cymæis et Mylasenis immunitatem concesserunt. Clazomeniis, super

2. *Tectas naves;* vide ad XXII, 19, n. 4. — *Telmissum*, al. *Telmessum;* vide ad XXXVII, 16, n. 5.

3. *Deinde causas civitatium* Asiæ, *multis inter novas res* (vide ad I, 52, n. 1) *turbatis, cognovit* Apameæ cum *decem legatis* Roma missis; vide ad XXXVII, 55, et conf. ad hæc et seqq. Polyb. XXII, 27, et Appian. Syr. 44. — *Pecuniæ imperatæ;* vid. cap. 37. — *Eumenis beneficio, cui* Ariarathes, rex Cappadociæ, *desponderat filiam* Stratonicen. Conf. XLII, 16, 29; Strab. XIII, 624; Plut. de frat. am. pag. 489.—*Remissa*, germ. *erlassen;* vid. II, 35, n. 5, et intpp. Justini, I, 9, 12.

4. *Colophoniis, qui in Notio*, Notii (ut *in Lavinio* V, 52, n. 5, et *in Alexandria* XLII, 26, n. 4, ubi cf. Drak.) *habitant;* vide ad XXXVII, 26, n. 3. — *Mylasenis* ex emend. VV. DD. *Milesenis, Millesenis, Milesiis* (hod. *Messi.* Ed.), *Millephenis* MSS et edd. vett. Cariæ urbs et regia, Μύλασα dicitur Pausan. VIII, 10; Steph. et Plin. V, 29. Μύλασσα Strab. XIV, pag. 658 sq. 685; Ptol. V, 2; Dioni 48, unde Μυλασεῖς Polybio, XVI, 24, § 6, et in nummis apud

immunitatem, et Drymusam insulam[5] dono dederunt; et Milesiis, quem sacrum appellant, agrum restituerunt[6]; et Iliensibus Rhœteum et Gergithum[7] addiderunt, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria. Eadem et Dardanum liberandi causa fuit. Chios quoque et Smyrnæos et Erythræos pro singulari fide, quam eo bello præstiterunt, et agro donarunt, et in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus et ager, quem ante bellum habuerant, redditus; et, ut legibus antiquis uterentur, permissum. Rhodiis affirmata, quæ data priore decreto erant; Lycia et Caria datæ usque ad Mæandrum[8] amnem, præter Telmissum. Regi Eumeni Chersonesum in Eu-

Holsten. ad Steph., Harduin. in num. et Spanhem. de usu et pr. num. Diss. IX, p. 905. Μυλασσεῖς Polyb. XXII, 27, § 4; XXX, 5, § 11, 15. *Mylassenses* seu *Mylasenses* infra XLV, 25. Conf. Wessel. ad Hierocl. pag. 688; Intpp. Æliani V. H. I, 25; Manut. ad Cic. Phil. V, 7, et Drakenb. ad h. l. qui *Mylasenis* rectius quam *Mylassenis* scribi putabat.

5. *Drymusam* (forte *Drymussam*) *insulam* Ioniæ. *Dromisam*, *Dromissam*, et *Donissam* edd. vett. et MSS præter Mog. Δρόμουσσαν vel Δρομοῦσσαν, Δρυμοῦσσαν (ut apud Steph.) et Δρύμουσσαν MSS. Polyb. XXII, 27, § 5. Δρίμυσσαν Thucyd. VIII, 31, ubi conf. Intpp.

6. *Milesiis, quem sacrum appellant, agrum restituerunt*, forte Milesiorum agrum ad sinum Bargylieticum, in quo Neptuni templum fuit; vid. Polyb. XVI, 12, § 1.

7. *Iliensibus Rhœteum et Gergithum*: al. *Gergitum*. Græcis hoc opp. Troadis, prope fontes Caici situm, dicitur Γέργις, ἡ Γέργιθος et Γέργηθος, τὰ Γέργιθα, ἡ Γέργηθα et οἱ Γέργιθες· vid. Strab. XIII, p. 616; Herodot. V, 122, VII, 43; Xenoph. Hist. Gr. III, p. 482; Plut. Phoc. pag. 750; Plin. V, 30, et Steph.—*Non tam ob r. ulla merita, quam originum memoria*, ob eam. Nostrum sæpe orationem ita variare multis exemplis docet Drak. Cæterum vid. V, 19, n. 3, et XXXVII, 37, n. 1. — *Eadem et Dardanum l. c f.* opp. Troadis, a Dardano conditum, ut *Ilium* ab Ilo filio ejus, unde *Dardani* et *Dardanidæ*, Trojani; vid. Heyn. ad Hom. Il. XX, 215 sq. et ad Virg. Æn. III, 167 sq. VII, 207 sq. VIII, 134 sq. Hæc non ex Polybio, sed aliunde hausit Livius, ut beneficia Romanorum erga Ilienses et Dardanios, ultimos originis suæ auctores, jactaret; Drak.

8. *Lycia et Caria datæ usque ad Mæandrum* (quæ postrema verba ad solam Cariam spectant, non ad Lyciam, cujus nulla pars ultra Mæandrum fuit sita), *præter Telmissum*; vid. XXXVII, 56, n. 5, et Schweigh. ad Polyb. XXII, 27, n. 8.

Digitized by Google

ropa et Lysimachiam, castella, vicos, agros, quibus finibus tenuerat Antiochus, adjecerunt: in Asia Phrygiam utramque (alteram[9] ad Hellespontum, majorem alteram vocant), et Mysiam, quam Prusias rex ademerat[10], ei restituerunt, et Lycaoniam et Milyada et Lydiam, et nominatim urbes Tralles atque Ephesum et Telmissum. De Pamphylia disceptatum inter Eumenem et Antiochi legatos quum esset, quia pars ejus citra, pars ultra Taurum est, integra res ad senatum rejicitur.

XL. His fœderibus decretisque datis, Manlius, cum decem legatis omnique exercitu ad Hellespontum profectus, evocatis eo regulis Gallorum, leges, quibus pacem cum Eumene servarent, dixit; denuntiavitque, ut morem vagandi cum armis finirent, agrorumque suorum terminis se continerent. Contractis deinde ex omni ora navibus, et Eumenis etiam classe per Athenæum fratrem regis ab Elæa adducta, copias omnes in Europam trajecit. Inde, per Chersonesum modicis itineribus[1] grave præda omnis generis agmen trahens,

9. *Phrygiam utramque, alteram,* minorem, *ad Hellespontum* (adeoque Troadem) et circa Olympum montem (quæ pars quibusdam dicitur Phrygia Ἐπίκτητος seu adjecta), *majorem alteram*, regnum Midæ; vid. Strab. XIV, pag. 571, 576; Ptol. V, 2; Eustath. ad Dionys. Per. 810.

10. *Mysiam, quam Prusias rex ademerat*, Μυσοὺς, οὓς πρότερον αὐτὸς παρεσκευάσατο Polyb. XXII, 27, § 10; mendose. Conf. ibi Schweigh. et Drak. ad h. l. Liv. — *Milyas* regio quondam Phrygiæ majoris, et ab Alexandro M. adjecta Lyciæ; vid. Arrian. exped. Alex. pag. 69; Strab. XII, p. 570, 631; Herodot. I, 173; Plin. V, 27, 32, seu 25, 42; Polyb. V, 72, § 5. — *Tralles*; vid. XXVII, 56, n. 3. — *Quia pars ejus citra*, etc. paulo aliter Polyb. XXII, 27, § 11.

Cap. XL. 1. *Inde, per Chersonesum modicis itineribus*, etc. conf. ad hæc et sqq. Appian. Syr. 43, ubi jam monuit, Manlium imprudenter admodum tempore æstivo navibus redire Romam neglexisse, et longum, difficile angustumque iter per Thraciam ingressum esse fervida æstate, nulla gravitatis impedimentorum ratione habita, et ne exercitu quidem in partes diviso, ut expeditior esset, neque impedimentis per manipulos distributis, quo facilius custodirentur, nec præmonito Philippo, ut suas, quemadmo-

Digitized by Google

Lysimachiæ stativa habuit; ut quam maxime recentibus et integris jumentis Thraciam, per quam iter vulgo horrebant, ingrederetur. Quo profectus est ab Lysimachia die, ad amnem, Melana quem vocant, inde postero die Cypsela pervenit[2]. A Cypselis via decem millium fere silvestris, angusta, confragosa excipiebat: propter cujus difficultatem itineris in duas partes divisus exercitus; et præcedere una jussa, altera magno intervallo cogere agmen, media impedimenta interposuit: plaustra cum pecunia publica erant, pretiosaque alia præda. Itaque, quum per saltum iret[3], Thracum decem haud amplius millia ex quatuor populis, Astii, et Cæni, et Maduateni, et Coreli, ad ipsas angustias viam circumsederunt. Opinio erat, non sine Philippi regis Macedonum fraude id factum; eum scisse, non alia quam per Thraciam redituros Romanos, et quantam pecuniam secum portarent. In primo agmine imperator erat, sollicitus propter iniquitatem locorum. Thraces nihil se moverunt, donec armati transirent. Postquam primos superasse angustias viderunt, postremos nondum appropinquantes,

dum antea Scipionum, copias deduceret. Aliæ cladis Manlianæ causæ memorantur cap. 41 (ubi vid. n. 6), 46, XXXIX, 1 et 6.—*Ab Elæa adducta*, scil. ad Hellespontum, quo Manlius cum omni exercitu profectus erat; Drak.

2. *Cypsela pervenit*, opp. Thraciæ ad Hebrum fl. Κύψελος, Κύψελον, τὰ Κύψελα, et Κύψελλα.—*Plaustra cum pecunia publica erant;* plaustris imposita fuit pecunia publica (ad ærarium nempe referenda). Sic plaustra quibus vehitur aqua, infra, XLII, 57 fin. *plaustra cum aqua* dicuntur. Ed.

3. *Itaque, quum per saltum iret*, alii *Ita quum*, etc. non minus apte. *Itaque*, quoniam via adeo silvestris, angusta, difficilis et ponendis insidiis opportuna fuit: *ita*, ea ratione divisi, agmine composito, ordinato; Drak.—*Astii;* vide ad Tacit. Ann. III, 38, n. 7. — *Maduateni et Coreli* gentes nunc incognitæ. *Madyteni* a Madyto vel Madytis, Chersonesi Thrac. opp., conj. Doujat. et *Mædobithyni* (vid. Casaub. ad Strab. VII, 295) Ortel. in Thes. geogr. Sed vid. Drak. Hic pro *Coreli* conj. *Corpili* aut *Corpilli*, accolæ Hebri; vid. Hard. ad Plin. IV, 11, et Intpp. Steph. *Cœletæ* vel *Cœletæ* emend. Glar. Conf. ad Tac. l. l. —

Digitized by Google

impedimenta et sarcinas invadunt; cæsisque custodibus, partim ea, quæ in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus jumenta abstrahere. Unde postquam clamor primum ad eos, qui, jam ingressi saltum, sequebantur, deinde etiam ad primum agmen est perlatus, utrimque in medium concurritur, et inordinatum simul pluribus locis prælium conseritur. Thracas præda ipsa impeditos oneribus, et plerosque (ut ad rapiendum manus vacuas haberent) inermes ad cædem præbet; Romanos iniquitas locorum, Barbaris per calles notos occursantibus, et latentibus interdum per cavas valles, prodebat[4]. Ipsa etiam onera plaustraque, ut fors tulit, his aut illis incommode objecta, pugnantibus impedimento sunt: alibi prædo, alibi prædæ vindex cadit. Prout locus iniquus æquusve his aut illis, prout animus pugnantium est, prout numerus (alii enim pluribus quam ipsi erant, alii paucioribus occurrerant), varia pugnæ fortuna est. Multi utrimque cadunt. Jam nox appetebat, quum prælio excedunt Thraces, non fuga vulnerum aut mortis, sed quia satis prædæ habebant.

XLI. Romanorum primum agmen extra saltum circa templum Bendidium[1] castra loco aperto posuit; pars altera ad custodiam impedimentorum medio in saltu, duplici circumdata vallo, mansit. Postero die, prius explorato saltu quam moverent[2], primis se conjun-

Donec armati transirent, quandiu vel interim dum transeunt; Drak.—*Impedimenta et sarcinas invadunt*, ut mox *jumenta* et *custodes*. Sic et cap. 41, n. 2, *impedimenta* pro *jumentis sub oneribus*. Conf. Oudend. ad Front. II, 1, n. 11.

4. *Romanos iniquitas locorum... prodebat;* vide ad II, 43, n. 5. — *Jam nox appetebat;* vid. V, 19, n. 2.

Cap. XLI. 1. *Templum Bendidium*, Dianæ. Dea hæc Thracibus dicebatur Βένδις, et festa ejus Βενδίδεια· vid. Strab. X, pag. 471; Procl. lib. I, in Plat. Tim.; Meurs. Græc. feriat. l. XI, voc. Βενδίδεια · Hesych., Suid. Phavorin., Lucian. Jov. Trag. pag. 683, et in Icaromenip. pag. 737.

2. *Prius quam moverent;* vide ad II, 3, n. 2.—*Impedimentorum;* vide

Digitized by Google

gunt. In eo prælio, quum et impedimentorum pars et calonum, et milites aliquot, quum passim toto prope saltu pugnaretur, cecidissent, plurimum Q. Minucii Thermi morte damni est acceptum, fortis ac strenui viri. Eo die ad Hebrum flumen perventum est: inde Æniorum fines præter Apollinis, Zerynthium quem vocant incolæ [3], templum superant. Aliæ angustiæ circa Tempyra excipiunt (hoc loco nomen est), nec minus confragosæ, quam priores; sed, quia nihil silvestre circa est, ne latebras quidem ad insidiandum præbent. Huc ad eamdem spem prædæ Trausi (gens et ipsa Thracum) convenere: sed, quia nudæ valles, procul ut conspicerentur angustias obsidentes, efficiebant, minus terroris tumultusque fuit apud Romanos. Quippe etsi iniquo loco, prælio tamen justo, acie aperta [4], collatis signis dimicandum erat. Conferti subeuntes cum clamore, impetu facto, primum expulere loco hostes; deinde avertere: fuga inde cædesque, suis ipsos impedientibus angustiis, fieri cœpta est. Romani victores ad vicum Maronitarum (Saren

ad cap. 40, n. 3. — *Q. Minucii Thermi*, viri consularis, unius ex decem legatis in Asiam a senatu missis, de quo vid. supra ad cap. 39, princ. Ed.—*Hebrum*, Thraciæ amnem, hod. *Mariza*. Ed.

3. *Præter Apollinis templum, Zerynthium quem vocant incolæ*, Thraces, ut Venerem seu Hecaten *Zerynthiam* ab opp. et antro, ei sacro, in quo canes deæ immolabantur, quodque nonnulli, ut Schol. Aristoph. in Pac., tribuunt Samothracæ, sed plerique in ora Thraciæ prope Ænum quæsivere. Conf. Tzetz. et Potter. ad Lycoph. 77 et 449 (Ζήρυνθον ἄντρον τῆς κυνοσφάγου θεᾶς); Suid. voc. Ζηρυνθία· Intpp. Ovid. Trist. I, 10, 19 sq. et Steph. Forte leg. *quem vocant accolæ*, aut *Apollinis, Z. quem vocant, inclytum templum;* nisi e glossa irrepsit vox *incolæ*, quam nescit c. Lov. 2, et delendam putabat Drak. Sic *amnem, Melana quem vocant* cap. 40, ubi duo MSS addunt *accolæ*. — *Tempyra* sub Rhodope inter Nestum et Hebrum; vid. Burm. ad Ovid. l. l. et Wessel. ad Itin. Anton. pag. 322. — *Tempyra*, hodie *Impara*. Ed. — *Trausi*, al. *Thrausi:* sed Τραυσοὶ dicuntur Herodoto, V, 3, n. 4, et Steph. qui eos Ἀγαθύρσοις annumerat. *Thrasi* conj. Ortel. in Thes. geogr. quia Θράσον tractum memorat Procop. IV, de Ædif. Justin.

4. *Acie aperta;* vide ad X, 14,

Digitized by Google

appellant) posuerunt castra: postero die patenti itinere Priaticus campus eos excepit; triduumque ibi, frumentum accipientes, manserunt, partim ex agris Maronitarum, conferentibus ipsis, partim ex navibus suis, quæ cum omnis generis commeatu sequebantur. Ab stativis diei via Apolloniam fuit: hinc per Abderitarum agrum Neapolim[5] perventum est. Hoc omne per Græcorum colonias pacatum iter fuit: reliquum inde per medios Thracas, dies noctesque, etsi non infestum, suspectum tamen, donec in Macedoniam pervenerunt. Mitiores Thracas idem exercitus, quum a Scipione eadem via duceretur, habuerat, nullam ob aliam causam, quam[6] quod prædæ minus, quod peteretur, fuerat. Quanquam tum quoque Claudius auctor est, ad quindecim millia Thracum, præcedenti ad exploranda loca agmen Mutini Numidæ occurrisse; quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos: Mutinis filium per medios hostes cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse: eumdem mox, quum jam Mutines, in medio elephantis collocatis, in cornua equitibus dispositis, manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo præbuisse; atque inde turbatos equestri velut procella hostes ad peditum agmen non accessisse. Cn. Manlius per Ma-

n. 6. — *Saren appellant*, alii *Salen* et *Salentum*..... *Priaticus campus*, quidam MSS *Triaticus*, *Primaticus* et *Pariaticus*. Plinius, IV, 11 seu 18, meminit *Priantarum*, et Herodot. VII, 108, *Brianticæ regionis*; Glar.

5. *Per Abderitarum agrum Neapolim* opp. Thraciæ seu Macedoniæ adjectæ inter Strymonem et Nestum seu Nessum fl., haud procul Philippis; vid. Ptol. III, 13; Dio, XLVII; Plin. IV, 11 seu 18, ubi conf. Hard.—*Neapolim*, hod. vocant *Christopoli*. Ed. — *Apollonia* inter Strymonem et Nestum de quibus supra, et *Abdera* ultra Nestum ponitur a Mela, II, 2, et Plin. l. l. Sed Livius, describens iter Manlii, a Chersoneso Thracica in Macedoniam proficiscentis, Apolloniæ ante Abderam meminit; Drak.

6. *Mitiores Thracas idem exercitus... nullam ob aliam causam, quam*, etc. conf. ad cap. 40, n. 1. — *Non-*

Digitized by Google

cedoniam in Thessaliam exercitum traduxit: inde per Epirum Apolloniam quum pervenisset, nondum adeo hiberno contempto mari, ut trajicere auderet, Apolloniæ hibernavit.

XLII. Exitu prope anni M. Valerius consul, ex Liguribus ad magistratus subrogandos Romam venit, nulla memorabili in provincia re gesta, ut ea probabilis moræ causa esset, quod solito serius ad comitia venisset. Comitia consulibus rogandis fuerunt ante diem duodecimum Calendas Martias: creati M. Æmilius Lepidus, C. Flaminius. Postero die prætores facti Ap. Claudius Pulcher, Ser. Sulpicius Galba, Q. Terentius Culleo, L. Terentius Massiliota [1], Q. Fulvius Flaccus, M. Furius Crassipes. Comitiis perfectis, quas provincias prætoribus esse placeret, retulit ad senatum consul: decreverunt duas Romæ, juris dicundi causa; duas extra Italiam, Siciliam et Sardiniam; duas in Italia, Tarentum et Galliam. Et extemplo, prius quam inirent magistratum, sortiri jussi. Ser. Sulpicius urbanam, Q. Terentius peregrinam est sortitus; L. Terentius Siciliam, Q. Fulvius Sardiniam, Ap. Claudius Tarentum, M. Furius Galliam. Eo anno L. Minucius Myrtilus et L. Manlius, quod legatos Carthaginienses pulsasse dicebantur, jussu M. Claudii prætoris Urbis [2] per feciales traditi sunt legatis, et Carthaginem avecti. In Liguribus magni belli et gliscentis in dies magis fama erat: itaque consulibus novis, quo die de

dum adeo hiberno contempto mari, quum periculum tempore hiberno se mari committendi nondum ita temneret, ut auderet trajicere. Cf. illud Tibullianum notissimum, I, 3, v. 37, nostræ edit. pag. 37, *Nondum cæruleas pinus contempserat undas*. Ed.

Cap. XLII. 1. Pro *Massiliota* Crev. *Massa*; sed vide Drak. Ed. — *Ser. Sulpicius urbanam*; vid. II, 40, n. 9.

2. *Jussu M. Claudii p. U.* erravit Val. Max. VI, 6, 3, ubi vid. Perizon. — *Per feciales traditi sunt*, etc. vide ad IX, 9, n. 2.

Digitized by Google

provinciis et de republica[3] retulerunt, senatus utrisque Ligures provinciam decrevit. Huic senatusconsulto Lepidus consul intercedebat, *Indignum esse* prædicans, *consules ambos in valles Ligurum includi. M. Fulvium et Cn. Manlium biennium jam, alterum in Europa, alterum in Asia, velut pro Philippo atque Antiocho substitutos, regnare. Si exercitus in his terris esse placeat, consules iis potius, quam privatos, præesse oportere. Vagari eos cum belli terrore per nationes, quibus bellum indictum non sit, pacem pretio venditantes. Si eas provincias exercitibus obtinere opus esset, sicut M'. Acilio L. Scipio consul, L. Scipioni M. Fulvius et Cn. Manlius successissent consules; ita Fulvio Manlioque C. Livium et M. Valerium consules debuisse succedere. Nunc certe, perfecto Ætolico bello, recepta ab Antiocho Asia, devictis Gallis, aut consules ad exercitus consulares mitti, aut reportari legiones inde*[4] *reddique tandem reipublicæ debere.* Senatus, his auditis, in sententia perseveravit, ut consulibus ambobus Ligures provincia esset: Manlium Fulviumque decedere de provinciis, et exercitus inde deducere, ac redire Romam, placuit.

XLIII. Inimicitiæ inter M. Fulvium et M. Æmilium consulem erant: et super cætera Æmilius, serius biennio se consulem[1] factum M. Fulvii opera ducebat. Itaque ad invidiam ei faciendam legatos Ambracienses in senatum, subornatos criminibus[2], introduxit. Qui

3. *De provinciis et de republ. r.*; vide ad XXI, 6, n. 4.

4. *Reportari legiones inde*, etc. vide ad cap. 50, n. 2.

Cap. XLIII. 1. *Serius biennio se consulem*, etc. vide ad XXXVII, 47. — *Fulvii opera*, culpa, ut XLI, 16, n. 2, et apud Plaut. Asin. II, 2, n. 9, aut studio. — *Ducebat* Drak. ad plurium codd. fidem dedit pro *dicebat*, quod vett. editt. exhibebant. Confer infra, cap. 45, n. 4. Ed.

2. *Subornatos criminibus*, ut deferrent crimina Fulvii, vel potius criminationibus ei nocerent. Ad seqq. conf. supra cap. 3-9.

Digitized by Google

sibi, quum in pace essent, imperataque a prioribus consulibus fecissent, et eadem præstare obedienter M. Fulvio parati essent, bellum illatum questi, *agros primum depopulatos, terrorem direptionis et cædis urbi injectum, ut eo metu claudere cogerentur portas: obsessos deinde et oppugnatos se, et omnia exempla belli edita in se*[3], *cædibus, incendiis, ruinis, direptione urbis: conjuges, liberos in servitium abstractos: bona adempta, et, quod se ante omnia moveat, templa tota urbe spoliata ornamentis; simulacra deum, deos immo ipsos, convulsos ex sedibus suis*[4], *ablatos esse; parietes postesque nudatos, quos adorent, ad quos precentur et supplicent, Ambraciensibus superesse.* Hæc querentes, interrogando criminose ex composito, consul ad plura, velut non sua sponte dicenda, eliciebat[5]. Motis Patribus, alter consul C. Flaminius M. Fulvii causam excepit[6]; qui, *veterem et obsoletam viam ingressos Ambracienses*, dixit. *Sic M. Marcellum a Syracusanis, sic Q. Fulvium a Campanis accusatos. Quin eadem opera T. Quintium a Philippo rege, M'. Acilium et L. Scipionem ab Antiocho, Cn. Manlium a Gallis, ipsum M. Fulvium ab Ætolis et Cephalleniæ populis accusari paterentur.* « Ambraciam oppugnatam et captam, et signa inde « ornamentaque ablata, et cætera facta, quæ captis

3. *Omnia exempla belli edita in se;* vide ad XXIX, 27, n. 3.

4. *Convulsos ex sedibus suis*, templis; vide ad I, 55, n. 4. Adjecta verba *ablatos esse* sapiunt glossema; Herald. ad Arnob. I, pag. 33. Aliquid tamen *convelli* posse et *non auferri*, ibid. in exemplari suo notarat Cuperus; Drak. — *Quos adorent* loco deorum, *ad quos precentur*, preces fundant,... *superesse*, diis ipsis ablatis. Admodum invidiose hæc dicta. *Non superesse* multi MSS et edd. vett. probb. Sigon. et Mureto Var. Lect. XIX, 14, ob simil. loc. Cic. Divin. in Cæcil. 1. At nostra lectio longe doctior, neque a rudibus librariis orta videtur; Drak.

5. *Consul ad plura... dicenda eliciebat;* vide ad VI, 34, n. 7.

6. *M. Fulvii causam excepit;* vide ad IV, 43, n. 4.

Digitized by Google

« urbibus soleant, negaturum aut me pro M. Fulvio, « aut ipsum M. Fulvium censetis, Patres conscripti? « qui ob has res gestas triumphum a vobis postulatu- « rus sit, Ambraciam captam, signaque, quæ ablata « criminantur, et cætera spolia ejus urbis ante currum « laturus, et fixurus in postibus suis [7]. Nihil est, quod « se ab Ætolis separent: eadem Ambraciensium et « Ætolorum causa est. Itaque collega meus vel in alia « causa inimicitias exerceat, vel si in hac utique ma- « vult, retineat Ambracienses suos [8] in adventum « M. Fulvii. Ego nec de Ambraciensibus, nec de Ætolis « decerni quidquam, absente M. Fulvio, patiar. »

XLIV. Quum Æmilius callidam malitiam inimici, velut omnibus notam, insimularet, et tempus eum morando extracturum [1] diceret, ne consule inimico Romam veniret; certamine consulum biduum absumptum est: nec præsente Flaminio decerni quidquam videbatur posse. Captata occasio est, quum æger forte Flaminius abesset; et, referente Æmilio, senatusconsultum factum est, *Ut Ambraciensibus omnes suæ res redderentur: in libertate essent, ac legibus suis uterentur: portoria, quæ vellent, terra marique caperent, dum eorum immunes Romani ac socii la-*

7. *Et fixurus in postibus suis;* vide ad X, 7, n. 10. — Conf. etiam notas ad Virgil. Æn. II, v. 504, et VII, v. 183, nostræ edit. vol. II, p. 272, et vol. III, pag. 275. Ed. — *Quod se ab Ætolis separent,* quod postulent, ut melior sua, quam Ætolorum, causa, conditio sit; Ern.

8. *Retineat Ambracienses suos;* vid. I, 56, n. 10.

Cap. XLIV. 1. *Tempus morando extracturum;* vide ad IV, 43, n. 6. — *Ne consule inimico,* quandiu inimicus ejus consul esset, *Romam veniret,* rediret, ut cap. 42, et al. vid. Drak. — Omnes codd. præter unum Mog. constanter servant *rediret* pro *veniret;* at, ut rectissime monet Drakenb., si *rediret* a manu Livii profectum credamus, ratio reddi nequit cur scriba cod. Mogunt. ejus loco *veniret* dederit: sin *veniret* genuinum putemus, ex ejus glossemate *rediret* ortum erit. Eam itaque lectionem post Drakenborch. amplexi sunt merito et Doer. et Rup. Ed.

Digitized by Google

tini nominis essent[2]. *Signa aliaque ornamenta quæ quererentur ex ædibus sacris sublata esse, de iis, quum M. Fulvius Romam revertisset, placere ad collegium pontificum referri, et, quod ii censuissent, fieri.* Neque his contentus consul fuit, sed postea per infrequentiam adjecit senatusconsultum[3], *Ambraciam non videri vi captam esse.* Supplicatio inde, ex decemvirorum decreto, pro valetudine populi fuit per triduum, quia gravis pestilentia urbem atque agros vastabat. Latinæ inde fuerunt. Quibus religionibus liberati consules, et delectu perfecto (novis enim uterque maluit uti militibus), in provinciam profecti sunt, veteresque omnes dimiserunt. Post consulum profectionem Cn. Manlius proconsul Romam venit; cui quum ab Ser. Sulpicio prætore senatus ad ædem Bellonæ datus[4] esset, et ipse, commemoratis rebus ab se gestis, postulasset, ut ob eas diis immortalibus honos haberetur, sibique triumphanti Urbem invehi liceret; contradixerunt pars major decem legatorum, qui cum eo fuerant, et ante alios L. Furius Purpureo et L. Æmilius Paullus.

XLV. *Legatos sese*[1] *Cn. Manlio datos pacis cum Antiocho faciendæ causa fœderisque et legum, quæ*

2. *Portoria, quæ vellent, terra marique caperent, dum eorum immunes Romani ac socii l. n. essent:* ex h. l. Sigon, de Ant. Jur. civ. rom. I, 16, colligit, cives rom. non solum portoriorum, quæ in Italia caperentur, immunes fuisse, sed etiam eorum, quæ extra Italiam a sociis exigerentur. Mihi de neutris ex his verbis Livii satis liquet; Duker. — *Signa aliaque ornamenta quæ quererentur*, etc. pro *quæ signa*, etc. ut apud Cæs. Bell. Civ. I, 41 (ubi vid. Davis. et Clarke), *pons qui fuerat interruptus, hunc noctu perfici jussit;* Drak.

3. *Per infrequent. adjecit SCtum;* vide ad II, 23, n. 9. — *Latinæ*, sc. feriæ, de quibus consule V, 17, n. 3, et I, 45, n. 2. Ed.

4. *Ab Ser. Sulpicio prætore senatus ad ædem Bellonæ datus* ei; vide ad VIII, 5, n. 1, et XXVI, 21, n. 1.

Cap. XLV. 1. *Legatos sese*, etc. oratio Furii et Æmilii. Conf. c. 47 pr. — *Fœderisque et legum*, copulam *et* ignorant multi MSS, prob. Jac. Gron.

Digitized by Google

cum L. Scipione inchoatæ fuissent, perficiendarum. Cn. Manlium summa ope tetendisse, ut eam pacem turbaret, et Antiochum, si sui potestatem fecisset, insidiis exciperet; sed illum, cognita fraude consulis, quum sæpe colloquiis petitis captatus[2] *esset, non congressum modo, sed conspectum etiam ejus vitasse. Cupientem transire Taurum ægre omnium legatorum precibus, ne carminibus Sibyllæ prædictam superantibus terminos fatales cladem experiri vellet, retentum: admovisse tamen exercitum, et prope ipsis jugis ad divortia aquarum*[3] *castra posuisse. Quum nullam ibi causam belli inveniret, quiescentibus regiis, circumegisse exercitum ad Gallogræcos: cui nationi non ex senatus auctoritate, non populi jussu, bellum illatum. Quod quem unquam de sua sententia facere ausum? Antiochi, Philippi, Hannibalis et Pœnorum recentissima bella esse: de omnibus his consultum senatum, populum jussisse*[4]*; sæpe legatos ante missos, res repetitas, postremo, qui bellum indicerent, missos.* « Quid eorum, Cn. Manli, factum est, ut istud « publicum populi romani bellum et non tuum pri- « vatum latrocinium ducamus? At eo ipso contentus « fuisti; recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos « tibi hostes desumpseras; an et per omnes anfractus « viarum, quum ad bivia consisteres, ut, quo flexis-

quia non de legibus aliis sermo sit, quam quibus fœdus fiat. Sed similiter XXVIII, 34, dicitur *nec fœdere, nec æquis legibus;* Drak. — *Summa ope tetendisse;* vide ad IV, 7, n. 6.

2. *Colloquiis petitis captatus;* vide ad XXII, 28, n. 1. — *Terminos fatales*, Taurum nempe, quem tanquam terminum a fato præscriptum, libri Sibyllini transire vetabant. Ed.

3. *Ad divortia aquarum;* ad eum in ipsis jugis locum, unde aquæ pluviales vel fontanæ per *diversas* vias decurrunt; vid. XXI, 31, n. 4. Ed.

4. *De omnibus his... populum jussisse;* vide ad IX, 43, n. 1. — *Ducamus* hic dedit Drak. pro *dicamus* vulgari lectione, ut *ducebat* pro *dicebat* edidit supra ad cap. 43, ubi vid. n. 1. Ed.

Digitized by Google

« set agmen Attalus Eumenis frater, eo consul merce-
« narius[5] cum exercitu romano sequereris, Pisidiæ
« Lycaoniæque et Phrygiæ recessus omnes atque an-
« gulos peragrasti, stipem a tyrannis castellanisque
« deviis colligens? Quid enim tibi cum Oroandis? quid
« cum aliis æque innoxiis populis? Bellum autem ipsum,
« cujus nomine triumphum petis, quo modo gessisti?
« Loco æquo, tempore tuo pugnasti[6]? Tu vero recte,
« ut diis immortalibus honos habeatur, postulas: pri-
« mum, quod pro temeritate imperatoris, nullo jure
« gentium bellum inferentis, pœnas luere exercitum
« noluerunt; deinde, quod belluas, non hostes, nobis
« objecerunt.

XLVI. « Nolite nomen tantum[1] existimare mixtum
« esse Gallogræcorum: multo ante et corpora et animi
« mixti ac vitiati sunt. An, si illi Galli essent, cum
« quibus millies vario eventu in Italia pugnatum est,
« quantum in imperatore nostro fuit, nuntius illinc
« redisset? Bis cum iis pugnatum est, bis loco iniquo
« subiit, in valle inferiore pedibus pæne hostium aciem
« subjecit: ut non tela ex superiore loco mitterent,
« sed corpora sua nuda injicerent, obruere nos po-
« tuerunt[2]. Quid igitur incidit? Magna fortuna populi

5. *Consul mercenarius*, quasi mercede conductus, corruptus ab Eumene, cujus interesset frangi Gallorum opes; vid. cap. 12.—*Castellanisque;* vide ad V, 5, n. 2.

6. *Tempore tuo pugnasti?* vide ad I, 56, n. 10.

Cap. XLVI. 1. *Nolite nomen tantum*, etc. itaque plerique MSS et edd. ante postremam Gruteri, qui reposuit *nolito*, ut oratores Cn. Manlium, non senatum, alloquantur. Sed *nolite* legendum esse, ostendunt seqq. *imperatore nostro*, *subiit*, *subjecit* et similia; Drakenb. — *Millies;* invidiose augetur res. — *Quantum in imperatore nostro*, penes eum, in ejus potestate, *fuit*, quantum per eum stetit, h. e. si per eum solum id stetisset, quippe qui in tantum, in quantum potuit, fecit, ut nemo, ne nuntius quidem, e pugna rediret.

2. *Ut* (quamvis) *non tela... potuerunt*, al. *ut si* et *potuerint*. — Hanc etsi Doering. lectionem non ediderit, quam anno 1535 evulgaverat Frobenius, eam tamen magis quam nostram orationis tam nexui quam concinnitati

Digitized by Google

« romani est, magnum et terribile nomen. Recenti « ruina Hannibalis, Philippi, Antiochi, prope attoniti « erant[3], tantæ corporum moles. Fundis sagittisque in « fugam consternati[4] sunt : gladius in acie cruentatus « non est Gallico bello : velut avium examina, ad cre- « pitum primum missilium avolavere. At, Hercule, « nos iidem (admonente fortuna, quid, si hostem « habuissemus, casurum fuisset), quum redeuntes in « latrunculos Thracas incidissemus, cæsi, fugati, ex- « suti impedimentis sumus. Q. Minucius Thermus, in « quo haud paulo plus damni factum est, quam si « Cn. Manlius, cujus temeritate ea clades inciderat, « perisset, cum multis viris fortibus cecidit : exerci- « tus, spolia regis Antiochi referens, trifariam dissi- « patus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi

favere dicit. Sed optimis codd. nititur nostra, teste Drak. Ed. — *Magna fortuna populi romani;* vide ad VI, 30, n. 3.

3. *Prope attoniti erant*, sc. Galli, *tantæ corporum moles;* vide ad I, 38, n. 4, et V, 44, n. 4; *attonitæ* et mox *consternatæ*, quidam MSS, etiam Mogunt. minus eleganter; vide ad XXIX, 12, n. 3. « An magnæ moles corporum efficere potuerint, ne attoniti redderentur cladibus eorum, quorum vires suis longe superiores esse norant, aliis considerandum relinquo. Si verba ita distinguantur, *prope attoniti erant. Tantæ corporum moles fundis*, etc. sensus non ineptus erit, nihil minus exspectari potuisse, quam ut tantæ corporum moles tam facile ab levi armatura in fugam consternarentur. » Duker. Ita distinxit Crev. « Ideo vero Furius et Æmilius fortunæ populi rom. et magno ac terribili ejus nomini adscribunt, quod Galli ruina Hannibalis, Philippi, Antiochi prope attoniti fuerint, quia ceteroqui inde tantopere perterriti esse non debuissent, quibus Syriæ reges stipendium dare non abnuebant, quique, licet, cum Attalo congressi, prælio superati forent, non tamen inde adeo animis infracti sunt, ut imperio absisterent, ut Livius, cap. 16, narravit ». Drak.

4. *In fugam consternati;* vide ad II, 47, n. 3. — *Velut avium examina*, etc. al. *apium*, quod aptius est simili loco IV, 33, quam nostro. Nam apes, ut ibi dicitur, fumo fugantur, et jam fugientes crepitu quidem terrentur, at simul etiam a fuga desistunt ac considerent: *examina* quoque dicuntur *avium, locustarum, concharum, piscium;* Drak. — *Exercitus... trifariam dissipatus... delituit.* Nomen *exercitus* verbo *delituit* innititur, adeo ut triplex hoc membrum, *alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta*, connectendum sit his

Digitized by Google

« impedimenta, inter vepres in latebris ferarum no-
« ctem unam delituit. Pro his triumphus petitur? Si
« nihil in Thracia cladis ignominiæque foret acceptum,
« de quibus hostibus triumphum peteres? de iis, ut
« opinor, quos tibi hostes senatus aut populus roma-
« nus dedisset. Sic huic L. Scipioni, sic illi M'. Acilio
« de rege Antiocho, sic paulo ante T. Quintio de rege
« Philippo, sic P. Africano de Hannibale et Pœnis et
« Syphace, triumphus datus: et minima illa, quum jam
« senatus censuisset bellum, quæsita tamen sunt, qui-
« bus nuntiandum esset: ipsis utique regibus nuntia-
« retur; an satis esset, ad præsidium aliquod [5] nuntiari?
« Vultis ergo hæc omnia pollui et confundi? tolli fecia-
« lia jura [6]? nullos esse feciales? Fiat (pace deum dixe-
« rim) jactura religionis; oblivio deorum capiat pe-
« ctora vestra. Num senatum quoque de bello consuli
« non placet? non ad populum ferri, velint jubeantne
« cum Gallis bellum geri? Modo certe consules Græ-
« ciam atque Asiam volebant [7]: tamen perseveranti-
« bus vobis, Ligures provinciam decernere, dicto au-
« dientes fuerunt. Merito ergo a vobis, prospere bello
« gesto, triumphum petent, quibus auctoribus ges-
« serunt [8] ».

XLVII. Talis oratio Furii et Æmilii fuit. Manlium in hunc maxime modum respondisse accepimus: « Tribuni plebis antea solebant triumphum postulan-
« tibus adversari, Patres conscripti. Quibus ego gra-

vocibus, *trifariam dissipatus*, tanquam iis explicandis appositum. Ed.

5. *Quæsita tamen sunt, quibus nuntiandum esset... an satis esset, ad præsidium a. nuntiari?* conf. XXXI, 8, et XXXVI, 3. — *Vultis ergo;* Thuan. Lov. 3, et L. 1, *Velitis e.* prob. Gronov.

6. *Tolli fecialia jura;* vide ad IX, 9, n. 2.

7. *Modo certe consules* (vid. c. 42) *Græciam atque Asiam volebant*, cupiebant obtinere; vid. XXI, 39, n. 4. — *Dicto aud.;* priscæ edd. *obedientes.*

8. *Quibus auctoribus gesserunt;* vid. I, 17, n. 6.

Digitized by Google

« tiam habeo, quod seu mihi, seu magnitudini rerum « gestarum [1], hoc dederunt, ut non solum silentio « comprobarent honorem meum, sed referre etiam, « si opus esset, viderentur parati esse. Ex decem le- « gatis, si diis placet [2], quod consilium dispensandæ « cohonestandæque victoriæ imperatoribus majores « dederunt nostri, adversarios habeo. L. Furius, « L. Æmilius currum triumphalem me conscendere « prohibent, coronam insignem [3] capiti detrahunt; « quos ego, si tribuni me triumphare prohiberent, « testes citaturus fui rerum a me gestarum. Nullius « equidem invideo honori, Patres conscripti. Vos tri- « bunos plebei nuper, viros fortes ac strenuos, im- « pedientes Q. Fabii Labeonis triumphum [4], auctori- « tate vestra deterruistis : triumphavit, quem non « bellum injustum gessisse, sed hostem omnino non « vidisse, inimici jactabant. Ego, qui cum centum « millibus ferocissimorum hostium signis collatis to- « ties pugnavi, qui plus quadraginta millia hominum « cepi aut occidi, qui bina castra eorum expugnavi, « qui citra juga Tauri omnia pacatiora, quam terra « Italia est, reliqui, non triumpho modo fraudor, sed « causam apud vos, Patres conscripti, accusantibus

Cap. XLVII. 1. *Quod seu mihi seu magnitudini r. g. hoc dederunt;* vide ad III, 58, n. 4. — *Referre* de eo; vide ad XXVI, 2, n. 3.

2. *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4. — *Quod consilium dispensandæ t. victoriæ dederunt;* vide ad III, 35, n. 1. *Dispensare victoriam,* ordinare et constituere res devictarum regionum. — *Cohonestandæ,* ut XXV, 16.

3. *Coronam insignem,* triumphalem, *capiti detrahunt,* detrahere, h. e. triumphum mihi eripere conantur. Cf. III, 21, n. 3.

4. *Impedientes Q. Fabii Labeonis triumphum,* etc. hujus triumphi, in cujus memoriam nummus quoque signatus est (vid. Golzt., Ursin. et Spanhem.) mentio fit XXXVII, 60 extr. sed demum h. l. intercessionis tribunorum pl. « Nec tamen non obscure significat Livius, se non minus, quam inimicos Fabii, credidisse, ab eo hostem omnino non visum: sed tribuit, opinor, Manlio sermonem, quem personæ et causæ illius convenire putabat ». Duker. — *Deterruistis;* nonnulli codd. perperam *decrevistis.* Ed.

Digitized by Google

« meis ipse legatis [5] dico. Duplex eorum, ut animad-
« vertistis, Patres conscripti, accusatio fuit: nam, nec
« gerendum mihi fuisse bellum cum Gallis, et gestum
« temere atque imprudenter, dixerunt. Non erant
« Galli hostes, sed tu eos pacatos, imperata facientes,
« violasti. Non sum postulaturus a vobis, Patres con-
« scripti, ut, quæ communiter de immanitate gentis
« Gallorum, de infestissimo odio in nomen romanum
« scitis, ea de illis quoque, qui Asiam incolunt, exi-
« stimetis Gallis. Remota universæ gentis infamia at-
« que invidia, per se ipsos æstimate. Utinam rex Eu-
« menes, utinam Asiæ civitates omnes adessent, et illos
« potius querentes, quam me accusantem [6], audiretis!
« Mittite, agedum, legatos circa omnes Asiæ urbes,
« et quærite, utra graviori servitute [7], Antiocho ultra
« Tauri juga emoto, an Gallis subactis, liberati sint?
« Quoties agri eorum vastati sint, quoties prædæ ab-
« actæ, referant; quum vix redimendi captivos copia
« esset, et mactatas humanas hostias immolatosque
« liberos suos audirent. Stipendium, scitote, pepen-
« disse socios vestros Gallis, et nunc, liberatos per
« vos regio imperio, fuisse pensuros, si a me foret
« cessatum.

XLVIII. « Quo longius Antiochus emotus esset, hoc
« impotentius in Asia Galli dominarentur [1]; et, quid-

5. *Accusantibus meis ipse legatis*, scil. *ipsius*.

6. *Quam me accusantem*, sc. immanitatem Gallorum Asiam incolentium; Drak. — *Agedum*, ut *age* et gr. ἄγε, etiam plurali jungitur.

7. *Utra graviori servitute*, plerique MSS et edd. vett. *utrum a g. s.* Sed illud doctius est. — Sic Cic. de Finibus, II, 10, *summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate dijudicabit, stante, an movente?* Ed. — *Mactatas humanas hostias*, etc. si hoc verum est, sine dubio retinuerunt ex religione antiquæ patriæ; Duk. coll. Cæs. Bell. Gall. VI, 16, et Tacit. Ann. XIV, 30; vid. et Lips. ad Tacit. Germ. 9.

Cap. XLVIII. 1. *Impotentius in Asia G. d.*; vide ad III, 36, n. 2.

Digitized by Google

« quid est terrarum citra Tauri juga, Gallorum im-
« perio, non vestro, adjecissetis. At enim sunt quidem
« ista: verum etiam [2] Delphos, quondam commune
« humani generis oraculum [3], umbilicum orbis terra-
« rum, Galli spoliaverunt; nec ideo populus roma-
« nus his bellum indixit, aut intulit. Equidem aliquid
« interesse rebar inter id tempus, quo nondum in
« jure ac ditione vestra Græcia atque Asia erat, ad
« curandum animadvertendumque, quid in his terris
« fieret; et hoc, quo finem imperii romani Taurum
« montem statuistis, quo libertatem immunitatemve
« civitatibus datis, quo aliis fines adjicitis, alias agro
« mulctatis, aliis vectigal imponitis; regna augetis,
« minuitis, donatis, adimitis; curæ vestræ censetis
« esse, ut pacem terra marique habeant [4]. An, nisi
« præsidia deduxisset Antiochus, quæ quieta in suis
« arcibus erant, non putaretis liberatam Asiam? si
« Gallorum exercitus effusi vagarentur, rata dona ve-

2. *At enim sunt quidem ista: verum etiam*, etc. in cod. Mogunt. *At enim s. q. ista vera: etiam*, etc. in reliquis MSS et edd. ant. *at enim sunt hæc ita: verum etiam*, etc. Ex utraque lectione conflavi tertiam, quam et Drak. veram putabat. Pari brevitate *Sunt ista, Læli: nec enim melior vir fuit*, etc. dixit Cic. de Amic. 2, ubi vid. intpp.

3. *Delphos, quondam commune humani generis oraculum*, etc. Walch. Emend. pag. 118, in hoc loco interpungi jubet: *Delphos quondam, commune humani generis oraculum... Galli spoliaverunt.* « Hæccine, ait, dixerit orator, id maxime agens, ut calumniam contra se motam illustri exemplo opposito confutaret, *quondam oraculum?* Haud me fugit, Pythiam jam Pyrrhi tempore versibus loqui desiisse; neque sic tamen Delphi desierant commune esse generis humani oraculum, quod perversa interpunctione satis inepte contenditur. Ob oculos habuit (sc. Livius) Cic. pro Font. cap. 10: *Hæ sunt nationes* (Galli), *quæ quondam, tam longe ab suis sedibus, Delphos usque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terrarum vexandum ac spoliandum, profectæ sunt.* Quod si Ciceroni circa ann. Urb. 684 dicere licuit, quanto magis debuit Manlius a. Urb. 565! » Cæterum de facto quod hic commemoratur vide ad XXXV, 18, n. 2, et XXXVIII, 16, n. 3. Conf. etiam de Delphis infra XLI, 23, fin. Ed.

4. *Ut pacem terra marique h.*, forte *maroque*; Gron.

Digitized by Google

« stra, quæ dedistis, regi Eumeni, rata libertas civi-
« tatibus esset? Sed quid ego hæc ita argumentor, tan-
« quam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos?
« Te, L. Scipio, appello, cujus ego mihi, succedens
« in vicem imperii tui, virtutem felicitatemque pariter
« non frustra ab diis immortalibus precatus sum; te,
« P. Scipio, qui legati jus, collegæ majestatem, et
« apud fratrem consulem, et apud exercitum habuisti;
« sciatisne, in exercitu Antiochi Gallorum legiones
« fuisse? videritis in acie eos, in cornu utroque (id
« enim roboris esse videbatur) locatos? pugnaveritis,
« ut cum hostibus justis? ceciderit is? spolia eorum
« retuleritis? Atqui cum Antiocho, non cum Gallis,
« bellum et senatus decreverat, et populus jusserat.
« Sed simul, ut opinor, cum his decreverant jusse-
« rantque, qui intra ejus præsidia fuissent[5]: ex quibus,
« præter Antiochum, cum quo pacem pepigerat Sci-
« pio, et cum quo nominatim fœdus ut fieret, man-
« daveratis, omnes hostes erant, qui pro Antiocho
« arma adversus nos tulerunt. In qua causa quum
« Galli ante omnes fuissent, et reguli quidam et ty-
« ranni; ego tamen et cum aliis, pro dignitate im-
« perii vestri coactis luere peccata sua, pacem pepigi;
« et Gallorum animos, si possent mitigari a feritate
« insita, tentavi, et, postquam indomitos atque im-
« placabiles cernebam, tum demum vi atque armis
« coercendos ratus sum. Nunc, quoniam suscepti belli
« purgatum est crimen[6], gesti reddenda est ratio: in
« quo confiderem equidem causæ meæ, etiamsi non
« apud Romanum, sed apud Carthaginiensem sena-

5. *Sed simul, ut opinor, cum his decreverant jusserantque; qui intra ejus præsidia fuissent;* vid. cap. 11, n. 4, et ad XXXVI, 1, n. 2. — *In qua causa,* exponit Doer. in qua culpa apud Romanos contracta. Ed.

6. *Suscepti belli purgatum crimen;* vide ad XXXIV, 62, n. 2.

Digitized by Google

« tum agerem; ubi in crucem tolli imperatores di-
« cuntur, si prospero eventu, pravo consilio rem ges-
« serunt. Sed ego in ea civitate[7], quæ ideo omnibus
« rebus incipiendis gerendisque deos adhibet, quia
« nullius calumniæ subjicit ea, quæ dii comprobave-
« runt, et in solennibus verbis habet, quum suppli-
« cationem aut triumphum decernit, *Quod bene ac*
« *feliciter rempublicam administrarit;* si nollem, si
« grave ac superbum existimarem, virtute gloriari,
« pro felicitate mea exercitusque mei, quod tantam
« nationem sine ulla militum jactura devicimus, postu-
« larem, ut diis immortalibus honos haberetur, et ipse
« triumphans in Capitolium ascenderem, unde, vo-
« tis rite nuncupatis, profectus sum: negaretis hoc
« mihi cum diis immortalibus?

XLIX. « Iniquo enim loco dimicavi[1]. Dic igitur, quo
« æquiore potuerim dimicare? Quum montem hostes
« cepissent, loco munito se tenerent, nempe eundum
« ad hostes erat, si vincere vellem. Quid? si urbem eo
« loco haberent, et mœnibus se tenerent? nempe op-

7. *Sed ego in ea civitate*, etc. « Sententiam longioris periodi hanc esse puto: *Sed si ego in ea civitate, quæ... administrarit, nollem, si grave ac superbum existimarem virtute gloriari*, sed, omissa jactatione virtutis, hoc tantum *postularem*, ut *propter felicitatem meam exercitusque mei diis honos haberetur* et ipse triumpharem; an hoc non mihi solum, verum etiam *diis negaretis?* Cur autem negare non debeant, causam hanc dicit, quod in supplicationibus ac triumphis decernendis rationem reipublicæ bene ac feliciter administratæ haberi, ex *solennibus verbis* constet, quibus supplicationes ac triumphi decernantur: *Quod bene ac feliciter remp. administrarit* is, qui supplicationem aut triumphum postulat (vid. Brisson. de Form. I, pag. 61, et II, pag. 208): se autem exercitumque suum eam optime ac felicissime gessisse. Post *gloriari* supplendum *sed*, ut sæpe; vide ad III, 71, n. 4 (Lov. 2 addit *at*, quam lectionem Doer. videtur probare). *Mihi cum diis* pro *mihi et diis*, ut apud Virgil. Æneid. I, 292, III, 588 (cf. sup. ad XXI, 60, n. 5). » Duker.

Cap. XLIX. 1. *Iniquo enim loco dimicavi;* vide ad III, 39, n. 8.— *Dic igitur*, immo *dicite*, quia duo erant adversarii. Sed hæc dicens pri-

Digitized by Google

« pugnandi erant. Quid? ad Thermopylas æquone loco « M'. Acilius cum rege Antiocho pugnavit? Quid? Phi- « lippum non eodem modo super Aoum amnem juga « tenentem montium T. Quintius dejecit? Equidem « adhuc, qualem aut sibi fingant, aut vobis videri « velint hostem fuisse, non invenio. Si degenerem et « emollitum amœnitate Asiæ, quid periculi vel iniquo « loco subeuntibus fuit? si timendum et feritate ani- « morum, et robore corporum, huicne tantæ victoriæ « triumphum negatis? Cæca invidia est, Patres con- « scripti, nec quidquam aliud scit, quam detrectare « virtutes [2], corrumpere honores ac præmia earum. « Mihi, quæso, ita ignoscatis, Patres conscripti, si « longiorem orationem non cupiditas gloriandi de me, « sed necessaria criminum defensio fecit. An etiam « per Thraciam saltus patentes, qui angusti erant, et « plana ex arduis, et culta ex silvestribus facere potui, « et præstare, necubi notis sibi latebris [3] delitescerent « latrones Thraces, ne quid sarcinarum raperetur, ne « quod jumentum ex tanto agmine abstraheretur, ne « quis vulneraretur, ne ex vulnere vir fortis ac stre- « nuus Q. Minucius moreretur? In hoc casu, quo in- « feliciter incidit, ut talem civem amitteremus, hæ- « rent [4]. Quod saltu iniquo, loco alieno, quum ador- « tus hostis nos esset, duæ simul acies primi et no-

mo hunc, deinde illum adspexisse videtur digitoque monstrasse.

2. *Quam detrectare virtutes;* vide ad XXXVI, 40, n. 4. — *Corrumpere honores ac præmia earum* virtutum. *Honores* id. qd. *præmia*, ut II, 12, et XLV, 22, aut *ac* ita dictum, ut monui ad II, 42, n. 7. — *Criminum defensio*, criminum objectorum depulsio, ut XLII, 48, vel quum ostenditur, id, quod crimini datur, crimen habendum non esse; Drak. Conf. ad III, 19, n. 7.

3. *Necubi notis sibi latebris*, etc. vide ad XXII, 2, n. 3.

4. *In hoc casu... hærent*, longiores copiosioresque sunt, ei immorantur diutius, eum maxime urgent. — Sic apud Cic. in Orat. 40 : « sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset sæpe multis modis eamdem et unam rem, et hæreat in eadem commoretur-

Digitized by Google

« vissimi agminis hærentem ad impedimenta nostra « exercitum Barbarorum circumvenerunt, quod multa « millia ipso die, plura multo post dies paucos ceci- « derunt et ceperunt; hoc, si ipsi tacuerint, vos sci- « turos, quum testis orationis meæ totus exercitus « sit, non credunt? Si gladium in Asia non strinxis- « sem, si hostem non vidissem, tamen proconsul « triumphum in Thracia duobus prœliis meruerant. « Sed jam dictum satis est: quin pro eo, quod pluri- « bus verbis vos, quam volui, fatigavi, veniam a vobis « petitam impetratamque velim, Patres conscripti. »

L. Plus crimina[1] eo die, quam defensio, valuissent, ni altercationem in serum perduxissent: dimittitur senatus in ea opinione, ut negaturus triumphum fuisse videretur. Postero die, et cognati amicique Cn. Manlii summis opibus adnisi sunt, et auctoritas seniorum valuit, negantium, exemplum proditum memoriæ esse, ut imperator, qui, perduellibus devictis[2], confecta provincia, exercitum reportasset, sine curru et laurea, privatus inhonoratusque, Urbem iniret. Hic pudor malignitatem vicit, triumphum-

que sententia ». Ed.—*Incidit;* vide ad I, 46, n. 7.

Cap. L. 1. *Plus crimina,* etc. vide ad III, 19, n. 7.—*In serum perduxissent;* vide ad II, 61, n. 6. An *produxissent?* ut XXXIII, 48, n. 4. *Perducere* etiam sic dicitur XXXVI, 23, et mox cap. 51. Sed sæpius *producere in noctem et in serum;* Duk. et Drak.

2. *Perduellibus devictis* (cf. quæ ad I, 26, n. 4), *confecta provincia* (vide ad II, 40, n. 9), *exercitum reportasset,* etc. videndum XXVI, 21, n. 1. *Reportasset,* ut cap. 42 extr. et apud Justin. XXXI, 3; quibus tamen locis nihil aliud est quam reducere, sine respectu ad imperatores, qui provincia confecta de ea cum spe triumphi decedunt et ad eum adspirant, quique fere dicuntur *deportare exercitum;* Duk. coll. XXVI, 21, XXX, 40, 43, XXXIX, 29, XL, 35; Cic. pro lege Manil. 21. Cf. Drak. ad VI, 33, n. 12, et XXXIX, 38, n. 9. — *Sine curru et laurea, privatus inhonoratusque Urbem iniret.* « Si privati Urbem ingrediebantur, quibus triumphus negabatur; ergo non privati, qui triumphabant: quia ad populum ferebatur, ut iis, quo die triumphantes Urbem inirent, imperium esset. Ex hoc et similibus Livii ac Cic. lo-

Digitized by Google

que frequentes decreverunt. Oppressit deinde mentionem memoriamque omnem contentionis hujus majus et cum majore et clariore viro certamen ortum. P. Scipioni Africano (ut Valerius Antias auctor est) duo Q. Petillii[3] diem dixerunt. Id, prout cujusque ingenium erat, interpretabantur. Alii non tribunos plebis, sed universam civitatem, quæ id pati posset, incusabant. *Duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inventas; Romam ingratiorem, si quidem victa Carthago victum Hannibalem in exsilium expulisset, Roma victrix victorem Africanum expellat.* Alii, *Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit*[4]; *nihil tam æquandæ libertatis esse, quam potentissimum quemque posse dicere causam. Quid autem tuto cuiquam, nedum summam rempublicam, permitti, si ratio non sit reddenda? Qui jus æquum pati non possit, in eum vim haud injustam esse.* Hæc agitata sermonibus, donec dies dicendæ causæ venit: nec alius antea quisquam, nec ille ipse Scipio consul censorve majore omnis generis hominum frequentia, quam reus illo die, in forum est deductus. Jussus dicere causam, sine ulla criminum mentione orationem

cis Grnchius in Refut. ad Post. Sigon. disp. cap. 4, recte ostendit, *privatum* et *cum imperio esse* inter se contraria esse, quod, præter Sigon., etiam Muret. ad Cic. Cat. I, 1 negat. » Duker. Conf. ad I, 40, n. 5.

3. *Duo Q. Petillii*, etc. vide ad cap. 56, n. 2.

4. *Neminem unum civem* (vide ad III, 12, n. 2) *tantum eminere debere, ut non possit legibus interrogari*, accusari, in jus vocari. Conf. ad XLV, 37, n. 2; ad Tacit. Ann. XIII, 14, n. 5; Cort. ad Sallust. Cat. 18; Brisson. de Form. V, pag. 471, et select. ex Jur. civ. ant. II, 1. — *Nihil tam æquandæ libertatis esse*; vide ad III, 24, n. 1. — *Summam remp.*, al. *reip.*; universæ scilicet reipublicæ salutem. Vide ad III, 5, n. 6. — Sæpissime apud Ciceronem, ut observat Doering. *summa reipublicæ* pariter ac *summa respublica* dicitur de re, in qua universæ reipublicæ salus vertitur; vide Ernest. Clav. Cic. sub voc. *summa*. Ed.

Digitized by Google

adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret, neminem unquam neque melius, neque verius laudatum esse. Dicebantur enim ab eodem animo[5] ingenioque, a quo gesta erant; et aurium fastidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam, referebantur.

LI. Tribuni plebis vetera luxuriæ crimina Syracusanorum hibernorum, et Locris Pleminianum tumultum[1], quum ad fidem præsentium criminum retulissent; suspicionibus magis, quam argumentis, pecuniæ captæ reum accusarunt. *Filium captum sine pretio redditum, omnibusque aliis rebus Scipionem, tanquam in ejus unius manu pax romana bellumque esset, ab Antiocho cultum. Dictatorem eum consuli, non legatum, in provincia fuisse; nec ad aliam rem eo profectum, quam ut, id quod Hispaniæ, Galliæ, Siciliæ, Africæ jam pridem persuasum esset, hoc Græciæ Asiæque et omnibus ad orientem versis regibus gentibusque*[2] *appareret; unum hominem caput columenque imperii romani esse, sub umbra Scipionis civitatem dominam orbis terrarum latere, nutum ejus pro decretis Patrum, pro populi jussis esse.* Infamia intactum, invidia, qua possunt, urgent: oratio-

5. *Dicebantur enim ab eodem animo*, etc. conf. simil. loc. Quintil. X, 1, ubi Burm. emend. *d. e. ab eo eodem a. i., quo gesta erant.*

Cap. LI. 1. *Crimina Syracusanorum hibernorum et Pleminianum tumultum* (vide ad XXIX, 6 seq. 19 sq.) *quum ad fidem præsentium criminum retulissent;* vide ad III, 19, n. 7; XXI, 13, n. 2, et XXVI, 24, n. 2. — *Filium captum*, etc. vide ad XXXVII, 34 sq. — *Galliæ*, quam P. Africanus II consul provinciam habuit; Duk. Vide ad XXXIV, 48, 54.

2. *Omnibus ad orientem versis regibus gentibusque*, quorum regna, quarum sedes ad orientem versæ sunt, ut apud Plin. II, 108, et VII, 2, *gentes ad orientem versæ;* Duk. *Versus* tacite reposuit Gron. aut per errorem typographus, sed forsan recitus. *Versus ad* et *in* non quidem, quod sciam, Livius (nisi forte I, 18, n. 7), sed sæpe Cicero aliique dixere. — *Infamia intactum, invidia, qua possunt, urgent;* quum in bello civis

Digitized by Google

nibus in noctem perductis[3], prodicta dies est. Ubi ea venit, tribuni in Rostris prima luce consederunt. Citatus reus, magno agmine amicorum clientiumque, per mediam concionem ad Rostra subiit, silentioque facto, « Hoc, inquit, die, tribuni plebis, vosque Quirites, « cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis « in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque, quum « hodie litibus et jurgiis supersederi æquum sit, ego « hinc extemplo in Capitolium ad Jovem Optimum « Maximum, Junonemque et Minervam[4], cæterosque « deos qui Capitolio atque arci præsident, salu- « tandos ibo; hisque gratias agam, quod mihi et hoc « ipso die, et sæpe alias, egregie reipublicæ gerendæ « mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque « quibus commodum est, ite mecum, Quirites, et orate « deos, ut mei similes principes habeatis. Ita, si[5] ab « annis septemdecim ad senectutem semper vos æta- « tem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros

strenui ac patriæ studiosi gloriam ab omni probro integram servasset, in eum multis modis tentant invidiam publicam concitare. Ed.

3. *Orationibus in noctem perductis* (vide ad cap. 50, n. 1), *prodicta dies est;* vide ad II, 61, n. 6. — *Reus* cum *magno agmine... ad Rostra subiit;* vide ad I, 14, n. 4, et VII, 23, n. 5. Ad hæc et seqq. conf. auctores ad cap. 56, n. 2, laudati.

4. *In Capitolium ad Jovem, Junonem et Minervam,* etc. vide ad III, 17, n. 3. — *Qui Capitolio atque arci præsident;* vide ad I, 55, n. 6, et X, 17, n. 3. — *Reip. gerendæ;* vide ad II, 64, n. 3.

5. *Ita, si,* etc. quod quidem vos ita precari decet, si, etc. Conjicit hic Doering. *ite,* quod quidem repetitio foret præcedentis verbi *ite,* et satis apte accommodaretur ad id concitatius loquendi genus, quo Scipio populum hortatur, ut secum in Capitolium ascendat. Ed.—*Ab annis septemdecim,* pro *ab anno septimo decimo* (nisi ita leg.), scil. ætatis, ut ἀφ' ἥβης μέχρι πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν apud Ælian. V. H. II, 38, Drak. Cave vertas *seit* 17 *Jahren,* coll. cap. 52, n. 4: nam prius jam honores ceperat Scipio. Cf. XXII, 53, XXV, 2, et XXVI, 18; inpr. Polyb. X, 3, ubi tradit, Scipionem anno ætatis XVII turmæ equestri præfuisse et patrem servasse in pugna. Si anni honorum intelligendi, cum Periz. leg. *ab annis XXVII* ex XXV, 2. Sed ex loco Polyb. et adjectis verbis *ad senectutem* probabile fit, annos ætatis significari; quod et Drak. putabat. — *Vos ætatem meam honoribus vestris anteistis,* in me prius

Digitized by Google

« honores rebus gerendis præcessi ». Ab Rostris in Capitolium ascendit. Simul se universa concio avertit, et sequuta Scipionem est, adeo ut postremo scribæ viatoresque tribunos relinquerent, nec cum iis, præter servilem comitatum et præconem, qui reum ex Rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modo, sed per totam urbem omnia templa deum cum populo romano circumiit. Celebratior is prope dies favore hominum et æstimatione veræ magnitudinis[6] ejus fuit, quam quo triumphans de Syphace rege et Carthaginiensibus Urbem est invectus.

LII. Hic speciosus ultimus dies[1] P. Scipioni illuxit. Post quem quum invidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta, in Literninum concessit; certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. Major animus et natura erat, ac majori fortunæ assuetus, quam ut reus esse sciret, et submittere se in humilitatem causam dicentium[2]. Ubi dies venit, citarique absens est cœptus, L. Scipio morbum causæ esse[3], cur abesset, excusabat. Quam excusationem

honores contulistis, quam leges annales permitterent, *ego vestros honores rebus gerendis præcessi*, digniorem aliis me iis præstiti. Conf. ad Sil. II, 348.

6. *Æstimatione veræ m.* forte *vera;* Jac. Periz.

Cap. LII. 1. *Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni illuxit*, scilic. hic ultimus P. Scipioni fuit dies, quo publice magni viri ostenderet speciem. Ed. — *Die longiore*, longius, ulterius, *prodicta;* vide ad II, 61, n. 6. —*In Literninum* prædium, non vero, ut quædam edd. præferunt, *Liternum;* tunc enim, non usus esset Livius præpositione *in*, ut jam notavit Gebh. Cf. ad XLII, 16, n. 4, et de villa hac Scipionis Senec. Epist. 86; Plin. XIV, 4 seu 5, XVI, 44 seu 85. — *Quam ut reus esse sciret*, se reum esse. Cf. Drak. ad IX, 4, n. 1, *ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent*. Sic et *scire* I, 53, XXIV, 25, n. 5, et XLV, 32; eodemque modo *didicisse* dicitur pro posse; Ern.

2. *Submittere se in humilitatem c. d.;* vide ad XXVII, 31, n. 2.

3. *Morbum causæ esse* (ita h. l. et inf. not. 6, plurimi MSS; et doctius est, quam, quod quidam præferunt, *causam*), *cur abesset, excusabat;* vide ad VI, 22, n. 3. Hic *morbus* dicebatur *sonticus*. Conf. Intpp. Gell.

Digitized by Google

quum tribuni, qui diem dixerant, non acciperent, et ab eadem superbia non venire ad causam dicendam arguerent, qua judicium et tribunos plebis et concionem reliquisset, et, quibus jus de se dicendæ sententiæ et libertatem ademisset, his comitatus, velut captos trahens, triumphum de populo romano egisset, secessionemque eo die in Capitolium a tribunis plebis fecisset: « Habetis ergo temeritatis illius mercedem: quo duce et auctore nos reliquistis, ab eo « ipsi relicti estis: et tantum animorum in dies nobis « decrescit, ut, ad quem ante annos[4] septemdecim, « exercitum et classem habentem, tribunos plebis « ædilemque mittere in Siciliam ausi sumus, qui prehenderent eum, et Romam reducerent, ad eum privatum ex villa sua extrahendum, ad causam dicendam, mittere non audeamus? » Tribuni plebis, appellati[5] ab L. Scipione, ita decreverunt, *Si morbi causa excusaretur, sibi placere, accipi eam causam, diemque a collegis prodici.* Tribunus plebis eo tempore Ti. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiæ cum P. Scipione intercedebant. Is, quum vetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam exspectarent, ita decrevit:

XVI, 4. — *Ab eadem superbia;* vide ad I, 1, n. 5.

4. *Ad quem ante annos XVII* (a. Urb. cond. 548) *exercitum... reducerent;* vide ad XXIX, 20 sq. *ante annos XV exercitum* cod. Mog. *antea exercitum* reliqui MSS et edd. ante Aldum, qui recte substituit *XVII* pro *XV* (si alterutrum annum extremum numeramus, sive primum, sive ultimum, etsi et *XVI* legi possit, si utrumque extremum omittimus; Drakenb. Nam utraque annorum numerandorum ratio est Liviana; vide ad IV, 20, n. 7, et XLII, 10, n. 5), at perperam *annis*, cujus dictionis exemplum non aliud reperitur, quam dubium illud XL, 52 pr.

5. *Tribuni plebis appellati* (vide ad II, 27, n. 2) *ab L. Scipione*, etc. hæc est apodosis.—*Si morbi causa excusaretur;* vide ad VI, 22, n. 3. — *Diemque prodici;* vide ad II, 61, n. 6.— *Inimicitiæ cum P. Scipione* ob plerasque in republ. dissensiones; vid. Gell. VII, 19, et Val. Max. IV, 1.

Digitized by Google

Quum L. Scipio excuset morbum esse causæ[6] *fratri, satis id sibi videri. Se P. Scipionem, prius quam Romam redisset, accusari non passurum : tum quoque, si se appellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat. Ad id fastigium rebus gestis, honoribus populi romani, P. Scipionem deorum hominumque consensu pervenisse, ut sub Rostris reum stare, et præbere aures adolescentium conviciis, populo romano magis deforme, quam ipsi, sit.*

LIII. Adjecit decreto indignationem[1] : « Sub pedi-
« bus vestris stabit, tribuni, domitor ille Africæ, Sci-
« pio? Ideo quatuor nobilissimos duces Pœnorum in
« Hispania, quatuor exercitus fudit fugavitque : ideo
« Syphacem cepit, Hannibalem devicit, Carthaginem
« vectigalem nobis fecit, Antiochum (recepit enim
« fratrem consortem hujus gloriæ L. Scipio) ultra
« Tauri juga emovit, ut duobus Petilliis succumberet,
« vos de P. Africano palmam peteretis? Nullisne me-
« ritis suis, nullis vestris honoribus unquam in arcem
« tutam[2] et velut sanctam clari viri pervenient, ubi,
« si non venerabilis, inviolata saltem senectus eorum
« considat? » Movit et decretum, et adjecta oratio non cæteros modo, sed ipsos etiam accusatores ; et, deliberaturos se, quid sui juris et officii esset, dixerunt. Senatus deinde, concilio plebis dimisso, haberi est cœptus. Ibi gratiæ ingentes ab universo ordine,

6. *Scipio excuset morbum esse causæ ;* conf. n. 3 hujus capitis.

Cap. LIII. 1. *Adjecit decreto indignationem*, h. e. hæc verba cum indignatione quadam pronunciata. Ed. — *Quatuor nobilissimos duces P.* (Hasdrubales duos, Hamilcaris Gisgonisque filios, Magonem et Hannonem), *quatuor exercitus* (vide ad X, 25, n. 9), *fudit fugavitque*, in cod. Mogunt. *fudit negavitque*; at in reliquis MSS et edd. antt. *fudit, fugavit*, ut XXVIII, 28; XL, 48 et al.

2. *In arcem tutam*, securitatem et otium. Respicitur simul ad villam, in qua Scipio, postquam renuntiaverat publicis negotiis, etiam ante accusationem, considere solebat.

Digitized by Google

præcipue a consularibus senioribusque, Ti. Graccho actæ sunt, quod rempublicam privatis simultatibus potiorem habuisset; et Petillii vexati sunt probris, quod splendere aliena invidia[3] voluissent, et spolia ex Africani triumpho peterent. Silentium deinde de Africano fuit. Vitam Literni egit[4] sine desiderio Urbis. Morientem rure eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt, monimentumque ibi ædificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret. Vir memorabilis: bellicis tamen, quam pacis, artibus memorabilior prima pars vitæ, quam postrema, fuit; quia in juventa bella assidue gesta; cum senecta res quoque defloruere, nec præbita est materia ingenio. Quid ad primum consulatum secundus, etiamsi censuram adjicias? quid Asiatica legatio[5], et valetudine adversa inutilis, et filii casu deformata et post reditum necessitate aut subeundi judicii, aut simul cum patria deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum neque majus neque periculosius Romani gessere, unus præcipuam gloriam tulit.

LIV. Morte Africani crevere inimicorum animi: quorum princeps fuit M. Porcius Cato[1], qui, vivo quoque eo, allatrare ejus magnitudinem solitus erat.

3. *Splendere aliena invidia;* vide ad X, 24, n. 8.

4. *Vitam Literni egit;* conf. cap. præc. n. 1. Ed. — *Eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt, monimentumque ibi ædificari;* vide ad XLV, 38, n. 3; Strab. V, 4, n. 4, pag. 243, et Acron. ad Horat. Epod. IX, 26. Mox malim: *bellicis tamen, quam pacis, artibus memorabilior, et prima parte vitæ, quam postrema, fuit.* — Nostram vero lectionem omnes tuentur codd., teste Drak., omnesque editiones ante Elzevirianam Heinsii qui primus dedit: *vir memorabilis, bellicis tamen magis, quam pacis artibus. Memorabilior*, etc. Ed. — *Quid ad primum consulatum secundus;* vide ad XXII, 22, n. 11.

5. *Asiatica legatio*, etc. conf. ad XXXVII, 1, 34, 36, 37. — *Filii casu;* conf. supra cap. 51, n. 1. Ed.

Cap. LIV. 1. *Quorum princeps fuit M. Porcius Cato;* vide ad XXXIV, 1, n. 7. — *Allatrare ejus magnitudinem*, venuste de hominibus maledicis

Digitized by Google

Hoc auctore existimantur Petillii et, vivo Africano, rem ingressi, et, mortuo, rogationem[2] promulgasse. Fuit autem rogatio talis : « Velitis, jubeatis, quæra-« tur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege An-« tiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt; quod « ejus in publicum relatum non est, uti de ea re « Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat? « quem eam rem velit senatus quærere de iis, qui « prætores nunc sunt? » Huic rogationi primo Q. et L. Mummii intercedebant : senatum quærere de pecunia non relata in publicum, ita ut antea semper factum esset, æquum censebant. Petillii nobilitatem et regnum in senatu Scipionum accusabant. L. Furius Purpureo consularis, qui in decem legatis in Asia fuerat, latius rogandum censebat : non quæ ab Antiocho modo pecuniæ captæ forent, sed quæ ab aliis regibus gentibusque, Cn. Manlium inimicum incessens[3]. Et L. Scipio, quem magis pro se, quam adversus legem, dicturum apparebat, dissuasor processit. Is post mortem P. Africani fratris, viri omnium fortissimi clarissimique, eam exortam rogationem est conquestus. *Parum enim fuisse, non laudari pro Rostris*[4] *P. Afri-*

vel invidis vel ignavis, qui aliis se melioribus obtrectant, et frustra nocere conantur, metaphora a canibus traducta ignavis, qui latrant, non mordent nocentve. — Sic Martialis, V, 62, 1 et 2 : *Allatres licet usque nos et usque, Et gannitibus improbis lacessas.* Sic et apud Græcos ὑλακτεῖν, βαΰζειν. Conf. Quint. VIII, 6, 9; notas ad Sil. VIII, 290, nostræ edit. vol. I, pag. 492; Mitscherl. ad Horat. Epod. VI, 1, et Bentl. ad ejusdem Sat. II, 1, 85. Ed.

2. *Rogationem promulgasse;* vide ad IV, 58, n. 10, et XXXVIII, 36, n. 4. — *Velitis, jubeatis, quæ pecunia,* etc. pro, ut de ea pecunia *Sulpicius ad senatum referat.* Vox *quæratur* importuna est, et leg. *Quirites* cum Crever., Drakenb. et Brisson. de Form. II, pag. 130. — *Quod ejus in publicum relatum,* pro veteri lectione, *quod æs in p.* etc. vid. II, 9, n. 4, et V, 25, n. 5. Ed.

3. *Cn. Manlium inimicum incessens;* vide ad XXXIX, 6, n. 5.

4. *Non laudari pro Rostris;* vide ad II, 47, n. 6, et XXVI, 27, n. 4.

Digitized by Google

canum post mortem, nisi etiam accusaretur. Et Carthaginienses exsilio Hannibalis contentos esse: populum romanum ne morte quidem P. Scipionis exsatiari, nisi et ipsius fama sepulti laceretur[5], *et frater insuper, accessio invidiæ, mactetur.* M. Cato suasit rogationem (exstat oratio ejus de pecunia regis Antiochi), et Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne adversarentur rogationi. Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogassent, jusserunt.

LV. Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillia quærere vellent, Q. Terentium Culleonem Patres jusserunt. Ad hunc prætorem, adeo amicum Corneliæ familiæ, ut, qui Romæ mortuum[1] elatumque P. Scipionem (est enim ea quoque fama) tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse[2], memoriæ prodiderint, et ad portam Capenam mulsum prosequutis funus dedisse, quod ab eo inter alios captivos in Africa ex hostibus receptus esset; aut adeo inimicum eumdem, ut propter insignem simultatem ab ea factione, quæ adversa Scipionibus erat, delectus sit potissimum ad quæstionem exercendam; cæterum ad hunc nimis æquum aut iniquum prætorem reus extemplo factus L. Scipio; simul et delata et recepta nomina[3] legatorum ejus, A. et L. Hostiliorum Catonum, et C. Furii Aculeonis quæstoris, et, ut omnia contacta societate pe-

5. *Fama sepulti laceretur;* vide ad XXXIV, 41, n. 3. — *Accessio invidiæ;* vide ad VII, 30, n. 3. — *Mactetur,* perdatur. — *Tribus, uti rogassent,* sc. Petillii, *jussere;* vide ad XXX, 43, n. 2.

Cap. LV. 1. *Romæ mortuum elatumque;* vide ad II, 16, n. 5.

2. *Pileatum, sicut in triumpho Scipionis ierat, in funere quoque ante lectum* funebrem ejus *isse;* vide ad XXIV, 16, n. 9. — *Mulsum prosequutis funus dedisse;* Romani mulsum in deliciis habebant; vide ad X, 42, n. 9. — *Quod ab eo ex hostibus receptus esset;* vide ad XXX, 43.

3. *Delata et recepta nomina;* vide ad IX, 26, n. 5.

Digitized by Google

culatus[4] viderentur, scribæ quoque duo et accensus. L. Hostilius et scribæ et accensus, priusquam de Scipione judicium fieret, absoluti sunt; Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati: *Quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quam in ærarium retulerit; A. Hostilium octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria; Furium quæstorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta.* Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni. In L. Scipione malim equidem librarii mendum, quam mendacium scriptoris, esse in summa auri atque argenti. Similius enim veri est, argenti, quam auri, majus pondus fuisse; et potius quadragies, quam ducenties quadragies, litem[5] æstimatam: eo magis, quod, tantæ summæ rationem etiam ab ipso

4. *Contacta societate peculatus;* vide ad II, 5, n. 3, et XXXIII, 47, n. 1. — *Accensus;* vide ad I, 43, n. 13. — *Sex millia pondo auri,* h. e. supputante Crev. marcas 9,375; *quadringenta octoginta argenti,* marcas 750; *octoginta pondo auri,* marcas 125; *argenti quadring. tria,* marcas 629, uncias 5, semunciam 1; *auri pondo centum triginta,* marcas 203, unciam 1; *argenti ducenta (pondo)* marcas 312, uncias 4. Ed.

5. *Potius quadragies, quam ducenties quadragies, litem æstimatam;* « Credit ergo Livius, L. Scipionem judicatum, non *sex millia,* sed *mille pondo auri* plus accepisse, quam in ærarium retulisset: nam *mille pondo* auri sunt *quadragies HS.* Excurrentis summæ *quadringentorum octoginta pondo argenti* vel rationem in lite æstimanda habitam non fuisse, quod longe major erat summa auri, quam argenti, vel scriptores veteres rotundo numero usos fuisse, putat Budæus de asse, III, pag. 77. Posterius placet Gron. de Pec. vet. III, 7. » Duker. Nota Drak. est: « Livius conjecit, vitiata Antiatis verba, unde L. Scipioni *litem ducenties quadragies æstimatam* fuisse dicendum foret, ita emendanda esse, ut inde tantum *quadragies HS.* efficiatur. Id autem qua emendatione fieri possit, non addit. Glareani conjecturam refellit Perizon. Anim. Hist. cap. 10, pag. 423 sq. putatque, erratum a librario in numerorum notis, nempe ut IↃↃCIↃ, id est, *sex millia* pondo auri dederit pro IↃC seu *sexcentis,* et CCCC seu *quater centena* pro CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ vel CIↃ IↃↃ, id est, *quatuor millibus;* quæ notæ olim paulo convenientius inter se fuerunt scriptæ, ut docuit Petr. Servius in Juven. Fer. cap. 4. Sexcenta autem pondo auri et quatuor millia pondo argenti

Digitized by Google

P. Scipione requisitam esse in senatu, tradunt, librumque rationis ejus[6], quum Lucium fratrem afferre jussisset; inspectante senatu suis ipsum manibus concerpsisse, indignantem, quod, quum bis millies in ærarium intulisset, quadragies ratio ab se posceretur; ab eadem fiducia animi[7], quum quæstores pecuniam ex ærario contra legem promere non auderent, poposcisse claves[8], et se aperturum ærarium dixisse, qui, ut clauderetur, effecisset.

simul computata, exacte respondere *quadragies HS*: superesse quidem *octoginta* pondo argenti, quorum in summa ad HS redacta Livius rationem non habuit, quoniam ea rotundo numero, vel eodem, quo cætera, modo exprimi non poterant, quippe quum non una centena, sed tantum duo et triginta millia nummorum explerent. Plane quemadmodum in altera quoque summa, in quam Scipionem damnatum scripserat librarius, ad *ducenties quadragies* sestertium reducta fecit, ubi prætermissa ab eo est tota argenti summa *quadringentorum octoginta pondo* seu *CXCII* millium HS; sola enim *sex millia pondo auri* facere *ducenties quadragies HS* ». — *Litem æstimare*, propr. pretium rei summamve pecuniæ, de quibus lis est, vel quid solvendum sit reo, sive sit mulcta aliaque pœna, sive compensatio damni, ut XXIX, 9, n. 2; unde *voluntatis nostræ tacitæ velut litem æstimari*, occultæ voluntatis pœnam statui, quærive, qua pœna sit digna, XLV, 24 pr. ubi pro vulg. *tacite* Crev. et Drak. recte reposuerunt *tacitæ* ex emend. Jac. Periz. qui hæc notavit: Minime clam et tacite (neque etiam causa suberat) hæc agebant senatores, sed palam in senatu graves de Rhodiis dicebant sententias, atque ipse prætor publicam de bello illis indicendo rogationem promulgabat: verum legati Rhodiorum, quamvis satis libere ac ferociter loquuti essent, ut inde, quæ tacita eorum foret voluntas, colligi facile forsan posset, non tamen apertis verbis declaraverant, Perseo se favere; et verisimile est ac decuit, legatos suæ civitatis causam, quam maxime fieri potest, in hac oratione juvare. Ibidem Drak. monet *voluntati* etiam legi posse cum Gron., sed necesse haud videri, quum utraque constructio bene latina sit et apud Cic. quoque obvia. Conf. Ernesti Clav. Cic. et Ascon. Ped. ad Cic. Verr. I, 13. — *Ab ipso P. Scipione*, ut apud Gell. IV, 18; verum a L. Scipione, apud Val. Max. III, 7, § 1.

6. *Librumque rationis ejus*, quo acceptæ et expensæ pecuniæ illæ continerentur. — *Concerpsisse* pro *compressisse* ex emend. Sabell. et Budæi de asse, I, p. 204, cui favent Gell. et Val. Max. ll. ll.

7. *Ab eadem fiducia animi*; vide ad I, 1, n. 5.

8. *Poposcisse claves*, etc. cf. Plut. Apophth. pag. 196. — Hoc dictum Scipionis aliquid obscure habere notavit Crev. An ideo a se clausum esse ærarium dixit, quod in illud tantam

Digitized by Google

LVI. Multa alia, in Scipionis exitu maxime[1] vitæ, dieque dicta, morte, funere, sepulcro, in diversum trahunt[2]; ut, cui famæ, quibus scriptis assentiar, non habeam. Non de accusatore convenit; alii M. Nævium, alii Petillios diem dixisse scribunt: non de tempore, quo dicta dies sit: non de anno, quo mortuus sit: non ubi mortuus, aut elatus sit. Alii Romæ, alii Literni et mortuum, et sepultum: utrobique monimenta ostenduntur et statuæ. Nam et Literni monimentum monimentoque statua superimposita fuit, quam tempestate disjectam[3] nuper vidimus ipsi. Et Romæ extra portam Capenam in Scipionum monimento tres statuæ sunt; quarum duæ P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetæ Q. Ennii. Nec inter

pecuniam intulisset, ut jam opus non esset conferri a populo tributum, nec proinde ærarium ad tributum accipiendum aperiri? sed id nusquam memoratum, et exstincti tributi decus ad victoriam Paulli Æmilii de Perseo rege refertur. An ideo, quod perpetrato Punico bello finem attulerit sumptibus illis, quibus immensis exhaustum fuerat ærarium? Utrumque sensum respuit Doering. et hujus loci difficultatem sic explanat: « Ærariа, in quibus multum auri et argenti conditur, claudi et diligenter custodiri solent. Scipio igitur, quum in ærarium (sine dubio vacuum et proinde haud clausum) multum auri et argenti intulisset, ut id clauderetur, effecerat, h. e. ærarium multa auri argentique vi instruxerat ». Ed.

Cap. LVI. 1. *In Scipionis exitu maxime*, præcipue, *vitæ, dieque dicta* ei a tribunis pl.

2. *In diversum trahunt*, sc. auctores; vide ad I, 24, n. 2. — *Non habeam;* vide ad VI, 15, n. 9. — *Non de accusatore convenit* inter auctores (vide ad I, 3, n. 4): *alii M. Nævium, alii Petillios diem* ei *dixisse scribunt*, alii Petillios et Nævium, alii Petillium Actæum. Cf. XXXIX, 52; Gell. IV, 18; Valer. Max. III, 7, § 1; Victor de Vir. ill. c. 49; Polyb. XXIV, 9; Appian. Syr. 40, 41; Plut. Cat. pag. 344, et in Apophth. pag. 196. — *Elatus sit;* vide ad II, 16, n. 5.

3. *Quam tempestate disjectam*, etc. vide ad XXI, 49, n. 3. — *Tertia poetæ Q. Ennii.* Cic. pro Arch. P., 9: *Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore.* Quod factum argumento suo accommodavit nostras *Lebrun* in oda celebri quæ inscribitur *Exegi monumentum*, str. 3, v. 5-10: « Le fameux vainqueur de Numance, Par tant de palmes ennobli, Voulut, qu'en sa tombe honorée, D'Ennius l'image sacrée Le protégeât contre l'oubli ». Ed.

Digitized by Google

scriptores rerum[4] discrepat solum; sed orationes quoque, si modo ipsorum sunt quæ feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis nomen M. Nævii tribuni plebis habet: ipsa oratio sine nomine est accusatoris: nebulonem modo, modo nugatorem appellat. Ne Gracchi quidem oratio aut Petilliorum, accusatorum Africani, aut diei dictæ Africano ullam mentionem habet. Alia tota serenda fabula est Gracchi orationi conveniens; et illi auctores sequendi sunt, qui, quum L. Scipio et accusatus, et damnatus sit pecuniæ captæ ab rege, legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt: quo post famam de fratris casu allatam, relicta legatione, cucurrisse eum Romam[5], et, quum a porta recta ad forum se contulisset, quod in vincula duci fratrem dictum erat, repulisse a corpore ejus viatorem, et tribunis retinentibus, magis pie, quam civiliter, vim fecisse. Hinc enim ipse Gracchus queritur, dissolutam esse a privato tribunitiam potestatem; et ad postremum, quum auxilium L. Scipioni pollicetur, adjicit tolerabilioris exempli esse, a tribuno plebis potius quam a privato, victam videri et tribunitiam potestatem, et rempublicam esse. Sed ita hanc unam impotentem ejus injuriam[6] invidia onerat, ut, increpando quod degenerarit tantum a se ipse, cumulatas ei veteres laudes moderationis et temperantiæ pro repre-

4. *Inter scriptores rerum* seu annalium, seu historiarum *discrepat;* vide ad I, 3, n. 4. — *Orationes, quæ feruntur*, dicuntur esse, vel circumferuntur, *P. Scipionis*, etc. (confer XXXIX, 52) *abhorrent inter se*, discrepant: id propter illud *inter* insolentius dictum: Ern. Ad h. l. et ad seqq. conf. Gell. IV, 18.

5. *Cucurrisse eum Romam*, forte *accurrisse;* Drak. — *Magis pie quam civiliter*, ita ut ageret pium fratrem, magis quam observantem legum civem. Conf. VII, 5, n. 2. Ed.

6. *Impotentem ejus injuriam* (vide supra ad III, 36, n. 2) *invidia onerat*, in magnam scil. adducit invidiam seu odium.

Digitized by Google

hensione præsenti reddat. Castigatum enim quondam ab eo populum, ait, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere[7]: prohibuisse statuas sibi in comitio, in Rostris, in curia, in Capitolio, in cella Jovis poni; prohibuisse, ne decerneretur, ut imago sua triumphali ornatu e templo Jovis Optimi Maximi exiret.

LVII. Hæc, vel in laudatione posita, ingentem magnitudinem animi moderandis ad civilem habitum honoribus[1] significarent, quæ exprobrando inimicus fatetur. Huic Graccho minorem ex duabus filiis (nam major P. Cornelio Nasicæ haud dubie a patre collocata erat) nuptam fuisse convenit[2]. Illud parum constat, utrum post mortem patris et desponsa sit, et

7. *Quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere:* « eadem de moderatione Scipionis refert Val. Max. IV, 1, § 6. Sed in eo, quod ibi de imagine Scipionis in Capitolio dicit, deinde et a Livio, et a se ipse discrepat VIII, 15, § 1. Conf. et Appian. Hisp. 23. Cæterum miror, Livium rem tam memorabilem et ad mutandam totam formam reip. pertinentem per occasionem decreti Gracchi leviter tangere, quam in corpore ipso historiæ narrare et judicium suum de veritate illius interponere maluisse. Nam quod Graccho hunc sermonem tribuit, non satis argumenti est, eum fidem habuisse illis, qui hoc tradiderant; quandoquidem et alibi, quum sibi quædam parum certa videri significasset, deinde alios ea tanquam certissima affirmantes inducit; vide ad XXXVI, 40 Quidquid est, mihi res notabilior esse videtur, quam quæ in historia ipsa, cui sæpe multo leviora inserit, præteriri debuerit ». Duker.

Cap. LVII. 1. *Moderandis ad civilem habitum honoribus*, h. l. modum, honoribus non efferri, sed communem se tamen adversus omnes gerere; Ern. *Animi moderantis honoribus* cod. Mog. prob. Drak. coll. IV, 7; XXXI, 44; XXXVII, 35. Despicit cor grande honorem, despicit et pecuniam: quidquid enim facit, fit id virtutis amore, non præmii causa; Grut. coll. loco præclaro Claudiani de Cons. Mallii 1 sqq. — *Duabus filiis*, propr. *d. filiabus*, ut XXIV, 26 pr. sed illud quoque non sine exemplo est gratiusque h. l. auribus. — Laudat Gebhard. ad h. l. Trogi exemplum, VII, 3, *additis in convivium suum filiis et uxoribus*. Sic et Front. Strat. IV, 3, § 5, *filiis* (pro, filiabus) *Aristidis*. Ed.

2. *Nuptam fuisse convenit;* vide ad I, 3, n. 4. — *Illud parum constat, utrum post mortem patris et desponsa sit, et nupserit;* cf. Plut. Ti. Gracch. pag. 825; Polyb. XXXII, 13, n. 7, ibique Vales.

Digitized by Google

nupserit; an veræ illæ opiniones sint, Gracchum, quum L. Scipio in vincula duceretur, nec quisquam collegarum auxilio esset, jurasse, *Sibi inimicitias cum Scipionibus, quæ fuissent, manere, nec se gratiæ quærendæ causa quidquam facere; sed in quem carcerem reges et imperatores hostium ducentem vidisset P. Africanum, in eum se fratrem ejus duci non passurum.* Senatum, eo die forte cœnantem in Capitolio, consurrexisse, et petisse[3], ut inter epulas Graccho filiam Africanus desponderet: quibus ita inter publicum solenne sponsalibus rite factis, quum se domum recepisset, Scipionem Æmiliæ uxori dixisse, filiam se minorem despondisse. Quum illa, muliebriter indignabunda, nihil de communi filia secum consultatum, adjecisset, non, si Ti. Graccho[4] daret, expertem consilii debuisse matrem esse; lætum Scipionem tam concordi judicio, ipsi desponsam, respondisse. Hæc de tanto viro, quanquam et opinionibus, et monimentis literarum variarent, proponenda erant.

LVIII. Judiciis a Q. Terentio prætore perfectis, Hostilius et Furius damnati prædes eodem die[1] quæstoribus urbanis dederunt. Scipio, quum contenderet, omnem, quam accepisset, pecuniam in ærario esse, nec se quidquam publici habere, in vincula duci est

3. *Consurrexisse, et petiisse*, etc. Conf. Cic. ad Div. IV, 4.

4. *Non, si Ti. Graccho daret*, etc. vide ad V, 51, n. 1. Ideo Æmilia meminit Gracchi, marito suo inimicissimi, quod eo tempore juventutis rom. præstantissimus foret; quasi diceret, non oportuisse, ut maritus de nuptiis communis filiæ se inconsulta ageret; ne tum quidem, si eam optime elocaret, et principi juventutis Ti. Graccho desponderet; Drak. Corneliam virtutis causa Graccho placuisse, tradit Plut. Gracch. pag. 824. — *Ipsi desponsam, respondisse.* Libros omnes testatur Gebh. præferre *et ipsi desponsam.* Delevit *et* Gelen., tanquam inutile atque ingratum. Walchii vero Emend. pag. 101, nudum illud *ipsi* neminis animum explere dicit, et scribi jubet *ei ipsi.* Ed.

Cap. LVIII. 1. *Prædes eodem die,*

cœptus. P. Scipio Nasica tribunos appellavit[2], orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliæ gentis, sed propriæ familiæ suæ. *Parentes suos et P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. et P. Scipiones, clarissimos viros. Eos, quum per aliquot annos in terra Hispania, adversus multos Pœnorum Hispanorumque et duces et exercitus, nominis romani famam auxissent, non bello solum, sed quod romanæ temperantiæ fideique specimen illis gentibus dedissent, ad extremum ambo pro republica morte occubuisse. Quum illorum tueri gloriam posteris satis esset, P. Africanum tantum paternas superavisse*[3] *laudes, ut fidem fecerit, non sanguine humano, sed stirpe divina satum se esse. L. Scipionem, de quo agatur (ut, quæ in Hispania, quæ in Africa, quum legatus fratris esset, gessisset, prætereantur), consulem et ab senatu dignum visum, cui extra sortem Asia provincia et bellum cum Antiocho rege decerneretur, et a fratre, cui, post duos consulatus, censuramque et triumphum, legatus in Asiam iret. Ibi, ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret, forte ita incidisse, ut, quo die ad Magnesiam signis collatis L. Scipio Antiochum devicisset, æger P. Scipio Elææ dierum aliquot via abesset. Non fuisse minorem eum exercitum, quam Hannibalis, cum quo in Africa esset pugnatum: Hannibalem eumdem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator punici belli fuerit.*

etc. vide ad III, 13, n. 9. Ad hæc et seqq. conf. Gell. VII, 19.

2. *Nasica tribunos appellavit;* vide ad II, 27, n. 2.

3. *Paternas superavisse laudes;* vide ad X, 30, n. 1. — *Stirpe divina satum se esse;* vide ad XXVI, 19, n. 6. — *Hannibalem eumdem fuisse inter multos alios regios duces;* vide Excurs. ad XXXVII, p. 192. Ed.

Digitized by Google

Et bellum quidem ita gestum esse, ut ne fortunam quidem quisquam criminari possit. In pace crimen quæri: eam dici venisse. Hic decem legatos simul argui, quorum ex consilio data pax esset. Quin exstitisse ex decem legatis, qui Cn. Manlium accusarent: tamen non modo ad criminis fidem[4], *sed ne ad moram quidem triumphi eam accusationem valuisse.*

LIX. *At, Hercule, in Scipione ipsas leges pacis, ut nimium accommodatas Antiocho, suspectas esse. Integrum enim ei regnum relictum: omnia possidere eum victum, quæ ante bellum ejus fuerint: auri et argenti quum vim magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in privatum versum*[1]. *An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in unum conferatur, sit latum? Nam quid de finibus regni dicam? Asiam omnem et proxima Europæ tenuisse Antiochum? Ea quanta regio orbis terrarum sit, a Tauro monte in Ægæum usque prominens mare, quot non urbes modo, sed gentes amplectatur, omnes scire. Hanc regionem, dierum plus triginta in longitudinem*[2], *decem inter duo maria in*

4. *Non modo* non *ad criminis fidem;* vide ad I, 40, n. 1.

Cap. LIX. 1. *Nihil in publicum relatum, omne in privatum versum;* vide ad II, 9, n. 4.

2. *Hanc regionem, dierum plus triginta,* sc. iter seu viam *in longitudinem,* etc. « forte *viginti* pro *triginta,* ut sit dupla ratio longitudinis ad latitudinem: quanquam ne hoc quidem verum est. Siquidem Herodotus, lib. I et II, Asiæ hujus latitudinem a Cilicio mari ad pontum Euxinum quinque dierum iter expedito facit. Verum Scipio hic omnia exaggerat. » Glar. — Cæterum monet Drakenb. præpositionem *in* utroque loco abesse a priscis edd. Videntur librarii eam utrobique dedita opera delevisse, ut ita jungerent: *regionem patentem longitudinem dierum plus triginta,* quia displicebat ellipsis *patentem dierum plus triginta,* scil. iter, vel viam (vid. inferius quod de voce *dies* notatum est). Optime tamen præpositionem ex membranis suis addiderunt Moguntini. Justin. II, 2, *multum in longitudinem et latitudinem patet.* Cæsar de

Digitized by Google

latitudinem patentem, usque ad Tauri montis juga Antiocho ademptam, expulso in ultimum angulum orbis terrarum. Quid, si gratuita pax esset, plus adimi ei potuisse? Philippo victo Macedoniam, Nabidi Lacedæmonem relictam; nec Quintio crimen quæsitum: non enim habuisse eum Africanum fratrem; cujus quum gloria prodesse L. Scipioni debuisset, invidiam nocuisse. Tantum auri argentique judicatum esse in domum L. Scipionis illatum, quantum, venditis omnibus bonis, redigi non posset. Id ubi ergo esse regium aurum? ubi tot hereditates acceptas? In domo, quam sumptus non exhauserint, exstare debuisse novæ fortunæ cumulum. At enim, quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per vexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos; ut in carcerem[3] *inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus includatur, et in robore et tenebris exspiret, deinde nudus ante carcerem projiciatur. Non id Corneliæ magis familiæ, quam urbi romanæ, fore erubescendum.*

LX. Adversus ea Terentius prætor rogationem Petilliam et senatusconsultum et judicium de L. Scipione factum recitavit: se, ni referatur pecunia in

B. G. I, 2, *in longitudinem millia passuum ducenta quadraginta, in latitudinem centum octoginta patebant.* Ed.—*Dies* h. l. ponitur pro via vel itinere diei, ut jam dictum est. Quod durius Creverio videtur; sed ellipticam hanc loquendi rationem confirmant exempla Ciceronis a Drakenb. allata: ad Attic. V, 16, *nos in castra properabamus, quæ aberant bidui;* et Epist. 17, *quum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui.* Ed.

3. *In carcerem... includatur;* multi codd. exhibent *in carcere.* Utraque cæterum locutio Livio in usu fuit. XXIV, 19, *ibi in carcere inclusi sunt;* XXXI, 17, *infantes etiam cum suis nutricibus in gymnasium includi juberent;* XXXVIII, 15, *cum conjugibus ac liberis in arce inclusos se mortem exspectare;* eodem libro, cap. 42, *consules ambos in valles Ligurum includi.* Ed. — *In robore et tenebris exspiret;* vide ad I, 33, n. 11. — *Nudus ante c. projiciatur,* inhumatus; vide ad I, 49, n. 1.

Digitized by Google

publicum[1], quæ judicata sit, nihil habere, quod faciat, nisi ut prehendi damnatum, et in vincula duci jubeat. Tribuni quum in consilium[2] secessissent, paulo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum, præter Gracchum, sententia pronuntiavit, *prætori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur.* Ti. Gracchus ita decrevit: *Quo minus ex bonis L. Scipionis, quod judicatum sit, redigatur, se non intercedere prætori. L. Scipionem (qui regem opulentissimum orbis terrarum devicerit, imperium populi romani propagaverit in ultimos terrarum fines, regem Eumenem, Rhodios, alias tot urbes Asiæ devinxerit populi romani beneficiis, plurimos duces hostium in triumpho ductos carcere incluserit*[3]*) non passurum inter hostes populi romani [L. Scipionem] in carcere et in vinculis esse, mittique eum se jubere.* Tanto assensu auditum est decretum, adeo dimissum L. Scipionem læti homines viderunt, ut vix in eadem civitate videretur factum judicium. In bona deinde L. Scipionis possessum publice quæstores prætor misit[4]: neque in iis non modo vestigium ullum compa-

Cap. LX. 1. *Ni referatur pecunia in publicum;* vide ad II, 9, n. 4. Ad hæc et sqq. conf. Gell. VII, 19, qui pro *Terentio prætore* memorat C. Minucium Augurinum trib. pl. — *Quæ judicata sit*, quæ mulcta judicio statuta sit; sic infra, *quod judicatum sit.* Ed.

2. *Tribuni quum in consilium secessissent* (vide ad XLV, 36, n. 7), *Fannius ex sua collegarumque..... sententia pronuntiavit* decretum (cujus verba ipsa memoravit Gell. l. l.) *de* scripto: nam et tribunorum pl. sententiæ in tabellis concipiebantur; vid. Gron. Obss. IV, 1.

3. *Plurimos duces hostium in triumpho ductos carcere incluserit*, ubi necari vel in robur dejici solebant, ut ignobiliores captivi sub corona vendi. Conf. I, 33, n. 11; Epit. lib. LXVII; Cic. Verr. V, 30; Tacit. Ann. XII, 19, n. 3. Mox verba *L. Scipionem*, uncinis inclusa, videri delenda, jam alii monuere. — Sed fortasse Livius, ut observat Doering., ob longiorem interjectam parenthesim, vel perspicuitatis gratia, data opera illud repetiit, vel ejus ab initio jam positi, quod optimis quibusque scriptoribus accidere solitum, immemor fuit. Ed.

4. *In bona Scipionis possessum...*

Digitized by Google

ruit pecuniæ regiæ, sed nequaquam tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat. Collata pecunia a cognatis amicisque et clientibus est L. Scipioni, ut, si acciperet eam, locupletior aliquanto esset, quam ante calamitatem fuerat. Nihil accepit : quæ necessaria ad cultum erant, redempta ei a proximis cognatis sunt : verteratque Scipionum invidia in prætorem et consilium ejus et accusatores.

misit; vide ad XXIV, 45, n. 6. — *Redempta ei,* empta.—*Verteratque,* pro, se verterat, ut passim apud Liv. vide ad II, 3, n. 2. — Quum animo tot clarissimi viri occurrunt, in quos absurdæ contextæ sunt criminationes, quis non cum Cicerone (Orat. pro Milone, 63) exclamet! « Miseros interdum cives, optime de republica meritos! in quibus homines non modo res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. » Ed.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XXXIX.

BREVIARIUM.

Cap. I; Consules ambo bellum gerunt in Liguribus; quæ provincia semper Romanos maxime ad virtutem acuit. — II; Ligures Friniates, Apuanos aliosque cis et trans Apenninum subigunt; et pacata provincia, ne in otio habeant militem, C. Flaminius a Bononia Arretium, et M. Æmilius Lepidus ab Placentia Ariminum perducit viam. — III; M. Furius prætor, qui in Gallia insontibus Cenomanis arma ademerat, ea reddere, et decedere provincia jubetur. Magna Latinorum multitudo, quæ Romam commigraverat, cogitur domos redire. — IV; M. Fulvius proc., ex Ætolia reversus, triumphum petit agitque causam suam adversus M. Aburium trib. pl., qui intercessurum se ostendit, si quid de ea re decernatur ante M. Æmilii cos. adventum. — V; Is, oratione Ti. Gracchi collegæ castigatus, remittit intercessionem, et triumphus decernitur agiturque. — VI; Consules (Sp. Postumius Albinus et Q. Marcius Philippus) prætoresque creantur. Ex Gallogræcia triumphat Cn. Manlius Vulso, qui disciplinam militarem omni genere licentiæ corruperat, primusque luxuriam peregrinam ex Asia invehit in Urbem. — VII; Triumphus ejus. Consultatio senatus de bello adversus Celtiberos Lusitanosque gerendo. Ludi Romani et plebeii. Malus in circo instabilis in signum Pollentiæ procidens. — VIII; Prætores sortiuntur provincias: consulibus autem decernitur quæstio de Bacchanalibus, sacris occultis nefandisque, quæ græcus vates et sacrificulus in Etruriam primus invexerat. — IX; Romæ, quo

Digitized by Google

hujus mali tabes ex Etruria penetraverat, P. Æbutius adolescens, auctoribus Duronia matre et vitrico T. Sempronio Rutilo, Bacchis initiari non recusat, consiliique participem facit meretricem nobilem libertinam Hispalam Feceniam, quæ eum et amore complectitur et munificentia sustinet. — X; Hæc orat et obsecrat, ne se eo præcipitet, ubi omnia nefanda patienda primum, deinde facienda sint. — XI; Ob mutatam voluntatem a matre ille et vitrico exigitur domo, et ad Æbutiam se amitam confert; ex cujus auctoritate rem defert ad Postumium consulem. Is Sulpiciam rogat, socrum suam, ut arcessat ad sese primum Æbutiam, — XII; deinde Hispalam. Illa indicium confirmat: hæc perturbata diu hiscere non potest; tandem confirmata, initiatam quidem se non infitiatur, sed negat se scire, quid in Bacchanalibus fiat. — XIII; Incitata deinde cohortatione Sulpiciæ, minisque consulis perterrita, originem sacrorum expromit. — XIV; Tum rem, sine ullo tumultu investigatam, Postumius defert ad senatum; qui quæstionem de Bacchanalibus extra ordinem mandat consulibus, et sacerdotes ejus sacri in Urbe ac per totam Italiam conquiri jubet. — XV, XVI; De eadem re consul ad populum habet concionem. — XVII; Recitato SCto et edicto consulum proposito, in tota Urbe et Italia trepidatur, et multi comprehenduntur initiati quatuorque conjurationis capita. — XVIII; Qui tantum initiati erant, expertes nefandorum facinorum, in vincula conjiciuntur; qui vero, jurejurando obligati, jam scelera in se aliosve admiserant, capitali afficiuntur pœna: et SCto cavetur, ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia sint. — XIX; Præmia Æbutii, Hispalæ cæterorumque indicum. — XX; Q. Marcius consul in Ligures proficiscitur, et ab hoste circumventus in saltu, qui inde Marcius est appellatus, magnam militum, signorum armorumque vim amittit. — XXI; Ex Hispaniis nuntiantur res prospere a C. Atinio adversus Lusitanos et a L. Manlio Acidino adversus Celtiberos gestas. — XXII; Taurilia facta, et deinde ludi magni, a M. Fulvio Jovi olim voti, in quibus primum certamen athletarum, venatio ferarum, græcorumque artificum et ludicrorum varietas Romanis spectaculo est. Novemdiale sacrum et supplicatio ob prodigia. Semimas necatur. Galli Transalpini, transgressi in Venetiam, haud procul inde, ubi nunc Aquileia est, locum oppido condendo capiunt. Ludi, a L. Scipione facti. — XXIII; Consules (Ap. Claudius Pulcher et M. Sempronius Tu-

Digitized by Google

ditanus) prætoresque creantur; et Sipontum Buxentumque deducuntur coloni. Philippus, iratus Romanis, civitates quasdam armis subigit, — XXIV; et omni cura in pace auget regni opes. Hinc legati tam Thessalorum, Thracum, Eumenis et Athamanum, quam Philippi Romam veniunt; illi ad querendum, hi ad crimina purganda. Quam ob causam legati rom. in Thessaliam mittuntur, ut in concilio controversias illorum disceptent.—XXV - XXVIII; Ibi Philippus ipse accusatoribus respondet, et graviter offenditur. — XXIX; L. Manlius ob res in Hispania gestas ovans init Urbem; et L. Postumius prætor quæstionem severe exercet de conjuratione pastorum, qui in Apulia vias pascuaque publica latrociniis infesta habuerant. — XXX, XXXI; In Hispania prætores C. Calpurnius et L. Quintius, communi animo consilioque rem gerentes, ab hostibus funduntur; sed, contractis sociorum auxiliis, ingenti eorum clade priorem delent ignominiam. — XXXII; Consules in Liguribus res prospere gerunt, et Ap. Claudius propere Romam redit, comitiorum a collega habendorum causa, quibus P. Claudius frater ejus cum aliis hominibus gratiosis consulatum petit. Ea magnis Patrum tribunorumque plebei contentionibus aliquoties turbantur, donec, dejectis competitoribus cæteris, locum suum tenent P. Claudius, effuso fratris studio adjutus, et L. Porcius Licinus. Prætorum inde comitia habentur. — XXXIII; Legati et Romani, et Philippi, Eumenis Thessalorumque redeunt Romam, et nova legatio, cujus princeps Ap. Claudius est, in Macedoniam et in Græciam decernitur ad visendum, redditæne a Philippo civitates Thessalis ac Thracibus sint, et ad disceptandum inter Achæos et Lacedæmonios. — XXXIV; Philippus, de ea re a suis certior factus, in Maronitas iram effundit, et legatos rom. haud lætos dimittit. — XXXV; Ad moram tamen novo bello faciendam Demetrium, minorem filium, mittere Romam statuit. Interim in Peloponneso ante adventum legationis rom. indicitur a Lycorta prætore concilium, et in eo capitis damnantur Alcibiades et Areus, spartani exsules, qui, ab Achæis in patriam restituti, eosdem Romæ accusaverant. — XXXVI, XXXVII; In alio deinde concilio, legatis rom. dato, idem Lycortas gravem habet orationem: sed vox Appii, cum omnium gemitu audita, metum injicit Achæis imperata recusandi. — XXXVIII; Provinciæ magistratuum novorum; et contentio Patrum de exercitibus hispaniensibus,

Digitized by Google

quos alii deportandos censent, alii supplendos. — XXXIX; Præturam urbanam, C. Domitii morte vacuam, acrius aliis et contra leges petit Q. Fulvius Flaccus, ædilis curulis designatus; sed, favore populi in eum inclinante, consul ejus nomen accipere recusat, et, novo, etiam tribunorum, certamine orto, senatus P. Cornelio utramque in Urbe dat jurisdictionem.—XL; Mox plures potentioresque viri summa contentione censuram petunt: quos longe anteit M. Porcius Cato, homo ingenii ad omnia versatilis invictique a cupiditatibus animi, eloquentissimus, juris reique militaris peritissimus, et acerrimus nobilitatis adversarius. — XLI; Non ipse modo censor fit, sed ejus quoque opera L. Valerius Flaccus, qui collega in consulatu fuerat. Novæ veneficii et Bacchanalium quæstiones. — XLII; C. Calpurnius Piso et L. Quintius de Lusitanis Celtiberisque triumphant. Censores septem movent senatu, ex quibus unum insignem nobilitate et honoribus, L. Quintium Flamininum, infamem libidine — XLIII; et crudelitate. — XLIV; Alia asperæ nobilisque hujus censuræ indicia. Coloniæ Potentiam et Pisaurum deductæ. —XLV; Consules (M. Claudius Marcellus et Q. Fabius Labeo) prætoresque creantur; et hi sortiuntur provincias, illis Ligures decernuntur. — XLVI; P. Licinio Crasso pontifice max. mortuo cooptatur pontifex, et pontifex max. creatur; funeris autem causa dantur visceratio, gladiatorium munus, ludi funebres et epulum in foro. Legationes Eumenis multarumque civitatum transmarinarum Romam veniunt ad querendum de Philippo. — XLVII; Hujus filius minor, Demetrius, ad pleraque respondet e commentario patris, alia excusans, alia promittens; et cum honorifico senatus rom. responso dimittitur. — XLVIII; Disceptationes Lacedæmoniorum Achæorumque dirimuntur Romæ SCto: atque legatus in Macedoniam mittitur Q. Marcius, et in Peloponnesum, ubi Messene desciverat a concilio Achaico. — XLIX; Philopœmen capitur a Messeniis, — L; et venenum sibi datum impavide sumit. — LI; Eodem anno Hannibal, — LII; et P. Scipio obiisse dicuntur. — LIII; Demetrio judicia et mentio senatus rom., quantam dignitatem apud Macedonas, tantam invidiam, non apud Persea modo fratrem, sed etiam apud patrem conciliant: at Philippus, quamvis mœrens gemensque, obedienter tamen facit, quæ legati rom. postulant, ne quam movendi extemplo belli causam præbeat, et, avertendos quoque animos a suspicione talium consiliorum ratus,

Digitized by Google

mediam in Thraciam exercitum adversus Barbaros ducit. — LIV; Galli Transalpini se dedunt Marcello consuli, et jussu senatus rom. Italia excedunt. — LV; Aquileia, Mutina, Parma et Saturnia coloniæ deducuntur.— LVI; Res in Hispaniis gestæ. Comitia creandis consulibus (Cn. Bæbio Tamphilo et L. Æmilio Paullo) prætoribusque. Supplicatio prodigiorum causa.

I. Dum hæc (si modo hoc anno acta sunt[1]) Romæ aguntur, consules ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hostis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem disciplinam[2] erat; nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat. Nam Asia, et amœnitate urbium, et copia terrestrium maritimarumque rerum, et mollitia hostium regiisque opibus, ditiores, quam fortiores, exercitus faciebat. Præcipue sub imperio Cn. Manlii solute ac negligenter habiti sunt. Itaque asperius paulo iter in Thracia[3], et exercitatior hostis magna clade eos castigavit. In Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent: loca montana et aspera, quæ et ipsis capere labor erat, et ex præoccupatis dejicere hostem: itinera ardua, angusta, infesta insidiis: hostis

Cap. I. 1. *Si modo hoc anno acta sunt:* nam de dissensu scriptorum vide ad XXXVIII, 56, 57.

2. *Natus ad continendam inter intervalla bellorum disciplinam;* vide ad V, 37, n. 7; XXII, 22, n. 9; XXIX, 19, n. 1. *Inter intervalla,* quod Aldus e cod. Mogunt. recepit, pro: in intervallis, interea dum sunt intervalla, ut cap. 28, *inter inducias,* et XLII, 52, *inter apparatum belli;* Drak. Conf. ad IV, 18, n. 2, et Drak. ad VI, 24, n. 10. *Per intervalla* reliqui MSS et edd. vett. prob. Crev. ne τὸ *inter* repetatur. — *Solute,* indulgenter, adeo ut disciplinæ militari haud adstricti milites licentius se ac solutius gererent. Ed.

3. *Asperius paulo* (vide ad XXII, 60, n. 9) *iter in Thracia,* etc. conf. XXXVIII, 40 (ubi vid. n. 1), et 41. — *Quæ et ipsis capere labor erat,* immo *ipsa,* sc. etiamsi nemo obstaret ac depelleret; Gron. Præterea *esset* pro *erat;* Crev. Mox Gronov. non spernebat τὸ *angusta,* quod in Moguntino codice se reperisse testatur: sed, quoniam in MSS et editionibus antt. legitur *accepta* et *septa* et *ac septa,* conj. *obsepta,* ut II, 6; IV, 25; IX, 34, 43; XXV, 39. — *Infesta;* vide ad I, 7, n. 7, et Drak.

Digitized by Google

levis et velox et repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret: oppugnatio necessaria munitorum castellorum, laboriosa simul periculosaque: inops regio, quæ parcimonia adstringeret milites[4], prædæ haud multum præberet. Itaque non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat: nihil, præter arma et viros omnem spem in armis habentes, erat. Nec deerat unquam cum iis vel materia belli, vel causa, quia propter domesticam inopiam vicinos agros incursabant: nec tamen in discrimen summæ[5] rerum pugnabatur.

II. C. Flaminius consul, cum Friniatibus Liguribus[1] in agro eorum pluribus præliis secundis factis, in deditionem gentem accepit, et arma ademit. Ea quia non sincera fide tradebant, quum castigarentur, relictis vicis, in montem Auginum confugerunt[2]. Confestim sequutus est consul. Cæteri effusi rursus, et pars maxima inermes, per invia et rupes deruptas præcipitantes, fugerunt, qua sequi hostis non posset. Ita trans Apenninum abierunt. Qui castris se tenuerant, circumsessi expugnati sunt. Inde trans Apenninum ductæ legiones. Ibi montis, quem ceperant, altitudine paulisper se tutati, mox in deditionem concesserunt. Tum conquisita cum intentiore cura arma, et omnia adempta. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum Bononiensemque ita incursaverant, ut coli non posset. His

4. *Inops regio, quæ parcimonia adstringeret milites*, efficeret, ut parce vivere deberent: quidam MSS *parcimoniam a. milites*, h. e. causa esset, ut milites jam antea parce vivere soliti, adhuc parcius viverent; Drak.

5. *Discrimen summæ rerum;* vide ad III, 5, n. 6, et VI, 17, n. 1.

Cap. II. 1. *Cum Friniatibus Liguribus;* conf. n. 5.

2. *Montem Auginum*, hodie forsan *Monte Codoro*. — *Ad Apuanos Li-*

Digitized by Google

quoque perdomitis, consul pacem dedit[3] finitimis; et, quia, a bello quieta ut esset provincia, effecerat, ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit Arretium[4]. M. Æmilius alter Consul agros Ligurum vicosque, qui in campis aut vallibus erant, ipsis montes duos Balistam Suismontiumque tenentibus, deussit depopulatusque est: deinde eos, qui in montibus erant, adortus, primo levibus prœliis fatigavit; postremo coactos in aciem descendere justo prœlio devicit: in quo et ædem Dianæ vovit. Subactis eis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus (in his et Friniates Ligures erant, quos non adierat[5] C. Flaminius) omnes Æmilius subegit, armaque ademit, et de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Ligu-

gures, ab oppido Apua ad flumen Macram; cf. infra, XL, 41. Ed.

3. *Consul pacem dedit finitimis;* vide ad VII, 1, n. 2.

4. *Ne in otio militem haberet* (vide ad Tacit. Ann. I, 35, n. 5), *viam a Bononia perduxit Arretium;* vide ad XXII, 11, n. 3. Huic viæ Flaminiæ alter consul, M. Æmilius Lepidus, quod mox refertur, *commisit* (vide ad XXXVIII, 4, n. 3) Æmiliam *viam, ab Placentia Ariminum perductam.* Conf. ad XXII, 11, n. 3, et Strab. V, 1, § 11, p. 217, qui non eadem tradit. — Nimirum credidit Strabo, ut notat Crev., celebrem illam et a multis memoratam Flaminiam viam, quæ ab Roma ad Ariminum perducta fuerat, munitam esse ab hoc consule C. Flaminio. At illa opus est Flaminii Censoris, illius ipsius qui in pugna ad Trasimenum lacum periit, et est hujusce Flaminii consulis pater. Id testantur Cassiodorus et Festus. Vide supplementa Freinshemii, lib. XX, cap. 58. Et firmat ipse Livius, dum mentionem facit, XXII, 11, multo ante hæc tempora, Flaminiæ viæ, et in ea urbis Ocriculi, quæ urbs in Itinerario quoque Antonini prima occurrit in Flaminia via ab Roma Ariminum euntibus. Ed. — *Montes Balistam Suismontiumque*, hodie *monte Cervero* et *monte Penese*. Ed.

5. *Transmontanos adortus (in his et Friniates Ligures erant, quos non adierat C. Flaminius);* pro vulg. *Friniates* et, quod quidam libri habent, *Frisinates*, ex emend. Sigon. recte forsan *Briniates* edidere Gronov. et alii. Nam Friniates a Flaminio subacti (vid. princ. huj. cap.), et *Briniates transmontani*, trans Apenninum, in septemtrionali ejus latere, erant (vid. XLI, 19 pr.); nisi in utroque Apennini latere sedes habuerunt. Contra Cluver. Ital. ant. I, 8, et 10, pag. 58, 76 sq. servat h. l. *Friniates* et XLI, 19, eos substituit, at supra pr. cap. *Briniates*, hisque sedes dat in meridiali latere Apennini, et caput regni *Briniam* vel *Brinium* opp. ad Boacten

Digitized by Google

ribus, in agrum gallicum exercitum duxit[6]; viamque ab Placentia, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. Prælio ultimo, quo cum Liguribus signis collatis conflixit, ædem Junoni Reginæ vovit. Hæc in Liguribus eo anno gesta.

III. In Gallia M. Furius prætor insontibus Cenomanis, in pace speciem belli quærens, ademerat arma. Id Cenomani conquesti Romæ apud senatum, rejectique ad consulem Æmilium[1], cui, ut cognosceret statueretque, senatus permiserat, magno certamine cum prætore habito, tenuerunt causam[2]: arma reddere Cenomanis, decedere provincia prætor jussus. Legatis deinde sociorum latini nominis, qui toto undique ex Latio frequentes convenerant, senatus datus est[3]. His querentibus, magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse, et ibi censos esse, Q. Terentio Culleoni prætori negotium datum est, ut eos conquireret, et, quem C. Claudio, M. Livio censoribus, postve eos censores, ipsum parentemve ejus apud se censum esse, probassent socii, ut redire eo cogeret, ubi censi essent. Hac conquisitione duodecim millia

fl., hod. *Brignolo* seu *Brignalo*; Friniatibus antiquam sedem, *Val di Prino*, in latere septemtr. Apennini.

6. *Pacatis Liguribus in agrum gallicum e. duxit*; vide ad II, 59, n. 5, et XXI, 48, n. 7. — *Viamque ab Placentia*, etc. vid. n. 4. — Non ea, ut monent Crev. et Doering., intelligenda est via quam collega hujus Æmilii Flaminius a Bononia Arretium perduxisse modo memoratus est; hic Flaminia via accipienda est ea quæ ab Roma Ariminum ducebat. Ed.

Cap. III. 1. *Rejectique ad consulem Æm.* vide ad II, 22, n. 4.

2. *Tenuerunt causam*, ut al. *causam obtinere* et *vincere*; vide ad II, 42, n. 2; Drak. ad h. l. et ad XXIII, 20, n. 10; Ernesti Clav. Cic. voc. *tenere*. — *Decedere provincia prætor jussus* a consule. Conf. ad XXXII, 7, n. 4.

3. *Senatus datus est legatis*; vide ad VIII, 5, n. 1. — *Magnam multitudinem civium suorum... onerante*; conf. XLI, 8, n. 9; XLII, 10, et Ernesti Clav. Cic. pag. 31, de lege Papia, a C. Papio trib. pl. a. Urb. 688 lata, *ut peregrini Urbe pellerentur*, etc.

Digitized by Google

Latinorum domos redierunt, jam tum multitudine alienigenarum Urbem onerante.

IV. Prius quam consules redirent Romam, M. Fulvius proconsul ex Ætolia rediit; isque[1], ad ædem Apollinis in senatu quum de rebus in Ætolia Cephalleniaque ab se gestis disseruisset, petiit a Patribus, ut æquum censerent, ob rempublicam bene ac feliciter gestam, et diis immortalibus honorem haberi jubere, et sibi triumphum decernere. M. Aburius[2] tribunus plebis, si quid de ea re ante M. Æmilii consulis adventum decerneretur, intercessurum se ostendit: *eum contradicere velle, proficiscentemque in provinciam ita sibi mandasse, ut ea disceptatio integra in adventum suum servaretur. Fulvium temporis jacturam facere*[3]*: senatum etiam præsente consule, quod vellet, decreturum.* M. Fulvius: *Si aut simultas M. Æmilii secum ignota hominibus esset, aut quam is eas inimicitias impotenti ac prope regia ira exerceret; tamen non fuisse ferendum, absentem consulem et deorum immortalium honori obstare, et meritum debitumque triumphum morari: imperatorem, rebus egregie gestis, victoremque exercitum cum præda ac captivis ante portas stare, donec consuli, ob hoc ipsum moranti, redire Romam*

Cap. IV. 1. Pro *isque* legebatur in recentioribus edd. *itaque*, quod primus invexerat Gruterus; Drakenb. vero ad fidem omnium vett. codd. restituit *isque*. Ed.—*Ad ædem Apollinis*, etc. vide ad X, 23, n. 12, et XXVI, 21, n. 1. — *Ob remp. bene ac feliciter gestam* (vide ad II, 64, n. 3) *diis i. honorem haberi, et s. t. decernerent* conj. Gron. *Juberent* et *decernerent* legitur in cod. Mogunt. unde Drak. conj. *ut diis immortalibus honorem haberi juberent, et sibi triumphum decernerent*, quam repetitionem τοῦ *ut* Livio familiarem esse, docuit ad I, 17, n. 11. Conf. ad XXII, 11, n. 2.

2. *M. Aburius*, al. *Abutius*, ut cap. 5, at *Aburius* omnes XLII, 35. — *M. Æmilii consulis*, etc. conf. ad XXXVIII, 43, 44.

3. *Fulvium temporis jacturam facere*, unius temporis, nullius rei nisi temporis; Gronov. Mox *Tum Fulvius* pro *M. Fulvius* conj. Mur. — *Impotenti ac prope regia ira*; vide ad III, 36, n. 2.

Digitized by Google

libitum esset. Verum enimvero, quum sint nobilissimæ sibi cum consule inimicitiæ[4], *quid ab eo quemquam posse æqui exspectare, qui per infrequentiam furtim senatusconsultum factum ad ærarium detulerit*, Ambraciam non videri vi captam; *quæ aggere ac vineis oppugnata sit; ubi, incensis operibus, alia de integro facta sint; ubi circa muros supra subterque terram per dies quindecim pugnatum; ubi a prima luce, quum jam transcendisset muros miles, usque ad noctem diu anceps prælium tenuerit*[5]; *ubi plus tria millia hostium sint cæsa. Jam de deorum immortalium templis, spoliatis in capta urbe, qualem calumniam ad pontifices*[6] *attulerit? Nisi Syracusarum cæterarumque captarum civitatium ornamentis Urbem exornari fas fuerit, in Ambraciam unam captam non valuerit belli jus. Se et Patres conscriptos orare, et ab tribuno petere, ne se superbissimo inimico ludibrio esse sinant.*

V. Undique omnes, alii deprecari tribunum[1], alii castigare. Ti. Gracchi collegæ plurimum oratio movit: *Ne suas quidem simultates pro magistratu exercere*

4. *Nobilissimæ cum consule inimicitiæ;* al. *notissimæ* e cod. Mogunt. et Lov. 2; vide ad XXVII, 35, n. 5.— *Qui per infrequentiam furtim SCtum factum ad ærarium detulerit*, etc. cf. ad XXXVIII, 44, et ad I, 17, n. 6; II, 23, n. 9, et III, 55, n. 12. *Furtim*, clanculum et callide, malis artibus, ablatum factumque per captatam senatus infrequentiam; quale *SCtum subreptum* dicitur Cic. ad Att. X, 4. —*Ubi a prima luce, quum jam transcendisset muros miles*, etc. hæc, ut jam observavit Crev. denotare viderentur ultimum aliquod ad Ambraciam prælium, quo ad extremum urbs expugnata fuisset. Sed constat ex lib. XXXVIII, cap. 9, Ambracienses sese consuli, postquam aliquandiu obsidionem tolerassent, dedidisse. Itaque intelligenda est hic aliqua pugna, qua pars murorum tantum capta sit, nec tamen penetratum sit in urbem. Ed.

5. *Diu anceps prælium tenuerit;* vide ad II, 3, n. 6.

6. *Calumniam ad pontifices attulerit;* cf. ad XXXVIII, 44. — *Ab tribunis* cod. Mog. *Ab tribuno* (M. Aburio) reliqui MSS et edd. antt. probb. Gron. et Crev. — *Ab tribunis* edidere Drak. et Doer. Ed.

Cap. V. 1. *Deprecari tribunum*, hoc

boni exempli esse: alienarum vero simultatium tribunum plebis cognitorem fieri, turpe et indignum collegii ejus potestate et sacratis legibus[2] *esse. Suo quemque judicio et homines odisse aut diligere, et res probare aut improbare debere; non pendere ex alterius vultu ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi*[3], *adstipularique irato consuli tribunum plebei: et, quid privatim M. Æmilius mandaverit, meminisse; tribunatum sibi a populo romano mandatum oblivisci, et mandatum pro auxilio ac libertate privatorum, non pro consulari regno. Ne hoc quidem cernere eum, fore, ut memoriæ ac posteritati mandetur, ejusdem collegii alterum e duobus tribunis plebis suas inimicitias remisisse reipublicæ*[4], *alterum alienas et mandatas exercuisse.* His victus castigationibus tribunus, quum templo excessisset, referente Ser. Sulpicio prætore, triumphus M. Fulvio est decretus. Is quum gratias Patribus conscriptis egisset, adjecit, *Ludos magnos se Jovi Optimo eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse: in eam rem sibi centum pondo auri*[5] *a civitatibus collatum. Petere, ut ex ea*

est, ut exponit Doering., opprobria tribuno facta ab eo amoliri, tribunum excusare, nisi *deprecari* simpliciter pro *precari* positum sit. Ed. — *Simultates pro magistratu e.;* vide ad II, 7, n. 4. — *Alienarum simultatium tribunum pl. cognitorem fieri*, propr. procuratorem, qui absentium, ut cognitor præsentium, mandata accipit et persequitur. Conf. omnino Gronov. de Pec. vet. IV, 3, et Schulting. ad Jul. Paulli Recept. Sent. I, 2. Si perpetua fuit differentia inter *cognitorem* et *procuratorem*, Livio tamen, qui historicum agit, non jus docet, quod vicina illa vocabula commutarit, vitio verti non potest, ut monuit Drakenb.

2. *Collegii* trib. *potestate et sacratis legibus;* vide ad II, 8, n. 3.

3. *Alieni momentis animi circumagi*, in aliorum gratiam, prout animati sunt, mutare se; Ern. Conf. ad I, 47, n. 7. Hæc verba laudavit Priscian. lib. VIII, pag. 762.

4. *Alterum e duobus tribunis*, Gracchum, *suas inimicitias remisisse reip.* (vide ad II, 55, n. 5, et exempla hujus rei XXXVIII, 52, 53, 56, 57, 60), *alterum*, Aburium, etc.

5. *In eam rem sibi C pondo auri*, etc. vide ad XL, 44, n. 7. — Legit Crev. *centum decem pondo auri*, quæ

pecunia, quam in triumpho latam in ærario positurus esset, id aurum secerni juberent. Senatus pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necessum esset? Quum pontifices negassent, ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret; senatus Fulvio, quantum impenderet, permisit, dum ne summam octoginta millium[6] excederet. Triumphare mense Januario statuerat: sed quum audisset, consulem M. Æmilium, literis Aburii tribuni plebis acceptis de remissa intercessione, ipsum ad impediendum triumphum Romam venientem, ægrum in via substitisse, ne plus in triumpho certaminum, quam in bello, haberet, prætulit triumphi diem[7]: triumphavit ante diem decimum Calendas Januarias de Ætolis et de Cephallenia. Aureæ coronæ, centum duodecim pondo, ante currum latæ sunt:

marcis nostratibus 171, unciis 7, æquiparat. Ed.

6. *Summam octoginta millium* « sc. æris, non sestertiorum seu nummorum: nam fortassis non est exemplum summarum eo tempore ad rationes sestertiorum putatarum. Sed quidquid suppleas, nimis exigua est summa pro apparatu horum ludorum, qui infra cap. 22 refertur. Si intelligas *æris*, ea, computatis, ut illa ætate, XVI assibus in denarios, tantum sunt quinque millia denariorum, sive quingenti coronati: si *sestertium*, viginti millia denariorum. In quibusdam edd. antt. exstat *octingenta millium;* in Cervic. et Ascens. a. 1530, rectius *octingentorum millium*. Id non valde improbandum, sed tamen hæc quoque summa admodum tennis ad tam magnificos ludos videri poterit. Ob eamdem causam mihi suspecta sunt verba *viginti millia æris* XL, 52, etsi ludi tantum scenici et singulos dies facti fuerunt. Si neutro loco Livii vitium in numeris est, non video, quid pro iis dici possit, nisi eos, quibus minus de publico decretum fuerat, quam ut ex eo pro sua dignitate vel ambitione ludos facere possent, quod per restrictam parcimoniam senatus deerat, de suo supplevisse. » Duk.

7. *Prætulit tr. d.*, præcepit, anticipavit; hoc est, maturius, quam in mente primum habuerat, triumphum indixit. Ed. — *Aureæ coronæ centum, duodecim pondo.* Horum verborum sensum dicit Crev. nullum alium esse posse, nisi centum aureas coronas latas fuisse, quarum unaquæque librarum romanarum duodecim pondo esset. Itaque pro *duodecim* legendum videtur esse *duodena*, ut numerus partitive sumendus intelligatur. *Centum* autem *coronæ duodena pondo* eadem forma dicuntur, qua lib. III, cap. 29,

Digitized by Google

argenti pondo millia octoginta tria; auri pondo ducenta quadraginta tria; tetradrachmum Atticum centum octodecim millia, Philippei nummi duodecim millia quadringenti viginti duo: signa ænea ducenta octoginta quinque; signa marmorea ducenta triginta: arma, tela, cætera spolia hostium, magnus numerus. Ad hoc catapultæ[8], balistæ, tormenta omnis generis: duces, aut Ætoli et Cephallenes, aut regii ab Antiocho ibi relicti, ad septem et viginti. Multos eo die, prius quam in Urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, præfectos, equites, centuriones, Romanos sociosque, donis militaribus donavit. Militibus ex præda[9] vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti.

VI. Jam consularium comitiorum appetebat tempus[1]: quibus quia M. Æmilius, cujus sortis ea cura erat[2], occurrere non potuit, C. Flaminius Romam venit. Ab eo creati consules[3] Sp. Postumius Albinus,

et lib. IV, cap. 20, *coronam auream pondo:* qua de locutione consule Gronov. de Pec. Vet. lib. I, cap. 6. Cæterum duodecim libras romanas æstimat idem Crev. marcis nostratibus decem et octo, unciis sex, unde colligit pondus universum illarum centum coronarum esse marcarum Parisiensium 1,875. Ed. — *Argenti pondo millia octoginta tria* ex æstimatione Crev. marcæ nostrates 129,687, unciæ 4; *auri pondo ducenta quadraginta tria,* marcæ 379, unciæ 5, semuncia 1. Ed. — *Tetradrachmorum Atticorum;* vide ad XXXIV, 52, n. 5. — *Tetradrachmum Atticum* 118,000 fieri marcas argenti nostrates 7,375 ait Crev. Ed. — *Philippei nummi XII millia quadringenti viginti duo;* vid. cap. 7, n. 1. — Nummos Philippeos aureos fuisse apparet ex lib. XXXIV, c. 52; porro nummi aurei 12,422, supputante Crev., æquiparantur pondere marcis nostratibus fere 388. Ed.

8. *Ad hoc catapultæ;* al. *ad hæc;* vide ad II, 23, n. 3.

9. *Militibus ex præda,* etc. quibus et antea coronas dederat levissimis de causis; vid. Gell. V, 6. — *Vicenos quinos denarios,* h. e. secundum Crever. rationes, amplius ternas uncias argenti nostrates. Ed.

Cap. VI. 1. *Comitiorum appetebat tempus;* vide ad V, 19, n. 2.

2. *Cujus sortis ea cura erat;* vide ad III, 62, n. 5; X, 26, n. 4, et XXXV, 6, n. 1. — *Occurrere non potuit* comitiis; vid. XXI, 61, n. 1.

3. *Ab eo creati consules,* etc. vide ad VII, 16, n. 6.

Digitized by Google

Q. Marcius Philippus. Prætores inde facti T. Mænius, P. Cornelius Sulla, C. Calpurnius Piso, M. Licinius Lucullus, C. Aurelius Scaurus, L. Quintius Crispinus. Extremo anni, magistratibus jam creatis, ante diem tertium Nonas Martias Cn. Manlius Vulso de Gallis, qui Asiam incolunt[4], triumphavit. Serius ei triumphandi causa fuit, ne, Q. Terentio Culleone[5] prætore, causam lege Petillia diceret, et incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret[6]; eo infensioribus in se, quam in illum, judicibus, quod disciplinam militarem, severe ab eo conservatam, successor ipse omni genere licentiæ corruperat. Neque ea sola infamiæ erant, quæ in provincia procul ab oculis facta narrabantur; sed ea etiam magis, quæ in militibus ejus quotidie conspiciebantur. Luxuriæ[7] enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem

4. *De Gallis, qui Asiam incolunt*, de Gallogræcis.

5. *Ne, Q. Terentio Culleone prætore* (conf. ad XXXVIII, 55, 58, 60), *causam lege Petillia diceret;* conf. ad XXXVIII, 54, n. 3. Nota Dukeri est: « Rogatio Petillia etiam adversus eum lata fuerat XXXVIII, 54; sed ea causam dicere cogi non poterat, fortassis et quod in hunc quoque annum, etsi id Livius, XXXVIII, 35, tantum de priore anno memorat, imperio prorogato, proconsul cum imperio erat, et quod, decreto a senatu triumpho, nondum Urbem ingressus pro absente reipublicæ causa habebatur. Quum autem ex judicio L. Scipionis facile intelligeret, quid sibi ab infensis judicibus sperandum esset, triumphum in id tempus distulit, quo Terentius post paucos dies magistratu abiturus, nec satis temporis ad perficiendum apud eum judicium futurum erat. Non dissimili arte eluse est rogatio Marcia XLII, 22 ».

6. *Incendio alieni judicii, quo L. Scipio damnatus erat* (cf. XXXVIII, 54, 60), *conflagraret;* vide ad XXII, 35, n. 3. — *Successor ipse omni genere licentiæ corruperat*, in cod. Mogunt. *corrupisse fama attulerat*, forte rectius, modo *successorem se omni*, etc. legatur: certe seqq. *neque ea sola infamiæ erant*, etc. docere videntur, Livium adhuc agere de causa invidiæ, qua Manlius flagrare inceperat, ante quam in Urbem redisset, et tum demum subnectere, cur ea adventu ipsius aucta fuerit; Drak.

7. *Luxuriæ peregrinæ*, inpr. Asiaticæ, *origo ab exercitu Asiatico* Cn. Manlii Vulsonis *invecta in Urbem est*, et e Græcia; conf. XXXIV, 4; Plin. XXXIII, 9, n. 53; XXXIV, 3, n. 8; XXXVII, 1, n. 6; Flor. III, 12; Augustin. de Civitate Dei, II, 21;

Digitized by Google

est : ii primum lectos æratos[8], vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, et, quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt. Tunc psaltriæ[9] sambucistriæque, et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis; epulæ quoque ipsæ et cura et sumptu majore apparari cœptæ : tum coquus, vilissimum antiquis mancipium et æstimatione et usu, in pretio esse; et, quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta[10]. Vix tamen

III, 21; Gellii Lect. antiq. VII, 10; XVIII, 18.

8. *Lectos æratos*, tricliniares æratis pedibus, *triclinia ærata* apud Plin. H. N. Conf. ad Juvenal. XI, 96, et Manut. ad Cic. Verr. IV, 36. *Lectos auratos* Lov. 1, quos etiam memorant Juvenal. VI, 594, et alii — *Vestem stragulam pretiosam;* vid. XXXIV, 7, n. 4. — *Plagulas*, non vela lecticarum esse puto, ut apud Suet. Tit. 10 (nam si lecticæ jam tum in usu apud Romanos fuisseat, quod Lips. Elect. I, 19 conjicere videtur, non apparet ratio, cur Livius eas h. l. preterierit), sed tapetas et aulæa seu vela pretiosa, quæ in Asia parietibus et lectis obducebantur; Duk. Conf. Brisson. de regno Pers. II, 144 sq. *Plagulæ* propr. segmenta lintei panni, ut apud Varr. Ling. lat. VIII, 47, *Plaga grande tegumen linteum, quam lecticariam sindonem dicimus*, etc. Non. II, 131, 726, et IV, 361. Ita etiam *plagulas* pro *veste stragula* dixisse videntur Varro apud Non. voc. *culcita*, et Afranius voc. *plaga*. Sed hæc ab illis h. l. distinguitur. — *Monopodia:* nam mensæ tenuiorum hominum erant fere quadratæ, tripedes et e simplici ligno; lautiorum vero rotundæ, μονοπόδες (quæ uno pede sustinebantur, et quidem argenteo aut eburneo, in modum pardi seu leonis fabre facto, de quo vid. Juvenal. XI, 122-129), citreæ aut aeernæ et argentea inductæ lamina. Conf. Bœttigeri Sabina, p. 326 (*Monopodia* Consolentischchen, und *abaci* zierliche Tischbretchen auf einem Tischfuss mit Bildhauerarbeit in Stein und Metall), Ernesti Clav. Cic. voc. *abacus*, et Plin. XXXIV, 3 seu 8.

9. *Psaltriæ* (fidicines) *sambucistriæque:* ἡ σαμβύκη seu ἡ σάμβυξ, unde σαμβυκίστριαι dictæ, propr. erat instrumentum pulsatile, triquetrum, fidibus inæquali longitudine constans, harpæ nostræ fere simile; a cujus forma idem nomen invenit machina bellica, navibus imposita, cujus usus erat in oppugnatione urbium maritimarum. Hæc copiosius docuit Schweigh. ad Polyb. V, 37; VIII, 6, ad Suid. pag. 71 sq. ad Appian. Mithrid. 26, et ad Athenæum, IV, 77; XIV, 34 et 40. Conf. et Spanhem. ad Callim. H. in Del. 253.

10. *Coquus... in pretio esse.* Nostras exclamat clarissimus *Voltaire* in opusculo quod inscribitur *le Mondain*, v. 103, « Qu'un cuisinier est un mortel divin ! » Ed. — *Quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta*, scil. ea, hæc; genus sequitur nomen suum : nam sane debebat *cœptum*, quia *quod* h. l. est

illa, quæ tum conspiciebantur[11], semina erant futuræ luxuriæ.

VII. In triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas ducentas duodecim pondo[1], argenti pondo ducenta viginti millia, auri pondo duo millia centum tres, tetradrachmum Atticum centum viginti septem millia, cistophorum ducenta quinquaginta, Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia trecentos viginti, et arma spoliaque multa gallica, carpentis transvecta: duces hostium duo et quinquaginta ducti ante currum. Militibus quadragenos binos denarios divisit, duplex centurioni[2]; et stipendium duplex in pedites

subjectum; Bauer. — Sic hodie viles operæ sese vocant *Artistes*. Ed.

11. *Vix tamen illa, quæ tum conspiciebantur* (vide ad II, 5, n. 8), *semina erant futuræ luxuriæ*, quam itaque tam immensam suo ævo fuisse Livius innuit, ut hæc *vix semina*, h. e. origo et causæ et initia, ejus videri possint. Sed τὸ *vix*, cum *semina* junctum, meo qualicumque judicio, non satis aptum, aut nimis certe argutum est: aptius vero, si pro *semina* legeris *omina*, h. e. indicia, ut sensus sit: vix tamen aliquis tum augurari potuisset, tantum olim luxuriam fore, quanta nunc est.

Cap. VII. 1. *Ducentas duodecim* libras *pondo*. Crev. malebat *coronas aureas ducentas, duodena pondo*. — Universarum illarum coronarum pondus idem æquiparat 3,750 marcis Parisiensibus; mox *argenti pondo ducenta viginti millia* marcis nostratibus 343,750, et *auri pondo duo millia ducenta tria* marcis nostratibus 3,442, semunciis 3. Ed.—*Cistophorum CCL*, sc. millia, *Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia trecentos viginti*, forte leg. *Philippeos aureos nummos*; Gron. cujus nota est: « Videor mihi observasse ex Livio, quoties numerus sive signati argenti sive alterius rei millia plura non excedit, tum rem numeratam semper efferri patrio casu: quum vero super millia numerus alius inferior adjicitur, tum *non perpetuo* rem numeratam secundo casu pronuntiari, quem exigebat τὸ *millia*, sed *interdum* eo, quem recipit adjectus posterior numerus. Sic III, 5, n. 9, in verbis *Romanos quinque millia ac trecentos* retulit vocem *Romanos* ad *trecentos*, minorem numerum, perinde ac si dixisset *quinque millia ac trecentos Romanos*. » Conf. ad III, 3, n. 4; III, 24, n. 8; X, 47; XXXIII, 27, n. 1; XXXIV, 52, n. 5; XXXV, 9, n. 1; XXXVII, 40, n. 6; XXXVII, 58, n. 3; XXXVIII, 36, n. 6; XXXIX, 5, n. 6, sed et ad XXXV, 20, n. 3. — *Cistophorum CCL* ait Crev. esse denarios amplius 133,333, marcas argenti nostrates plus 2,073; *Philippeorum* vero *aureorum nummorum sedecim millia* CCCXX pondus esse marcarum nostratium amplius 509. Ed.

2. *Militibus quadragenos b. d. divi-*

Digitized by Google

dedit, triplex in equites. Multi omnium ordinum, donati militaribus donis, currum sequuti sunt: carminaque a militibus ea in imperatorem dicta, ut facile appareret, in ducem indulgentem ambitiosumque ea dici; triumphum esse militari magis favore, quam populari, celebrem. Sed ad populi quoque gratiam conciliandam amici Manlii valuerunt: quibus adnitentibus senatusconsultum factum est, *Ut ex pecunia, quæ in triumpho translata esset, stipendium, col-*

sit, duplex centurioni, excidisse videtur *et triplex equiti;* Duk. Conf. ad X, 46, n. 8. — *Quadragenos binos denarios* æstimat Crev. unciis argenti nostratibus 5 cum duobus, ut vocant, grossis. Ed. — *Et stipendium duplex in pedites dedit, triplex in equites:* nota Dukeri est; « Non credo, hæc integra esse, quod hic nulla mentio *centurionum* est; quos liberalitatis indulgentis et ambitiosi ducis expertes fuisse, nequaquam verisimile est. Nec est, quod putemus, eos nomine peditum contineri. Nam Livius fere ubique, quum de donativo agit, vel generali nomine *militum* pedites, centuriones et equites complectitur, X, 46; XXVIII, 9; XXX, 45; XXXI, 20; XL, 34; vel separatim *milites, centuriones* et *equites* memorat, XXXIII, 23; XXXVI, 40; XXXVII, 59; XXXIX, 5; XL, 43; XLI, 7, 13; XLV, 43; vel denique *pedites, centuriones* et *equites* (sed eodem sensu: nam pedites etiam dicuntur *milites;* vid. XXII, 37, n. 2) dicit XXXIII, 37; XXXIV, 52; XLV, 40. Sed quid eos accepisse dicemus, si peditum nomine non comprehenduntur? Hoc æque impeditum est. Simplex stipendium peditum, auctore Polybio, VI, 39, erant duo in diem oboli, centurionum quatuor, equitum sex. Centurionibus haud dubie minus, quam equitibus, dedit Manlius; sed utrum in eos tantum duplex dederit, ut in pedites, i. e. octo obolos, an triplex, ut in equites, i. e. duodecim, non facile dictu est. Si illud, Livius scripsisse potuit, *stipendium duplex in pedites et centuriones dedit;* si hoc, *triplex in centuriones et equites.* De duplici stipendio militibus dato sunt etiam loca Livii, XXIII, 20; XXIX, 3; XXX, 16; XL, 43, et XXXVII, 59, ubi militibus *stipendium militare et frumentum duplex post triumphum datum* dicitur. Quod ibi de *frumento duplici* dicit Livius, ita intelligendum puto: quum mos esset, militi in menses certam mensuram frumenti, sc. pediti quatuor, centurioni octo, equiti duodecim modios, admetiri, eam a Scipione duplicatam fuisse. Stipendii duplicis ac triplicis computandi ratio non tam expedita est; quia non, ut frumentum, sic etiam stipendium, menstruum dabatur: cujus solvendi dies qui fuerit, non satis constat; vid. Schel. ad Polyb. cap. 6. » Forte leg. *duplex centurioni, triplex in equites; et stipendium duplex in milites dedit:* nam neque ex locis, a Duk. laudatis, neque aliunde constat, alia proportione *stipendium* peditibus, alia equitibus auctum fuisse; immo contrarium

Digitized by Google

latum a populo in publicum[3], *quod ejus solutum antea non esset, solveretur.* Vicenos quinos et semisses in millia æris quæstores urbani cum fide et cura solverunt. Per idem tempus, tribuni militum duo ex duabus Hispaniis cum literis C. Atinii et L. Manlii, qui eas provincias obtinebant, venerunt. Ex iis literis cognitum est, Celtiberos Lusitanosque in armis esse, et sociorum agros populari: de ea re consultationem integram senatus ad novos magistratus rejecit. Ludis Romanis eo anno, quos P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus faciebant, malus in Circo instabilis in

colligendum videtur ex XL, 43, *et stipendium omnibus duplex*, sive *omnibus* intelligas in genere de legionariis militibus et socialibus, sive per partes de peditibus, centurionibus et equitibus civium sociorumque; Drak.

3. *Ut ex pecunia..... stipendium, collatum a populo in publicum* (h. e. tributum, a populo in stipendium militum collatum, ex quo erat stipendium; Duk. Conf. ad XXIII, 48, n. 6; XXVI, 36, n. 3, et Schel. ad Polyb. c. 8), *quod ejus* (vide ad V, 25, n. 5) *solutum antea non esset, solveretur: vicenos quinos* (*sexcenos vicenos quinos* conj. Hotom. de Re num. pag. 79) *et semisses in millia æris* singula (vid. XXIX, 15, n. 5) *quæstores urbani cum fide et cura solverunt:* obscura verba, et vel corrupta vel mutila, in quibus se nihil videre fatentur Duk., Drak. et Grev. Hujus annotationes sunt: « Prima difficultas occurrit in voce *stipendium*, quæ nec pro militari stipendio accipi potest, de quo hic nullo modo agitur; neque pro tributo a civibus collato (quamvis interdum hoc sensu sumatur, ut II, 9), quandoquidem quæstores urbani mox dicuntur cum cura et fide solvisse pecuniam, scil. privatis ex ærario: si autem de tributo sermo esset, non privatis aliquid solvendum ex ærario fuisset, sed privati immunes faciendi a solvendo eo, quod ærario deberent. Superest ergo, ut hic sermo esse existimetur de pecunia, a privatis collata ad juvandam ærarii inopiam. Sed nec nomen *stipendii* sic unquam acceptum esse novimus, et præterea post finitum bellum Punicum II nullo tali auxilio respublica egisse memoratur; pecuniarum autem, per illud bellum a privatis collatarum, ultimam pensionem solutam esse, narratur XXXIII, 42. Secundo quod dicuntur quæstores *vicenos quinos et semisses in millia æris* solvisse, horum quidem verborum sic nude positorum sensus non obscurus est. Sed quænam sunt illa *millia æris* seu assium? quo nomine solvuntur viceni et quini asses cum semisse? An usurarum nomine? ut pro singulis assium millibus, quæ a civibus collata forent, præter sortem etiam usuris numerarentur viceni, etc. » — Ad hunc locum Doer. nota est: « Per *stipendium*, quod passim de tributo sive vectigali, victis populis imperato, di-

signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit[4]. Ea religione moti Patres[5], et diem unum adjiciendum ludorum celebritati censuerunt, et signa duo pro uno reponenda, et novum auratum faciendum: et plebeii ludi ab ædilibus C. Sempronio Blæso et M. Furio Lusco diem unum instaurati sunt.

VIII. Insequens annus Sp. Postumium Albinum et Q. Marcium Philippum consules, ab exercitu bellorumque et provinciarum cura, ad intestinæ conjurationis vindictam avertit. Prætores provincias sortiti sunt, T. Mænius urbanam[1], M. Licinius Lucullus inter cives et peregrinos, C. Aurelius Scaurus Sardiniam, P. Cornelius Sulla Siciliam, L. Quintius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calpurnius Piso Hispaniam ulteriorem. Consulibus ambobus quæstio de

eitur, accipiendum h. l. videtur de imperatis pecuniæ summis, quas ditiores e populo ad publicum conferre debuerant. Sortes igitur illæ, nondum solutæ, secundum senatusconsultum ex pecunia, in triumpho translata, nunc solvi debebant, et quidem cum usuris; nam, quæ sequuntur: *vicenos et quinos.....solverunt*, vix explicari possunt, quam de usuris, quas quæstores, vicenos nempe et quinos asses cum sumsisse in singula assium millia, cum fide et cura solvisse dicuntur». Quamcumque horum doctorum virorum sententiam amplectatur lector, hunc locum fateatur insolitæ obscuritatis, ac vix expediendum. Ed.

4. *Malus in Circo* maximo *instabilis in signum Pollentiæ procidit, atque id dejecit;* vide ad XXXI, 23, n. 4. *Pollentia*, ut docet Festus, et *Potentia* idem significant, et *malum* unum ex illis fuisse arbitramur, quibus funibus alligatis vela tensa suffulciuntur ad aeris injuries arcendas, ut commodius spectatores ludos spectare possint in Circo: in quo positas fuisse deorum statuas et principum virorum, Alex. ab Alex. lib. Gen. V, 8, et Liv. XL, 2 docent; Donat. Argolus ad Panvin. de Ludis Circ. I, 17, pro *Pollentiæ*, in Livio legendum conj. *Pelloniæ*, quam pellendorum hostium potentem deam a Romanis cultam docent Arnob. IV, et Augustin. de Civit. Dei, IV, 21. Perperam h. l. exponit Dempster. ad Rosin. V, 4, adversus quem disputavit Duk.

5. *Ea religione moti Patres;* vide ad II, 5, n. 4. — *Signa duo pro uno reponenda*, scil. alterum quod dejectum erat, alterum novum, *et* hoc *novum auratum faciendum;* Drak.

Cap. VIII. 1. *T. Mænius urbanam* provinciam, h. e. præturam, etc. vide ad II, 40, n. 9. — *Hispaniam ulteriorem:* dele primam vocem ex perpetuo more Livii; Gron.

Digitized by Google

clandestinis conjurationibus decreta est. Græcus ignobilis in Etruriam primum venit, nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit[3], sacrificulus et vates[2]; nec is, qui aperta religione, propalam et quæstum et disciplinam profitendo, animos horrore imbueret, sed occultorum et nocturnorum antistes sacrorum[4]. Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt; deinde vulgari cœpta sunt per viros mulieresque: additæ voluptates religioni vini et epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos, et nox, et mixti feminis mares, ætatis teneræ majoribus, discrimen omne pudoris exstinxissent[5]; corruptelæ pri-

2. *Nobis eruditissima omnium gens invexit.* Ern. aut *nobis* delendum aut *invenit* legendum censet; at verbi hujus cum dativo copulati haud unum exemplum Livium suppeditare observat Büttner, p. 92, Obss. Liv. I, 59, *invecta corpori patris filia;* XXII, 5, *mare fluminibus invexit.* Ed. — *Sacrificulus et vates,* etc. vid. XXV, 1, n. 5. Ante *sacrificulus* omissum *sed tantum* monet Bauer. Frobenius et alii inserere *sed,* quod abesse debet ex more eleganter loquentium; Gron. Conf. ad III, 71, n. 4.

3. *Nec is, qui aperta religione* (forsan *aperte religionem*), *propalam... profitendo, animos horrore,* metu religionis, δεισιδαιμονίᾳ (ut *formido, timor, metus, pavor* et similia, in omnibus fere linguis obvia, et ad religionem translata, quæ magis a metu, quam amore numinis supremi profecta est) *imbueret;* ut *horrore, metu, religione animum perfundere,* I, 16; IX, 16; X, 38. Conf. ad librum IX, 16, n. 10.

4. *Occultorum et nocturnorum sacrorum* Bacchi, quæ Bacchanalia *Initia* dicuntur, quia sacra erant nocturna, ut Initia Cereris; Drak. Conf. ad XXII, 34, n. 5, XXXI, 14, n. 3, et Meurs. Eleus. cap. 9. Mox alterum *sunt* forte del., quod solus cod. Mog. addit.

5. *Quum vinum animos... exstinxisset,* sanitatem mentis corrupisset; nisi leg. *quum vinum, clamores, nox,* etc. nam mox *ululatus* et infra *crepitus* memorantur; Gron. « Sed *animos* ita dici, et *clamores* sententiæ satis convenire, vix credo. Nam verba *corruptelæ primum,* etc. indicio sunt, eum de primis initiis hujus sacri loqui, in quibus nondum quidquam per vim factum videtur. Nec *clamores* per se pudorem exstinguunt, quum etiam eorum esse possint, qui violari illum non patiuntur. Suspicor aliquid excidisse, et Livium idem dixisse, quod Ovid. Art. Am. I, 237, et Rem. Am. 805, *Vina parant animos* (Veneri) *faciuntque caloribus aptos.* (Conf. ad simil. loc. Juvenal. VI, 314 sq.) Nam vinum et Venerem excitat, et auda-

Digitized by Google

mum omnis generis fieri cœptæ, quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec unum genus noxæ, stupra promiscua ingenuorum feminarumque, erant; sed falsi testes, falsa signa testamentaque et indicia ex eadem officina exibant. Venena indidem intestinæque cædes; ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam exstarent. Multa dolo, pleraque per vim audebantur: occulebat vim, quod, præ ululatibus tympanorumque et cymbalorum strepitu, nulla vox quiritantium inter stupra et cædes exaudiri poterat.

IX. Hujus mali labes[1] ex Etruria Romam, velut contagione morbi, penetravit. Primo Urbis magnitudo, capacior patientiorque talium malorum, ea celavit: tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium consulem pervenit. P. Æbutius, cujus pater publico equo stipendia fecerat, pupillus relictus, mortuis

ciam facit, nocte inprimis, tentandi, quæ sobrii nec luce nec nocte auderent: *Nox et amor vinumque nihil moderabile suadent* Ovid. Am. I, 6, 59 (conf. et Plaut. Aul. IV, 10, 15, 20; unde Clericus h. l. emend. *vinum, amor et nox*). *Corruptelæ* maxime sunt omnis generis libidines venereæ, quæ *stupra promiscua ingenuorum feminarumque* mox dicuntur; easque deinde sequebantur plura genera noxarum, quæ enumerat Livius; conf. Cic. Tusc. IV, 35, et Herald. Advers. I, 11.» Duk. — *Mixti feminis mares*, i. e. consociatio feminarum et marium; vel supple *quod erant*, τὸ συμμεμῖχθαι, Bauer. Conf. ad I, 53, n. 1. — *Ætatis teneræ* mares *majoribus* ætate feminis mixti; vel *ætatis teneræ* homines, mares ac feminæ, etc. — *Falsi testes... testimoniaque* dant alii: nos *testamentaque*, ne idem bis dicatur, quod jam alii monuere. Cf. c. 18. Ed. — *Indicia* nominum delationes. Supra, XXIV, 5 fin. *maxime animo tyranni credibile indicium Thraso nominatus fecit.* Cæterum ad h. locum observat Crev. non absimilem Catilinæ chorum tribuisse Ciceronem, ex *indicibus atque sicariis*, pro Muræna, n. 49. Ed.

Cap. IX. 1. *Hujus mali labes* cod. Mogunt. In reliquis MSS et edd. antt. *tabes*, quod placere potest. Sed ita Livius videtur potius dicturus fuisse *hoc malum, velut tabes contagione*, ut II, 23, n. 6, et inpr. XLII, 5, *ea contagione, velut tabes* (h. e. pestis), *in Perrhæbiam quoque id pervaserat malum;* Drak. Conf. ad II, 23, n. 6; II, 44, n. 5; IV, 30, n. 4; XL, 8, not. 2. Quantum vero hoc malum

Digitized by Google

deinde tutoribus, sub tutela Duroniæ matris[2] et vitrici T. Sempronii Rutili educatus fuerat. Et mater dedita viro erat; et vitricus, quia tutelam ita gesserat, ut rationem reddere non posset, aut tolli pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Via una corruptelæ[3] Bacchanalia erant. Mater adolescentulum appellat, *Se pro ægro eo vovisse, ubi primum convaluisset, Bacchis eum se initiaturam*[4]*: damnatam voti deum benignitate exsolvere id velle. Decem dierum castimonia opus esse: decimo die cœnatum, deinde pure lautum*[5] *in sacrarium deducturam.* Scortum nobile libertina Hispala Fecenia, non digna quæstu[6], cui ancillula assuerat, etiam postquam manumissa erat, eodem se genere tuebatur[7]. Huic consuetudo, juxta vicinitatem, cum Æbutio fuit, minime ado-

fuerit, facile intelligitur, si vel nonnulla eorum, quæ cap. 8, 13, 15, 16 memorantur, in majus aucta sunt.

2. *Sub tutela Duroniæ matris*, etc. ex h. l. quidam colligunt, pupillos jam antiquitus etiam in tutela matrum, quæ ad secundas nuptias transierant, fuisse: adversus quos Huberus, P. I. Digress. III, 11 disputat; Duker. — *Tolli pupillum* e medio, necari.

3. *Via una corruptelæ*, unica ratio corrumpendi et conscientia flagitii *obnoxium sibi faciendi* pupillum (vide ad III, 39, n. 1) *Bacchanalia erant;* Gron. *Bacchanalium* cod. Gaertn. ed. Ald. et Frob. forte rectius, ut sensus sit, *corruptelæ Bacchanalium* (ut c. 8 et 10) erant *una via* aut tollendi pupillum, aut obnoxium sibi vinculo aliquo reddendi: non enim vitricus pupillum privignum corrumpere proprie, sed tollere... conabatur; Drak.

4. *Bacchis eum se initiaturam*, Baccharum sacro; quia primo id non nisi feminarum fuit sacrarium; Sigon. Conf. ad XXII, 34, n. 5. — *Damnatam voti;* vid. V, 25, n. 2.

5. *Pure lautum in s. d.* vide ad I, 45, n. 7. — Nonnullis Veterum cæremoniis antecedere debebat secubitus et lavatio; sic Tibullus, I, 3, 25, nostræ edit. p. 35: « Quidve *(prodest)*, pie dum sacra colis, pureque lavari Te, memini, et puro secubuisse toro? » Ed.

6. *Non digna quæstu* toti narrationi detectorum ab Hispala scelerum aptius, quam *non indigna*, quæ emendatio Aurelii ad Tac. Ann. II, multis modis friget, ut de libertina; Bauer. — Inerat nempe Hispalæ honestior quidam animi sensus, qui a cæteris meretricibus alienus esse solet. Ed.

7. *Eodem genere* vitæ *se tuebatur*, vitam sustentabat eodem quæstu, quem antea fecerat. — *Juxta*, per, propter *vicinitatem*, ex ejus occasione et causa; Bauer.

Digitized by Google

lescentis aut rei aut famæ damnosa : ultro enim amatus appetitusque erat; et, maligne omnia præbentibus[8] suis, meretriculæ munificentia sustinebatur. Quin eo processerat consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis et prætore petito, quum testamentum faceret[9], unum Æbutium institueret heredem.

X. Hæc amoris pignora quum essent, nec quidquam secretum alter ab altero haberent, per jocum adolescens vetat eam mirari, si per aliquot noctes secubuisset. *Religionis se causa, ut voto pro valetudine sua facto liberetur, Bacchis initiari*[1] *velle.* Id ubi mulier audivit, perturbata, *Dii meliora*[2] *!* inquit : *mori et sibi et illi satius esse, quam id faceret : et in caput eorum detestari minas periculaque, qui id suasissent.* Admiratus quum verba, tum perturbationem tantam adolescens, *parcere exsecrationibus* jubet : *matrem id sibi, assentiente vitrico, imperasse.* « Vitricus ergo, « inquit, tuus (matrem enim insimulare forsitan fas « non sit) pudicitiam, famam, spem vitamque tuam « perditum ire hoc facto properat. » Eo magis mirabundo, quærentique quid rei esset, pacem veniamque precata deorum dearumque, si, coacta caritate ejus, silenda enuntiasset, *ancillam se*, ait, *dominæ*

8. *Maligne omnia præbentibus suis;* vide ad III, 63, n. 3. — *Munificentia sustinebatur;* vide ad II, 44, n. 6.

9. *Ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat* (vid. V, 20, n. 1), *tutore a tribunis et prætore petito, testamentum faceret,* etc. vid. c. 19, n. 5; *tutore petito* ex lege Atilia; vid. Ulpiani fragm. tit. XI, § 18; Justin. princ. Instit. de Atil.Tut. et ibi intpp. Hujus legis latæ tempus est incertum (vid. Schweigh. ad Ulpian. l. l.); sed ex h. l. patet, eam jam ante a. Urb. 567 latam fuisse; Duk.

Cap. X. 1. *Bacchis initiari;* vide ad cap. 9, n. 4.

2. *Dii meliora !* vide ad IX, 9, n. 5. Verbum *inquit* h. l. accusativum cum inf. habere videtur : sed ex hoc verbo repete *dixit*, more Livii, Bauer. — Pro *faceret* codd. quidam apud Drak. exhibent *facere*. Ed. — *In caput eorum detestari minas periculaque;* vide ad I, 51, n. 1.

Digitized by Google

comitem id sacrarium intrassse, liberam nunquam[3] *eo accessisse. Scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse; et jam biennio constare neminem initiatum ibi majorem annis viginti. Ut quisque introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus: eos deducere in locum, qui circumsonet ululatibus, cantuque symphoniæ, et cymbalorum et tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, quum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit.* Orare deinde, atque obsecrare, ut eam rem quocumque discuteret[4] modo, nec se eo præcipitaret, ubi omnia infanda patienda primum, deinde facienda essent: neque ante dimisit eum, quam fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum[5].

XI. Postquam domum venit, et mater mentionem intulit, quid eo die, quid deinceps cæteris, quæ ad sacra pertinerent, faciendum esset, negat, eorum se quidquam facturum, nec initiari sibi in animo esse. Aderat sermoni vitricus. Confestim mulier exclamat, *Hispalæ concubitu carere eum decem noctes non posse, illius excetræ*[1] *delenimentis et venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere.* Jurgantes hinc mater, hinc vitricus, cum quatuor eum servis domo exegerunt. Adolescens inde ad Æbutiam se amitam contulit, causamque ei, cur esset a matre ejectus, narravit: deinde ex auctoritate ejus postero die ad consulem Postumium, arbitris remotis, rem detulit. Consul post diem tertium ad se jussum redire dimisit: ipse Sulpiciam, gravem feminam, socrum

3. *Liberam nunquam*, libero arbitrio, sponte. — *Eam officinam esse;* vide ad XXIV, 42, n. 6.

4. *Ut eam rem discuteret;* vide ad XXIV, 2, n. 7.

5. *Ab his sacris se temperaturum;* vide ad II, 23, n. 8.

Cap. XI. 1. *Illius excetræ*, hydræ, *delenimentis et venenis imbutum;* vide ad IV, 51, n. 2, et Lips. ad Plaut. Cas. III, 5, 19. — Sunt qui putent *echidnæ* legendum, quodnam serpentis genus *excetra* sit, se fatentes nescire. Sed vid. Duk. apud Drak. Ed.

Digitized by Google

suam, percunctatus est, *ecquam anum Æbutiam ex Aventino*[2] *nosset?* quum *eam nosse, probam et antiqui moris feminam*, respondisset; *opus esse sibi ea conventa*[3] dixit. *Mitteret nuntium ad eam, ut veniret.* Æbutia accita ad Sulpiciam venit; et consul paulo post, velut forte intervenisset, sermonem de Æbutio fratris ejus filio infert. Lacrymæ mulieri obortæ, et miserari casum adolescentis cœpit, qui spoliatus fortunis, a quibus minime oporteret, apud se tunc esset[4], ejectus a matre, quod probus adolescens (dii propitii essent!) obscœnis, ut fama esset, sacris initiari nollet.

XII. Satis de Æbutio exploratum ratus consul, non vanum auctorem esse[1], dimissa Æbutia, socrum rogat, ut Hispalam, indidem ex Aventino[2] libertinam, non ignotam viciniæ, arcesseret ad sese: eam quoque esse quæ percunctari vellet. Ad cujus nuntium perturbata Hispala, quod ad tam nobilem et gravem feminam ignara causæ arcesseretur; postquam lictores in vestibulo turbamque consularem[3] et consulem ipsum conspexit, prope exanimata est. In interiorem partem ædium abductam, socru adhibita, consul, *Si vera dicere inducere in animum posset*, negat, *per-*

2. *Ecquam anum Æbutiam nosset;* vide ad I, 9, n. 3.

3. *Opus esse sibi ea conventa;* vide ad XXXIV, 61, n. 2.

4. *Apud se tunc esset;* vide ad I, 25, n. 1. — *(Dii propitii essent!) obscœnis... sacris;* mulier, ut monet Crev., timide religiosa non audet Bacchi sacris obscœnitatis notam injungere, sine præfatione, qua deorum iram deprecetur. Ideo ante vocem *obscœnis*, præmittit illam precationem, *dii propitii essent!* Ed.

Cap. XII. 1. *De Æbutio exploratum, non vanum auctorem* (vide ad XXIV, 32, n. 1) *esse*, h. e. exploratum, Æbutium non v. a. esse.

2. *Indidem ex Aventino;* vide ad XXXIII, 46, n. 5. — *Eam quoque esse*, etc. paulo impeditior phrasis constructio; junge: *esse quoque* quædam *quæ vellet eam percunctari*, vel *esse* quædam *quæ vellet quoque eam percunctari.* Ed.

3. *Turbamque consularem*, quæ VI, 34 dicitur *frequentia* consulem *prosequentium rogantiumque, num quid vellet?*

Digitized by Google

turbari debere. Fidem vel a Sulpicia, tali femina, vel ab se acciperet: expromeret sibi, quæ in luco[4] *Similæ Bacchanalibus in sacro nocturno solerent fieri.* Hoc ubi audivit, tantus pavor tremorque omnium membrorum mulierem cepit, ut diu hiscere non posset: tandem confirmata, *puellam admodum se ancillam initiatam cum domina*, ait: *aliquot annis, ex quo manumissa sit, nihil, quid ibi fiat, scire.* Jam id ipsum consul laudare, *quum initiatam se non*[5] *inficiaretur: sed et cætera eadem fide expromeret.* Neganti, *ultra quidquam scire, non eamdem*, dicere, *si coarguatur ab alio, ac per se fatenti*[6], *veniam aut gratiam fore: eum sibi omnia exposuisse, qui ab illa audisset.*

XIII. Mulier, haud dubie, id quod erat, Æbutium indicem arcani rata esse, ad pedes Sulpiciæ procidit, et eam primo orare cœpit, *Ne mulieris libertinæ cum amatore sermonem in rem non seriam modo, sed ca-*

4. *In luco Similæ*, de quibus verbis hæc jam disputavit Gron. « Sic Gelenius ex MSS. Nec aliter nos deprehendimus: nam ante illum *in ludo simili.* Opinatur autem, *Semelen*, detorta non nihil voce, *Similam* tum vulgo indocto dictam. *Stimulam* vocat Schol. Juven. II, 3: *nam sacra Bacchanalia ex SCto condemnata sunt, quum probatum esset senatui, honestissimas feminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari.* Et mentio est *Stimulæ* deæ, *quæ ad agendum ultra modum stimulet*, apud Augustin. de Civ. Dei, IV, 11 et 16. Quod forte non male ad fanaticorum tumultum ac turbinem accommodes. Tamen optime sacra Bacchi peraguntur in *Semeles* matris luco: et si quidem hic fuit, ita potius scripsisse Livium crediderim, non vulgi indocti, si qua fuit, pronuntiationem expressisse. Sic *Semonis Sanci*, sic *Juventatis* apud Nostrum corrupta ab indoctis olim fuere vocabula. » Malim *Semelæ*, de qua vid. Macrob. Sat. I, 12, ut de ejus luco intpp. Ovid. Fast. VI, 503; lapis apud Gruter. 643, 7; P. Victor. et Sex. Ruf. in regione Circi Maximi; Drak. — Pro, *tantus pavor*, nonnulli codd. *tantus pallor.* Ed.

5. *Consul laudare, quum initiatam se non inficiaretur*, Mogunt. *quod*: sed *quum* h. l. ut apud Cic. ad Div. XVI, 16, et sæpissime apud Plautum, eleganter pro *quod* positum; Gronov.

6. *Ac per se fatenti*: voculæ *per se* a Moguntinis additæ non sunt sine emphasi; nam qui ab alio *coarguitur*, fatetur etiam, verum coactus, non *per se*, i. e. sponte, nullo cogente; Drak. Conf. ad VI, 20, n. 14.—*Eum sibi omnia exposuisse*, sc. Æbutium. — *Ab illa*, sc. Hispala.

Digitized by Google

pitalem etiam[1], *verti vellet : se terrendi ejus causa, non quo sciret quidquam, ea loquutam esse.* Hic Postumius accensus ira, *Tum quoque*, ait, *eam cum Æbutio se amatore cavillari credere, non in domo gravissimæ feminæ et cum consule loqui.* Et Sulpicia attollere paventem; simul illam adhortari, simul iram generi lenire. Tandem confirmata, multum incusata perfidia Æbutii, qui optimi in eo ipso meriti talem gratiam retulisset[2], *Magnum sibi metum deorum, quorum occulta initia enuntiaret*[3], *majorem multo*, dixit, *hominum esse, qui se indicem manibus suis discerpturi essent. Itaque hoc se Sulpiciam, hoc consulem orare, ut se extra Italiam aliquo amandarent, ubi reliquum vitæ degere tuto posset. Bono animo esse* jubere *eam* consul, et *sibi curæ fore*, dicere, *ut Romæ tuto habitaret.* Tum Hispala originem sacrorum expromit. *Primo sacrarium id feminarum fuisse, nec quemquam virum eo admitti solitum. Tres in anno statos dies habuisse, quibus interdiu Bacchis initiarentur*[4]. *Sacerdotes in vicem matronas creari solitas. Pacullam An-*

Cap. XIII. 1. *Sed capitalem etiam*, sed etiam in rem, ubi ejus vita in summum discrimen adducatur. Timendum nempe Hispalæ fuit, ne, ut paulo post ait, index sacrorum occultorum, manibus hominum discerperetur. De voce *capitalis*, vid. III, 11, n. 4. Ed. — *Non quo sciret quidquam;* Mog. *quod.* Sed vide ad XXVIII, 27, n. 2. — *Hic*, tum, tunc; vid. Drak.—*Tum quoque;* vide ad I, 25, n. 1.

2. *Meriti talem gratiam retulisset;* vide ad XXXVII, 54, n. 3.

3. *Quorum occulta initia enuntiaret;* vide ad XXXI, 24, n. 3. — *Amandarent;* præter Mogunt. cod., libri omnes pro *amandarent* exhibent *ablegarent.* Utra lectio præferenda sit, dubius hæret Drak. Priscam illud tuetur lectionem, quod *ablegare* sæpissime apud Livium occurrat, *amandare* autem nisi hoc loco, nusquam appareat; alteram vero defendit partim auctoritas integerrimi codicis, partim illud, quod cap. seq. in princ. utatur Livius verbo *ablegaret:* unde suspicio oriri potest, hoc loco in margine primo notatum esse, quod nunc *amandare* dicitur, paulo post *ablegare* dictum esse; deinceps vero lectionem illam alterius locum invasisse. Ed.

4. *Interdiu Bacchis initiarentur;* vide ad cap. 9, n. 4.

Digitized by Google

niam Campanam sacerdotem[5] *omnia, tanquam deum monitu, immutasse : nam et viros eam primam suos filios initiasse, Minium et Herennium Cerrinios, et nocturnum sacrum ex diurno, et pro tribus in anno diebus quinos singulis mensibus dies initiorum fecisse. Ex quo in promiscuo sacra sint*[6] *et permixti viri feminis, et noctis licentia accesserit, nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermissum : plura virorum inter sese quam feminarum, esse stupra. Si qui minus patientes dedecoris sint, et pigriores ad facinus, pro victimis immolari : nihil nefas ducere, hanc summam inter eos religionem esse. Viros, velut mente capta, cum jactatione fanatica corporis vaticinari*[7]*; matronas Baccharum habitu, crinibus sparsis, cum ardentibus facibus*[8] *decurrere ad Tiberim, demissasque in aquam faces, quia vivum sulphur cum calce insit, integra flamma efferre*[9]*. Raptos a diis homines dici, quos machinæ illigatos ex conspectu in abditos specus*

5. *Pacullam Anniam Campanam sacerdotem*, etc. quam Liberæ partes in Bacchanalibus egisse, ingeniose suspicatur *Böttiger Griech. Vasengem.* t. I, P. I, p. 155. *Pacullam Miniam Sopanam* (forte *Soranam*) quidam MSS et edd. vett. *Pacuviam Ninniam* ex XXIII, 8 conj. Gron. Obss. IV, 4, pag. 48. *Minium*, forte *Annium*, aut *Ninnium*, et mox *Cerinios* ex Lov. 5, edd. antt. et annulo vetusto, in quo *Erenn. Cerin.* legi Fabrett, inscriptt. pag. 427, sed *Cerianum* Em. Martinus, Epp. VII, 1, testatur; Drak.

6. *In promiscuo sacra sint;* vide ad XXXIV, 44, n. 4.

7. *Viros, velut mente capta* (vide ad II, 36, n. 7), *cum jactatione fanatica corporis vaticinari*, more vatum ecstaticorumque, quorum corpora spasmis corripiuntur, ubi furor occupavit mentes. Conf. Heyn. ad Virgil. Ecl. VI, 24, Georg. IV, 400, Æn. VI, 46 sq.

8. *Matronas Baccharum habitu, crinibus sparsis, cum ardentibus facibus*, quo habitu Mænades noctu per montes ac nemora cum clamore discurrebant; quod satis notum : *crinibus passis* alii; vide ad I, 13, n. 1, et Juven. VI, 316.

9. *Demissas in aquam faces* ardentes *integra flamma efferre* ex aqua, *quia vivum sulphur* (ἄπυρον, glebosum solidumque, quod non coctione paratur nec ignem expertum est, et avidissime flammam corripit; vid. Plin. XXXV, 15 seu 50) *cum calce insit :* nota morem Baccharum, non alibi, quantum memini, obvium.

Digitized by Google

abripiant. Eos esse, qui aut conjurare, aut sociari facinoribus, aut stuprum pati noluerint. Multitudinem ingentem, alterum jam prope populum esse; in his nobiles quosdam viros feminasque. Biennio proximo institutum esse, ne quis major viginti annis initiaretur: captari ætates et erroris et stupri patientes.

XIV. Peracto indicio, advoluta rursus genibus preces easdem, ut se ablegaret, repetivit. Consul rogat socrum, ut aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hispala immigraret; cœnaculum super[1] ædes datum est, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso. Res omnes Feceniæ extemplo translatæ, et familia arcessita[2]: et Æbutius migrare ad consulis clientem jussus. Ita quum indices ambo in potestate essent, rem ad senatum Postumius defert, omnibus ordine expositis, quæ delata primo, quæ deinde ab se inquisita forent. Patres pavor ingens cepit, quum publico nomine, ne quid eæ conjurationes cœtusque nocturni fraudis occultæ aut periculi importarent, tum privatim suorum quisque vicem[3], ne quis affinis ei noxæ esset. Censuit autem senatus, gra-

Cap. XIV. 1. *Cœnaculum super ædes*, ὑπερῷον in suprema ædium parte et contignatione, quod a pauperibus inhabitari conducique solebat, et ad quod foris adscendebatur *scalis in publicum*, in plateam (vide ad II, 24, n. 6), *ferentibus*, unde *tertium tabulatum* (Etage) et *meritorium* cœnaculum dicebatur; vide ad Juven. III, 199, 234; VII, 118; X, 18; Suet. Vitell. 7; Intpp. Plaut. Amphitr. III, 1, v. 3; Ernesti ad Suet. Aug. 45, et Clav. Cic.

2. *Et familia arcessita* Feceniæ; vide ad III, 55, n. 8. — *Migrare ad consulis clientem jussus*, partim ut ibi ab insidiis Bacchanali initiatorum tutus lateret, partim ut index in potestate foret: ob quas causas etiam consulis socrus partem ædium Hispalæ vacuam fecit; Drak. — *Publico nomine*, reipublicæ causa. — *Importarent*; vid. intpp. Phædr. I, 28, v. 6.

3. *Privatim suorum quisque vicem*, al. *vice*; vide ad I, 25, n. 5, et XXV, 38, n. 2. Ad hæc verba intell. *metuere* aut *pavere* ex præc. *pavor*: secus leg. *quemque*; Gronov. Crever. et Cort. ad Sall. Cat. XXX, 6. — *Ne quis* suorum *affinis ei noxæ esset*; vide ad X, 19, n. 2, et XXXVIII, 31, n. 3.

Digitized by Google

tias consuli agendas, quod eam rem et cum singulari cura, et sine ullo tumultu investigasset. Quæstionem deinde de Bacchanalibus[4] sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandant[5]: indicibus, Æbutio ac Feceniæ, ne fraudi ea res sit, curare, et alios indices præmiis invitare jubent: sacerdotes eorum sacrorum, seu viri, seu feminæ essent, non Romæ modo, sed per omnia fora et conciliabula[6] conquiri, ut in consulum potestate essent: edici præterea in urbe Roma, et per totam Italiam edicta mitti, *Ne quis, qui Bacchis initiatus*[7] *esset, coisse aut convenisse causa sacrorum velit, neu quid talis rei divinæ fecisse.* Ante omnia, ut quæstio de his habeatur, qui coierint, conjurave-

4. *Quæstionem de Bacchanalibus*, etc. hæc initia, qualia tum erant (vide ad cap. 8), SCtis (vid. seqq. et c. 17, 18, 19) sublata sunt, non omnia Bacchi sacra, Liberalia. Notissimum vero SCtum illud celeberrimum de Bacchanalibus, quod repertum est a. 1692 in Neapol. regno, insculptum tabulæ æneæ, et editum illustratumque a Fabrett. Inscr. Synt. pag. 417, a Jac. Gronov. in ed. Cic., a Bynkershoek. Exerc. de rel. peregr. c. 2; Maffæo Hist. Art. diplom. pag. 125; Matth. Ægyptio Neap. 1729, et Hearnio: quos commentarios cum ipso SCto exhibuit Drak. ad calcem t. VI et VII, ed. Liv. « *Extra ordinem consulibus mandatur* a senatu hæc quæstio: nam ad causas pertinebat, quæ ad senatus curam spectabant, quarum magnam partem nos sub *politiæ generalis* nomine, Romani per *rempublicam summam* declarabant. Hoc modo tollendæ difficultates, in quibus æstuant Duk. et alii »; Heyn. Opusc. Acad. tom. IV, pag. 67. Ante quæstiones perpetuas factas, quæstiones de criminibus civium interdum a populo, interdum a senatu decretas, vel de iis ad populum latum, ab eoque senatui arbitrium, quem de iis quærere vellet, relictum fuisse, docet Duker. coll. IV, 50, 51; VI, 19; IX, 26; X, 1; XXVI, 33; XXVIII, 10; XXIX, 36; XXX, 36; XXXI, 12; XXXII, 26; XXXVIII, 54; XL, 37, 43; XLII, 21; Polyb. VI, 11 et 14.

5. *Consulibus mandant*..... et *jubent*, scil. senatus, quod collectivum est nomen: *mandat* et *jubet* alii, quia præcedit *censuit senatus*. Sed frequens est hæc orationis varietas. Conf. Gronov. et Drak. — *Alios indices præmiis invitare* e cod. Mogunt. *alios* (indices) *illicere ac præmiis* i. reliqui MSS et vett. edd. prob. Gron. Forte Livius non nisi *alios illicere præmiis*, vel *alios præmiis invitare* scripsit.

6. *Per omnia fora et conciliabula*; vide ad XXV, 5, n. 3.

7. *Bacchis initiatus*; vide ad c. 9, n. 4. — *Causa sacrorum*; vide ad II, 31, n. 2. — *Ante omnia, ut quæstio habeatur*; quum hæc verba non ad

Digitized by Google

rintve, quo stuprum flagitiumve inferretur. Hæc senatus decrevit. Consules ædilibus curulibus imperarunt, ut sacerdotes ejus sacri omnes conquirerent, comprehensosque libero conclavi [8] ad quæstionem servarent; ædiles plebis videre, ne qua sacra in operto fierent. Triumviris capitalibus mandatum est, ut vigilias disponerent per Urbem, servarentque, ne qui nocturni cœtus fierent; utque ab incendiis [9] caveretur, adjutores triumviris quinqueviri uti cis Tiberim suæ quisque regionis ædificiis præessent.

XV. Ad hæc officia dimissis magistratibus, consules

edictum, sed ad senatusconsultum referenda sint, ea Crev. probb. Drak. et Doering. diverso formarum typographicarum charactere exendenda curavit. Nec offendere debet, addit recte Crev., orationis struendæ mutatio, quod cætera senatusconsulti capita per *infinita* efferuntur, hoc per particulam *ut*. Nihil enim crebrius apud Livium. Sed conf. n. 8. Ed. — *Coierint conjuraverintve;* vide ad III, 35, n. 10. *Coissent conjurassentve*, alii.

8. *Libero conclavi*, arbitrio, quo velint. Alio sensu *libera custodia* dici videtur XXIV, 45, n. 4. — *Ædiles pl. videre*, sc. *jusserunt*, ex priori *imperarunt ut*, aut lege cum Gronov. *viderent*, quum præsertim excipiat *ne;* Bauer. Verum solet Livius hac ratione constructionem variare, ut post *jubere, imperare, decernere, censere, placere* ac similia verba subjungat in primo membro verbum infinitum, in altero hoc resolvat per *ut* vel *quod*, et contra; Drakenb. qui multa laudavit exempla. Conf. V, 25, n. 4, et XXIX, 34, n. 6. — *In operto*, occulto loco, vel quem adire nefas sit, adyto. Conf. Ernesti Clav. Cic. — *Servarent*, i. e. observarent, caverent.

9. *Utque ab incendiis caveretur*, mandatum, *uti adjutores triumviris* (propr. *triumvirorum*) *quinqueviri*, etc. vide ad IX, 46, n. 9. Jungere licet *præessent cis Tiberim;* sed etiam *quinqueviri cis Tiberim:* nam *quinqueviri cis et uls* (ultra) *Tiberim* (unde Crev. h. l. conj. *quinqueviri uls et cis Tiberim*), magistratus minores incertæ originis, memorantur Pompon. lib. II, § 31, D. de Orig. Juris. Pomponius de iis loquitur, tanquam de magistratibus ordinariis; nec ex Livio apparet, tum subito creatos fuisse. Cf. intpp. et Duk. ad h. l. *Regionis*, partis Urbis, non habito respectu ad IV regiones, in quas Urbs eo tempore divisa fuisse videtur, nisi unicuique harum regionum curandæ duo ex quinqueviris ac triumviris præfecti sunt: et *adjutores triumviris*, ut *amicus populo rom.*, *collega consulibus*, *dux cohortibus* et alia, quæ ad XXXIX, 47, n. 11 laudavi; Drak. Sed in his casus tertius a verbo fere adjuncto pendet. *Dati* ante *uti* inseruit Sigon. at Gron. pro *uti* conj. *dati*, et ex præc. repetit *ut*. Malim: *adjuncti his triumviris quinqueviri, qui cis Tiberim*, etc.

Digitized by Google

in Rostra escenderunt[1]; et, concione advocata, quum solenne carmen[2] precationis, quod præfari, prius quam populum alloquantur, magistratus solent, peregisset consul, ita cœpit: « Nulli unquam concioni, « Quirites, tam non solum apta[3], sed etiam necessa- « ria, hæc solennis deorum comprecatio fuit, quæ vos « admoneret, hos esse deos, quos colere, venerari, « precarique, majores vestri instituissent; non illos, « qui pravis et externis religionibus captas mentes, « velut furialibus stimulis, ad omne scelus et ad om- « nem libidinem agerent. Equidem, nec quid taceam, « nec quatenus proloquar, invenio. Si aliquid ignora- « bitis, ne locum negligentiæ dem; si omnia nuda- « vero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. « Quidquid dixero, minus, quam pro atrocitate et « magnitudine rei, dictum scitote esse. Ut ad caven- « dum satis sit, dabitur opera a nobis. Bacchanalia « tota jam pridem Italia, et nunc per Urbem etiam « multis locis esse, non fama modo accepisse vos, « sed crepitibus etiam ululatibusque nocturnis, qui « personant tota urbe, certum habeo; cæterum, quæ « ea res sit, ignorare: alios deorum aliquem cultum, « alios concessum ludum et lasciviam esse credere, « et, qualecumque sit, ad paucos pertinere. Quod ad « multitudinem eorum attinet, si dixero, multa millia

Cap. XV. 1. *In Rostra escenderunt;* vide ad II, 7, n. 7.

2. *Solenne carmen* (vide ad I, 24, n. 9) *precationis, quod præfari* (ut V, 41; XLV, 5, al.), *prius quam populum alloquantur, magistratus solent* in comitiis, scil. *ut res bene ac feliciter eveniat reip.*, etc. conf. XXI, 17; XXXI, 5, 7, 8; XXXVI, 1; XXXVII, 47; XL, 46; XLII, 28; Cic. Mur. 1; Plin. Pan. 72. — *Peregisset* (vide ad I, 18, n. 10) *consul*, A. Postumius Albinus, a quo res tota investigata erat et ad senatum delata. Conf. cap. 11-14.

3. *Tam non solum apta*, scil. quam huic. Illud *tam*, quod a solo MS Mogunt. abest, delevit Drak. Sed vel *tam* vel *magis* requiritur h. l., et utrumque quidem omittitur, at non nisi sequente *quam;* vide ad I, 25, n. 11, et II, 56, n. 8.

Digitized by Google

« hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi « adjunxero, qui qualesque sint. Primum igitur mu- « lierum magna pars est, et is fons mali hujusce fuit: « deinde simillimi feminis mares, stuprati et constu- « pratores, fanatici vigiles[4]; vino, strepitibus clamori- « busque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires con- « juratio, cæterum incrementum ingens virium habet, « quod in dies plures fiunt. Majores vestri ne vos qui- « dem, nisi quum aut, vexillo in arce posito, comi- « tiorum causa exercitus eductus esset, aut plebi con- « cilium tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus « ad concionem vocasset, forte temere coire volue- « runt[5]; et, ubicumque multitudo esset, ibi et legiti- « mum rectorem multitudinis censebant debere esse. « Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos « mulierum ac virorum, esse creditis? Si, quibus æta- « tibus initientur mares, sciatis, non misereat vos « eorum solum, sed etiam pudeat. Hoc sacramento « initiatos juvenes milites faciendos censetis, Quirites? « iis ex obscœno[6] sacrario eductis arma committenda? « hi, cooperti stupris suis alienisque, pro pudicitia « conjugum ac liberorum vestrorum ferro[7] decernent?

XVI. « Minus tamen esset, si flagitiis tantum effe- « minati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus « erat), a facinoribus manus, mentem a fraudibus abs-

4. *Fanatici vigiles*, forte *vigiliis*, *vino*, etc. Crev.

5. *Majores vestri ne vos quidem... forte temere* (vide ad II, 31, n. 3) *coire voluerunt:* male multi MSS et edd. antt. *noluerunt.* Rectius sane *voluerunt* ob *ne quidem:* sed tum verba *censebant debere* pæne glossema sapiant; Bauer. — *Nisi quum aut, vexillo in arce posito, comitiorum causa exercitus eductus esset* ex Urbe, *aut plebi* (tert. cas., aut sec. vid. II, 33, n. 2) *concilium tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus* eam seu vos *ad concionem vocasset;* vide ad I, 36, n. 7.

6. *Iis ex obscœno*, etc. forte *his ex obscœno;* Bauer.

7. *Ferro decernent;* vide ad XXI, 41, n. 2.

Digitized by Google

« tinuissent. Nunquam tantum malum in republica « fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quid- « quid his annis libidine, quidquid scelere peccatum « est, ex illo uno sacrario scitote ortum esse. Necdum « omnia, in quæ conjuraverunt, edita facinora ha- « bent [1]. Adhuc privatis noxiis, quia nondum ad rem- « publicam opprimendam satis virium est, conjuratio « sese impia tenet. Crescit et serpit quotidie malum: « jam majus est, quam ut capere id privata fortuna « possit [2]: ad summam rempublicam spectat. Nisi præ- « cavetis, Quirites, jam huic diurnæ, legitime ab con- « sule vocatæ, par noctùrna concio [3] esse poterit. Nunc « illi vos, singuli universos concionantes [4], timent: jam, « ubi vos dilapsi domos et in rura vestra eritis, illi « coierint, consultabunt de sua salute simul ac vestra « pernicie; tum singulis vobis universi timendi erunt. « Optare igitur unusquisque vestrum debet, ut bona « mens suis omnibus fuerit [5]. Si quem libido, si furor « in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum qui- « bus in omne flagitium et facinus conjuravit, non « suum judicet esse. Ne quis etiam errore labatur, ve- « strum quoque non sum securus. Nihil enim in spe- « ciem fallacius est, quam prava religio. Ubi deorum

Cap. XVI. 1. *Edita facinora habent*, ediderunt: habent, culpam sustinent; Bauer. — *Privatis noxiis... sese tenere;* conf. n. 2. *Noxis* conj. Bauer. vide ad X, 19, n. 2. — *Crescit et serpit*, vel alitur, augetur (cf. Cic. Verr. III, 76), vel increbrescit, vulgatur, ut XXVIII, 15, et XL, 19. Conf. Ern. Clav. Cic.

2. *Quam ut capere id privata fortuna possit*, intra privatos eorumque fortunam subsistere, hunc modum tenere et servare, id. qd. *privatis noxiis sese tenere*. — *Ad summam rempublicam spectat;* vid. III, 5, n. 6.

3. *Nocturna concio* initiatorum *par* multitudine.

4. *Universos concionantes*, in concione stantes. — *Illi coierint;* suspicatur Doer. *illi, si coierint*. Ed.

5. *Ut bona mens suis omnibus fuerit*, ne sui insaniverint, illiusve furoris fuerint participes. Conf. Gron. ad Sen. Controv. IV, 25, et Duk. ad Flor. II, 6, § 20. — *Vestrum non sum securus*, a vobis, ut IX, 22.

Digitized by Google

« numen prætenditur sceleribus, subit animum timor,
« ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid
« immixtum violemus. Hac vos religione innumerabi-
« lia decreta pontificum, senatusconsulta, haruspicum
« denique responsa liberant[6]. Quoties hoc patrum avo-
« rumque ætate negotium est magistratibus datum, ut
« sacra externa[7] fieri vetarent, sacrificulos vatesque
« foro, circo, urbe prohiberent, vaticinos libros con-
« quirerent comburerentque, omnem disciplinam sa-
« crificandi, præterquam more romano, abolerent?
« Judicabant enim prudentissimi viri omnis divini hu-
« manique juris, nihil æque dissolvendæ religionis
« esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacri-
« ficaretur. Hæc vobis prædicenda ratus sum, ne qua
« superstitio agitaret animos vestros, quum demolien-
« tes nos Bacchanalia discutientesque nefarios cœtus
« cerneretis. Omnia, diis propitiis volentibusque, ea
« faciemus[8]; qui, quia suum numen sceleribus libi-
« dinibusque contaminari indigne ferebant, ex occul-
« tis ea tenebris in lucem extraxerunt, nec patefieri,
« ut impunita essent, sed ut vindicarentur et oppri-
« merentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra or-
« dinem de ea re mihi collegæque meo mandavit: nos,
« quæ ipsis nobis agenda sunt, impigre exsequemur.
« Vigiliarum nocturnarum curam per Urbem minori-

6. *Hac vos religione... liberant;* vide ad II, 5, n. 4; V, 23, n. 8.

7. *Ut sacra externa... abolerent;* conf. XXV, 1, n. 7 et 12; ad I, 23, n. 1, et IV, 30, n. 5; ad Tacit. Ann. VI, 12; Intpp. Suet. Aug. 31, 40, et Horat. Sat. I, 6, 113. — *Omnem disciplinam*, modum, formam, *sacrificandi*, omnes sacrorum ritus. — *Nihil æque dissolv. relig. esse*, etc. nihil magis ad dissolvendam religionem valere; sed vid. III, 24, n. 1, et IV, 30, n. 5. — *Bacchanalia*, intellige loca vel templa, ubi huc usque Bacchanalia celebraverant fanatici. Ed.

8. *Diis propitiis volentibusque* (vide ad I, 16, n. 4) *omnia ea faciemus*, quæ sc. patrum avorumque ætate magistratus fecerunt. Ita non redundat *ea*, quod putabat Bauer. — *Senatus quæstionem extra ordinem;* vide ad cap. 14, n. 4. Ed.

Digitized by Google

« bus magistratibus mandavimus. Vos quoque, æquum « est, quæ vestra munia sunt, quo quisque loco po- « situs erit, quod imperabitur, impigre præstare, et « dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut « tumultus oriatur ».

XVII. Recitari deinde senatusconsulta[1] jusserunt, indicique præmium proposuerunt, si quis quem ad se deduxisset, nomenve absentis detulisset. *Qui nominatus profugisset, diem certam se finituros, ad quam nisi citatus respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum, qui tum extra terram*[2] *Italiam essent, nominaretur, ei laxiorem diem daturos*[3], *si venire ad causam dicendam vellet.* Edixerunt deinde, *ne quis quid fugæ causa vendidisse, neve emisse vellet: ne quis reciperet*[4], *celaret, ope ulla juvaret fugientes.* Concione dimissa, terror magnus urbe tota fuit; nec mœnibus se tantum urbis aut finibus romanis continuit, sed passim per totam Italiam, literis hospitum de senatusconsulto, et concione, et edicto consulum acceptis, trepidari cœptum est. Multi ea nocte, quæ diem insequuta est, quo in concione res palam facta est, custodiis circa portas positis, fugientes a triumviris comprehensi et reducti sunt: multorum nomina delata: quidam ex iis viri feminæque mortem sibi consciverunt. Conjurasse supra septem millia virorum ac mulierum dicebantur. Capita autem conjurationis constabat esse,

Cap. XVII. 1. *Senatusconsulta*, forte *s. consultum*, ut mox *literis hospitum de SCto.* — *Indici præmium proposuerunt;* vide ad XXI, 45, n. 4. — *Qui nominatus*, cujus nomen delatum fuisset. Mox *finituros diem*, h. e. præfinituros, definituros. Cf. ad IX, cap. 33, n. 2. Ed.

2. *Qui tum extra terram*, etc. vide ad I, 25, n. 1. *Tum* pro *nunc, jam*, ex persona loquentis: Livius ex sua posuit; Bauer.

3. *Laxiorem diem daturos;* vide ad II, 34, n. 13.

4. *Ne quis reciperet*, forte *neu* vel *neve;* Bauer.

Digitized by Google

M. et C. Atinios[5] de plebe romana, et Faliscum L. Opiternium, et Minium Cerrinium Campanum : ab his omnia facinora et flagitia orta : eos maximos sacerdotes conditoresque ejus sacri esse. Data opera est, ut primo quoque tempore comprehenderentur. Adducti ad consules, fassique de se, nullam moram judicio fecerunt.

XVIII. Cæterum tanta fuga ex Urbe facta erat, ut, quia multis actiones et res[1] peribant, cogerentur prætores T. Mænius et M. Licinius per senatum res in diem trigesimum differre, donec quæstiones a consulibus perficerentur. Eadem solitudo, quia Romæ non respondebant, nec inveniebantur, quorum nomina delata erant, coegit consules circa fora proficisci, ibique quærere et judicia exercere. Qui tantum initiati erant, et ex carmine sacro[2], præeunte verba sacerdote, precationes fecerant, in quibus nefanda conjuratio in omne facinus ac libidinem continebatur, nec earum rerum ullam, in quas jurejurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant : qui stupris aut cædibus[3] violati erant, qui falsis testimoniis, signis adulterinis, subjectione testamentorum, fraudibus aliis contaminati,

5. *M. et C. Atinios* ex emend. Sigon. *M. et L. Catinios* cod. Mogunt. unde *M. et L. et C. Atinios* conj. Drak. *de plebe rom.* homines, vel plebeios, vel tenues et infimos civium; Duk. — *Minium;* vid. cap. 13, n. 5.

Cap. XVIII. 1. *Quia multis actiones* forenses *et res*, lites, causæ (nisi malis cum Bauero pecuniæ creditæ, jura, obligationes, e quibus agerent), *peribant*, multi perdebant eas, jus amittebant. — *Quia non respondebant*, tempore exclusi et absentes; in cap. præc. *ad quam (diem) nisi citatus respondisset, absens damnaretur.* Cæterum vid. XXV, 4, n. 3. Ed. — *Nomina delata;* vide ad IX, 26, n. 5. — *Circa*, per, ad, *fora* circumjecta *proficisci;* vide ad I, 4, n. 11, et XXV, 5, n. 3.

2. *Ex carmine sacro*, etc. vide ad I, 24, n. 9.

3. *Stupris violati*, quæ vel ipsi passi erant, vel aliis intulerant; at *cædibus violati*, qui alterum interfecerant; Drak. — *Falsis testimoniis, signis adulterinis;* conf. supra cap. 8,

Digitized by Google

eos capitali pœna afficiebant. Plures necati, quam in vincula conjecti sunt: magna vis in utraque causa virorum mulierumque fuit. Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas[4]. Si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur. Datum deinde consulibus negotium est, ut omnia Bacchanalia Romæ primum, deinde per totam Italiam, diruerent; extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset. In reliquum deinde senatusconsulto cautum est[5], *Ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia essent. Si quis tale sacrum solenne et necessarium duceret, nec sine religione et piaculo se id omittere posse, apud prætorem urbanum profiteretur, prætor senatum consuleret. Si ei permissum esset, quum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent, neu qua pecunia communis, neu quis magister sacrorum, aut sacerdos esset.*

XIX. Aliud deinde huic conjunctum, referente

n. 5, et XL, 23, fin. Ed. — *Subjectione testamentorum*, ut *subjicere*, *supponere* et *subdere testamenta*; vid. Tacit. Ann. I, 6, 8. — *In utraque causa*, conditione, crimine, ut vel fecissent, vel facturos se obligassent; Bauer.

4. *Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent* (vide ad V, 20, n. 1), *tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas.* Vide ad Tac. Ann. II, 50, n. 5. *In privato*, ut contra mox *in publico*; vide ad II, 24, n. 6. — *Extra quam si aliqua ibi*, etc. vide ad XXII, 3, n. 8.

5. *SCto cautum est* de Bacchanalibus, inciso in tabula ænea, quæ etiam nunc in biblioth. Cæsarea Vindobonensi servatur, et ex qua patet, a Livio omnia sua inde ducta esse, nonnulla etiam iisdem verbis. Hinc ad calcem Livii monimentum hoc dedimus exemplo Hearnii et Drakenb. Idem edidere Fabrett. Inscr. pag. 427; Scipio Maffæus, Hist. Art. diplom. pag. 125; Bynkersh. in Opusc. pag. 259, et Matth. Ægyptius Neap. 1729. — *Si ei permissum esset*, sc. qui tale sacrum solenne et necessarium duceret, etc. Drak. — *Quum in senatu centum non minus essent*, forte *dum* et *ne minus*, quæ in hoc SCto aliquoties leguntur verba; Drak. Conf. ad II, 23, n. 9. — *Magister sacrorum*, forte ut *magister Saliorum* et *fratrum Arvalium* in lapidibus memorati. Conf. Drak.

Digitized by Google

Q. Marcio consule, senatusconsultum factum est, *Ut de iis, quos pro indicibus consules habuissent*[1], *integra res ad senatum referretur, quum Sp. Postumius, quæstionibus perfectis, Romam redisset.* Minium Cerrinium Campanum Ardeam in vincula mittendum censuerunt, magistratibusque Ardeatium[2] prædicendum, ut intentiore eum custodia asservarent, non solum ne effugeret, sed ne mortis consciscendæ locum haberet. Sp. Postumius aliquanto post Romam venit. Eo referente, de P. Æbutii et Hispalæ Feceniæ præmio, quod eorum opera indicata Bacchanalia essent, senatusconsultum factum est, *Ut singulis his centena millia æris*[3] *quæstores urbani ex ærario darent; utique consul cum tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Æbutio emerita stipendia essent*[4], *ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret. Utique Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset. Utique ei ingenuo nubere liceret*[5]; *neu quid ei, qui eam duxisset, ob*

Cap. XIX. 1. *Quos pro indicibus consules habuissent*, indices vere habuissent, indicibus usi essent; Bauer.

2. *Magistratibus A. prædicendum;* vide ad II, 10, n. 4. — *Ut intentiore*, etc. delevit Drak. nonnullorum codd. et vett. editt. auctoritate præpositionem *in*, quæ prius legebatur ante *intentiore*. Mox pro *ut singulis his* maluerant Gron. et Crev. legi *ut singula his*. Nostram vero lectionem defendit Lamb. Bosius, cui favet Drak. Ed.

3. *Centena millia æris* gravis; quam vocem excidisse putabat Perizon. de Ære gravi, § 24.

4. *Ut P. Æbutio emerita stipendia essent*, ut, præmii loco, vacationem militiæ haberet, velut emeruisset stipendia (conf. ad III, 57, n. 5, et IV, 26, n. 7); *neve censor ei equum publicum assignaret*, quia honori ille quidem, sed tamen et oneri erat; Ern. Cf. Casaub. ad Suet. Aug. 38; Gron. de Pec. Vet. III, 2; Lips. Mil. rom. I, 5, et Græv. Proleg. t. I Thes. Ant. Rom.

5. *Utique Feceniæ Hispalæ datio, deminutio, gentis enuptio, tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset. Utique ei ingenuo nubere liceret:* hæc jam recte exposuisse Turneb. Adv. XXX, 25, perperam vero Guther. de Jure Pont. II, 7, copiose docuit Gron. ad h. l. qui præter alia

Digitized by Google

id fraudi ignominiæve esset. Utique consules prætoresque, qui nunc essent, quive postea futuri essent, curarent, ne quid ei mulieri injuriæ fieret, utique tuto

hæc notavit: « *Dare* in genere JCtis est, per traditionem dominium transferre; vid. lib. LXXV, § ult. D. de V. O. Itaque *datio* est libera facultas, bonorum sive peculii dominum faciendi alium traditione, nemine vi juris aut potestatis aut patronatus intercedente. *Deminutio* illustrandæ et dilatandæ voc. *dationis* causa additur: nam tradendo alteri minuimus nostra. *Gentis enuptio* (jus enubendi e gente sua in aliam, et quidem h. l. honestiorem) concessa hoc significat, ut aliis quam libertis sui patroni aut libertis gentis illius, cujus erat liberta, ei nubere liceret (conf. ad IV, 4, n. 4). Hinc mox additur: *utique ei ingenuo nubere liceret;* quod, scilic. illis verbis non erat satis expressum. Mirum vero non est, moribus introductum fuisse, ut ex auctoritate patroni ejusdem gentis liberti ducerent uxores, libertæ nuberent, æque ab eodem patrono illi manumissas, hæ manumissis; unde Tac. Ann. VI, 18, dicitur *Theophanes proavus* omnium ejusdem gentis, quia ex ea personæ junctæ connubiis. Huic interpretationi non obstat, quod *tutoris optio* eidem Hispalæ datur. Nam nunquam fuit propositum senatui, Hispalam eximere numero mulierum, aut talia ei jura dare, qualia viris tantum civibus, neque omnibus, nedum sequiori sexui, conveniebant. Cato, supra ad XXXIV, 2, *Majores*, ait, *nullam, ne privatam quidem, rem agere feminas sine auctore voluerunt; in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Idcirco illis, quæ in manu parentum aut virorum non essent, *tutoris* auctoritas necessaria erat in his rebus, *si se obligarent, si civile negotium gererent*, Ulpian. t. XI Inst. Non igitur propterea negandum est, dationem, deminutionem suorum bonorum datam esse mulieri, quia tutor ad dandum, deminuendumve adhibendus est. Neque enim intelligitur ei facultas alia permissa, quam quæ legibus romanis ingenuæ feminæ, quæ nullius in manu erat, competebat. Itaque totum hoc opponitur libertinæ conditioni, quibus superstite patrono id concessum omnibus non erat, minus autem mulieri. Nam et post edictum prætoris, quo jus patronorum in libertos temperamentum accepit, patrono remansit actio operarum et alimentorum et societatis bonorum nomine, si id in pœnam ingrati animi pepigisset patronus (satis autem credibile est, quemque, ut maxime potuit, in futurum sibi cavisse): et morientium sine liberis ab intestato patronus heres erat, contraque testamentum, quo liberi hæredes instituti non essent, bonorum possessionem a prætore accipiebat. Neque obest, quod *mortuo patrono in nullius manu erat* Hispala, et *tutore a tribunis et prætore petito* jam *testamentum fecerat;* vid. cap. 9 extr. Nam hoc casu abolebatur macula libertinæ conditionis: ideoque cautum est hoc SCto, ut, quod ante jus erat acquisitum Hispalæ per mortem patroni, quum maneret libertini ordinis, id jam ei competeret jure privilegii, quo ingenuis æquabatur, tanquam mulieri, quæ mortuo viro in nullius potestate esset ». Nota Dukeri est: « Gronovium

Digitized by Google

esset: id senatum velle, et æquum censere, ut ita fieret. Ea omnia lata ad plebem, factaque sunt ex senatusconsulto; et de cæterorum indicum impunitate præmiisque consulibus permissum est.

XX. Et jam Q. Marcius, quæstionibus suæ regionis perfectis, in Ligures provinciam proficisci parabat; tribus millibus peditum romanorum, centum quinquaginta equitibus, et quinque millibus latini nominis peditum, ducentis equitibus in supplementum acceptis. Eadem provincia, idem numerus peditum equitumque et collegæ decretus erat. Exercitus acceperunt, quos priore anno C. Flaminius et M. Æmilius consules habuerunt: duas præterea legiones novas ex senatusconsulto scribere jussi sunt; et viginti millia

in iis, quæ hic de Theophane et matrimoniis clientum, non sine consensu patronorum contrahendis, scribit, aliquid humani passum contendit Fabrett. Inscr. cap. 6, pag. 478. Quod de *tutoris optione* dicit Livius, explicant JCti apud Otton. in Diss. de perpet. fem. tut. § 16; Schulting. ad Ulpiani tit. 11, § 18, et Heinecc. ad L. Jul. et Pap. Popp. II, 11. Quod ad ultima verba attinet, si non licuit mulieribus libertinis, *nubere ingenuis*, consequens est, neque ingenuis licuisse ducere uxores libertinas. Utrum autem hoc moribus, an legibus non licuerit, non satis exploratum est. Sunt viri juris et antiquitatis rom. peritissimi, qui putent, omnes ordines civium ultro et veluti ex compacto a libertinarum nuptiis abstinuisse. Sed me, ut legibus prohibitas fuisse credam, quum alia, tum hæc duo præcipue movent. Primum certum est, civibus rom. non licuisse uxores habere peregrinas, nisi cum quibus lege connubium erat, et, si quis aliam duxisset, eas justas nuptias non fuisse. Jam si civibus lege interdicebatur quarumcumque aliarum, etiam ingenuarum ac domi nobilium, peregrinarum nuptiis, quod sanguinem civilem cum peregrino misceri non volebant Romani, utique probabile est, eos non minore cura populum romanum incorruptum ab omni colluvione servilis sanguinis servare voluisse, et lege cavisse, ne ingenuis libertinas uxores ducere liceret. Deinde Dio Cass. lib. LIV et LVI, pag. 531, et 577, 578, his nuptiis ante Augustum pœnam positam fuisse et, quæ ea fuerit, non obscure significat, dicens, Augustum omnibus ingenuis, qui vellent, exceptis senatoribus, *permisisse* libertinas uxores ducere, et liberos eorum legitimos esse jussisse ». Conf. et animadversiones Matt. Ægyptii ad SCtum de Bacchanalibus, pag. 136; Burmanni ad Velleium Paterculum, II, 18, n. 3; aliorumque, quas congessit Drakenb. in editione Liv. t. VII, pag. 218 sq.

23.

Digitized by Google

peditum sociis et nomini latino imperarunt et equites mille trecentos, et tria millia peditum romanorum, ducentos equites [1]. Totum hunc exercitum, præter legiones, in supplementum hispaniensis exercitus duci placebat. Itaque consules, dum ipsi quæstionibus impediebantur, T. Mænium delectui habendo præfecerunt. Perfectis quæstionibus, prior Q. Marcius [2] in Ligures Apuanos est profectus. Dum penitus in abditos saltus, quæ latebræ receptaculaque semper illis fuerant, persequitur, in præoccupatis angustiis, loco iniquo est circumventus. Quatuor millia militum amissa; et legionis secundæ signa tria, undecim vexilla socium [3] latini nominis in potestatem hostium venerunt, et arma multa, quæ, quia impedimento fugientibus per silvestres semitas erant, passim jactabantur. Prius sequendi Ligures finem, quam fugæ Romani, fecerunt [4]. Consul, ubi primum ex hostium agro evasit, ne, quantum deminutæ copiæ forent, appareret, in locis pacatis exercitum dimisit [5]. Non tamen obliterare famam rei male gestæ potuit: nam saltus, unde eum Ligures fugaverant, Marcius est appellatus.

XXI. Sub hunc nuntium [1] ex Ligustinis vulgatum literæ, ex Hispania mixtam gaudio tristitiam afferen-

Cap. XX. 1. *Et tria millia peditum rom., CC equites:* hæc verba non pendent ab *imperarunt*, sed a *scribere jussi sunt*, a quibus forte librarii ea sejunxere. — *Præter legiones*, scil. duas illas ex SCto scriptas, quas urbanas fuisse puto; Duk.

2. *Prior Q. Marcius*, etc. nescio cur Livius dicat *prior*, quum Postumium deinde in provinciam venisse non memoret, et cap. 23, quæstionibus per Italiam habendis retentum in provinciam non potuisse proficisci significet; Duk. Vocem *prior* omittunt Lov. 5, et edd. vett. ante Gelen.

3. *Legionis signa... vexilla socium;* vide ad VIII, 8, n. 2.

4. *Prius sequendi finem... fecerunt;* vide ad XXVII, 14, n. 5.

5. *In locis pacatis exercitum dimisit*, passim per ea, vel in ea, postquam in illa venit: nisi ex Lov. 1 leg. *divisit*, scil. postquam ex hostium agro in ea venit; Duk.

Cap. XXI. 1. *Sub hunc nuntium;* vide ad II, 55, n. 1.

Digitized by Google

tes, recitatæ sunt. C. Atinius, qui biennio ante prætor in eam provinciam profectus erat, cum Lusitanis in agro Astensi[2] signis collatis pugnavit. Ad sex millia hostium sunt cæsa: cæteri fusi, fugati castrisque exuti. Ad oppidum deinde Astam oppugnandum legiones ducit: id quoque haud multo majore certamine cepit, quam castra; sed, dum incautius subit muros, ictus ex vulnere post dies paucos moritur. Literis de morte proprætoris recitatis, senatus censuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem consequeretur, nuntiaretque, senatum æquum censere, ne sine imperio provincia esset, maturare eum proficisci. Quarto die, qui missus erat, Lunam venit. Paucis ante diebus Calpurnius profectus erat. Et in citeriore Hispania L. Manlius Acidinus, qui eodem tempore, quo C. Atinius, in provinciam ierat, cum Celtiberis acie conflixit[3]. Incerta victoria discessum est, nisi quod Celtiberi castra inde nocte proxima moverunt; Romanis et suos sepeliendi, et spolia legendi ex hostibus potestas facta est. Paucos post dies, majore coacto exercitu, Celtiberi ad Calagurrim oppidum ultro lacessiverunt prælio Romanos. Nihil traditur, quæ causa numero aucto infirmiores eos fecerit: superati prælio sunt: ad duodecim millia hominum cæsa, plus

2. *In agro Astensi... ad Astam opp.* Hisp. Bæt., ad ostium Bætis sup. Gades, hod. forsan *Xerez della Frontera* ad *Guadalete* fl.; vid. Mel. III, 1; Ptol. II, 4; Plin. III, 1 seu 3. *In agro Oscensi* cod. Mogunt. Oscam Hisp. Bæticæ haud longe ab Asta remotam fuisse, ex Ptol. II, 4 constat; Drak. Conf. ad XXXIV, 10, n. 2.—*Lunæ*, Tusciæ in confinio Liguriæ oppidi. Ed. —*Maturare eum proficisci*, h. e. eum accelerare iter. De loquendi genere *maturare proficisci* pro τὸ simplicius *maturare*, vid. Gronov. qui infra ad cap. 45, § 5, hoc probavit et illustravit. Ed.

3. *Cum Celtiberis acie conflixit:* hic locus ostendit, Celtiberos in citeriore Hispania esse, qui tamen sunt trans Iberum; Glarean. Hispaniæ citeriori ulteriorique limites modo ampliores, modo angustiores, pro variante gentis potentia et fortuna, assignantur. — *Calagurrim*, alii *Calagurim*.

Digitized by Google

duo capta; et castris Romanus potitus: et, nisi successor adventu suo inhibuisset impetum victoris, subacti Celtiberi forent. Novi prætores ambo exercitus in hiberna deduxerunt.

XXII. Per eos dies, quibus hæc ex Hispania nuntiata sunt, ludi Taurii [1] per biduum facti religionis causa. Per dies decem apparatos deinde ludos M. Fulvius, quos voverat Ætolico bello, fecit. Multi artifices ex Græcia venerunt honoris ejus causa. Athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit, et venatio data leonum et pantherarum; et prope hujus sæculi copia [2] ac varietate ludicrum celebratum est. Novemdiale deinde sacrum tenuit, quod [3] in Piceno per triduum lapidibus pluerat, ignesque cælestes multifariam orti adussisse complurium levi afflatu vestimenta maxime dicebantur. Addita et unum diem supplicatio est ex decreto pontificum, quod ædes Opis in Capitolio de cælo tacta erat. Hostiis majoribus con-

Illud probabat Duk. ad Flor. III, 22, § 9; hoc Cellar. Geogr. Ant. II, 1, pag. 72.

Cap. XXII. 1. *Ludi Taurii* ed. Ascens. a. 1513, et aliæ *ludi Taurilia*, quæ lectio doctior et vix e librariorum ingenio profecta; vide ad II, 21, n. 1. Ludos hos quidam ab immolatione taurorum ita dictos putant, ut *taurobalium* et *suovetaurilia*; at Festus eos olim docet in circo Flaminio institutos fuisse et diis inferis consecratos, quod, regnante Tarquinio Superbo, magna in mulieres gravidas incidisset pestilentia ex carne taurorum diu populo vendita et comesa. Conf. et Serv. ad Virgil. Æn. II, 140 (qui ludos appellat *Taureos*), et Varr. Ling. lat. IV, 32. — Crev. recte observat addere Livium *religionis causa*, ut distinguat horum ludorum solennem statamque religionem a ludis votivis M. Fulvii, de quibus mox dicturus est; qui quidem, etsi religionis quoque nomine, tamen multo magis pompæ et oblectationis causa edebantur. Ed. — Ante *apparatos* in multis MSS et edd. ante Frob. legitur *decem*: unde *per dies decem* inseruere editores recentt. auctore Sigon. Sic paulo ante finem cap. *L. Scipio ludos... per dies decem fecit.* Conf. et XLII, 20, al. — *Quos voverat Ætolico bello M. Fulvius*; conf. cap. 5. — *Multi artifices*, etc. vide ad V, 1, n. 2.

2. *Hujus sæc. copia*; vid. I, 5, n. 1.

3. *Novemdiale deinde sacrum tenuit, quod*, etc. vide ad I, 4, n. 9; I, 31, n. 3; II, 3, n. 6. — *Et unum diem*, forte *in unum diem*.

Digitized by Google

sules procurarunt[4], Urbemque lustraverunt. Sub idem tempus et ex Umbria nuntiatum est, semimarem duodecim ferme annos natum[5] inventum. Id prodigium abominantes, arceri romano agro necarique quam primum jusserunt. Eodem anno Galli Transalpini, transgressi in Venetiam sine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia est, locum oppido condendo ceperunt. Legatis romanis, de ea re trans Alpes missis, responsum est, *Neque profectos ex auctoritate gentis eos, nec, quid in Italia facerent, se scire.* L. Scipio ludos eo tempore, quos bello Antiochi vovisse sese dicebat, ex collata ad id pecunia ab regibus[6] civitatibusque per dies decem fecit. Legatum eum post damnationem et bona vendita[7] missum in Asiam, ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina, Valerius Antias est auctor: tum collatas ei pecunias, congregatosque per Asiam artifices; et, quorum ludorum post bellum, in quo votos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum.

XXIII. Quum jam in exitu annus esset, Q. Marcius absens magistratu abiturus erat. Sp. Postumius, quæ-

4. *Consules procurarunt* hoc prodigium; vid. I, 20, n. 11.—*Urbemque lustraverunt*, ita sc. peregerunt sacrificium, ut urbem circumducta fuerit mactanda victima. *Lustratio* vel *lustrum*, ut exponit Crev. XLII, 20, n. 2, commune erat nomen omnium sacrificiorum, in quibus hostia circumducebatur. Si circum urbem, dicebatur peculiari nomine *amburbium;* si circum agros *ambarvalia;* si circum exercitum, *lustri* appellationem retinebat. *Amburbium* describitur a Lucano, I, 592 et seqq. *Ambarvalia* a Virgilio, Georg. I, 345 et seqq. vide et Festum in voce *Amburbiales*, et Servium ad Eclogam III, 77. Ed.

5. *Semimarem XII annos natum*, etc. vide ad XXVII, 11, n. 5. — *Id prodigium abominantes*, h. l. excidisse vocem *aruspices*, suspicabatur Drakenb. ex Julio Obsequente, qui tradit, cap. 56, hunc *aruspicum jussu* necatum. Ed.

6. *Ex collata ad id pecunia ab regibus*, etc. vide ad XL, 44, n. 7.

7. *Post damnationem et bona vendita;* vide ad XXXVIII, 54 sq.

Digitized by Google

stionibus cum summa fide[1] curaque perfectis, comitia habuit. Creati sunt consules Ap. Claudius Pulcher, M. Sempronius Tuditanus. Postero die prætores facti P. Cornelius Cethegus, A. Postumius Albinus, C. Afranius Stellio, C. Atilius Serranus, L. Postumius Tempsanus, M. Claudius Marcellinus. Extremo anni, quia Sp. Postumius consul renuntiaverat, peragrantem se propter quæstiones utrumque litus Italiæ desertas colonias, Sipontum supero, Buxentum infero mari, invenisse; triumviri ad colonos eo scribendos ex senatusconsulto ab T. Mænio prætore urbano creati sunt, L. Scribonius Libo, M. Tuccius, Cn. Bæbius Tamphilus. Cum Perseo rege et Macedonibus bellum, quod imminebat, non unde plerique opinantur, nec ab ipso Perseo causas cepit. Inchoata initia a Philippo sunt; et is ipse, si diutius vixisset, id bellum gessisset. Una eum res, quum victo leges imponerentur, maxime angebat; quod, qui Macedonum ab se defecerant in bello, in eos jus sæviendi ademptum ei ab senatu erat; quum, quia rem integram Quintius in conditionibus pacis distulerat, non desperasset impetrari posse. Antiocho rege deinde bello superato ad Thermopylas, divisis partibus, quum per eosdem dies consul Acilius[2] Heracleam, Philippus Lamiam oppugnasset; capta Heraclea, quia jussus abscedere a mœ-

Cap. XXIII. 1. *Quæstionibus cum fide*, etc. vid. c. 18 sq. — *Postero die prætores facti*, etc. Pighius monet, horum omnium provincias præter morem a Livio omitti, et ex XXXIV, 47, forte leg. *L. Postumius Tympanus.* Sed Postumius cognomen *Tempsanus* ob causam aliquam a Tempsa Bruttiorum opp. (vide XXXIV, 45) habere potuit; Duk. — *M. Claudius Marcellinus* forte cod. Mogunt. et tres alii; recte, si idem est, qui biennio post consul fuit (vid. cap. 35), quod tamen incertum. Ejusdem nominis prætor memoratur XXXVIII, 35, et potuit hic ad distinctionem illius dictus esse *Marcellinus;* Periz. — Ex Gron. conjectura, Crev. recepit *Marcellus.* Ed.

2. *Per eosdem dies consul Acilius*, etc. vide ad XXXVI, 25 sq. — *Ro-*

Digitized by Google

nibus Lamiæ erat, Romanisque oppidum deditum est, ægre eam rem tulerat. Permulsit iram ejus consul, quod, ad Naupactum ipse festinans, quo se ex fuga Ætoli contulerant, Philippo permisit, ut Athamaniæ et Amynandro bellum inferret, et urbes, quas Thessalis Ætoli ademerant, regno adjiceret. Haud magno certamine et Amynandrum Athamania expulerat, et urbes aliquot receperat[3]. Demetriadem quoque, urbem validam et ad omnia opportunam, et Magnetum gentem suæ ditionis fecit: inde et in Thracia quasdam urbes, novæ atque insuetæ libertatis vitio, seditionibus principum turbatas, partibus, quæ domestico certamine vincerentur, adjungendo sese, cepit.

XXIV. His sedata in præsentia regis ira in Romanos est: nunquam tamen remisit animum a colligendis in pace viribus, quibus, quandoque data fortuna[1] esset, ad bellum uteretur. Vectigalia regni non fructibus tantum agrorum portoriisque maritimis auxit, sed metalla etiam et vetera intermissa recoluit, et nova multis locis instituit. Ut vero antiquam multitudinem hominum, quæ belli cladibus amissa erat, restitueret, non sobolem tantum stirpis parabat, cogendis omnibus procreare atque educare liberos, sed Thracum etiam magnam multitudinem in Macedoniam traduxerat, quietusque aliquamdiu a bellis omni cura in augendas regni opes intentus fuerat. Rediere deinde causæ, quæ de integro iram moverent in Romanos.

manis oppidum deditum anno sequenti; vide ad XXXVII, 4, n. 5.

3. *Et urbes aliquot receperat;* vide ad III, 29, n. 1.

Cap. XXIV. 1. *Quandoque data fortuna* ex emend. Gron. *quando* edd. vett. *quandocumque* Curio et al. Vide ad I, 24, n. 4. — *Portoriis maritimis*, exactis in portubus: nam portorium etiam in pontibus et itinere solvebatur (vid. Burm. de Vectig. c. 5, p. 53); et *metalla* loca, unde metalla effodiuntur (vide ad XLII, 12, n. 8); Drak. — *Cogendis omnibus procreare*

Digitized by Google

Thessalorum et Perrhæborum[2] querelæ de urbibus suis ab eo possessis, et legatorum Eumenis regis de Thraciis oppidis per vim occupatis, traductaque in Macedoniam multitudine, ita auditæ erant, ut eas non negligi satis appareret. Maxime moverat senatum, quod jam Æni et Maroneæ affectari possessionem audierant; minus Thessalos curabant. Athamanes quoque venerunt legati, non partis amissæ, non finium jacturam querentes, sed totam Athamaniam sub jus judiciumque regis venisse[3]. Et Maronitarum exsules (erant pulsi, quia libertatis causam defendissent ab regio præsidio), ii non Maroneam modo, sed etiam Ænum in potestate nuntiabant Philippi esse. Venerant et a Philippo legati ad purganda ea; qui nihil, nisi permissu romanorum imperatorum, factum affirmabant. *Civitates Thessalorum et Perrhæborum et Magnetum et cum Amynandro Athamanum gentem in eadem causa, qua Ætolos, fuisse. Antiocho rege pulso, occupatum oppugnandis ætolicis urbibus consulem ad recipiendas eas civitates*[4] *Philippum misisse: armis subactos parere.* Senatus, ne quid absente rege statueret, legatos ad eas controversias disceptandas[5] misit, Q. Cæcilium Metellum, M. Bæbium Tamphilum,

et educare liberos, forte prohibendo illos exponi; Duk. collato Dionys. Hal. I, 15.

2. *Thessalorum et Perrhæborum*, etc. conf. Polyb. XXIII, 4.

3. *Totam Athamaniam sub jus judiciumque* (vid. XXXVI, 39, n. 3) *regis venisse;* vide ad XXXVI, 14. At postea Amynander Athamaniam recepit (vide ad XXXVIII, 1, 2, 3, 9, 10); nec deinde Philippum eam recepisse apparet: quæ difficultas augetur eo, quod Athamanes extr. cap. seq. non duo tantum *castella*, sed et *libertatem repetunt;* Drak. Idem mox conj. *et Maronitarum exsules, qui erant pulsi... præsidio. Ii*, etc. (ita Lov. 4 et Mead. 2) et *exsules venerant pulsi, quia libertatis causam*, libertatem, *defendissent ab regio præsidio*, adversus illud. — Distinguit Doer. *Et M. exsules; er. p., quia...p. Ii non M.* etc., et post voc. *exsules*, subaudit *venerunt*. Ed.

4. *Ad recipiendas eas civitates;* vid. III, 29, n. 1.

5. *Ad controversias disceptandas;* vide ad I, 50, n. 5.

Digitized by Google

Ti. Sempronium [6]. Quorum sub adventum ad Thessalica Tempe omnibus iis civitatibus, quibus cum rege disceptatio erat, concilium indictum est.

XXV. Ibi quum romani legati disceptatorum [1] loco, Thessali Perrhæbique et Athamanes haud dubii accusatores, Philippus ad audienda crimina tanquam reus, consedissent; pro ingenio quisque eorum, qui principes legationum erant, et gratia cum Philippo aut odio, acerbius leviusve egerunt. In controversiam autem veniebant Philippopolis [2], Tricca, Phaloria, et Eurymenæ et cætera circa eas oppida; utrum Thessalorum juris, quum vi ademptæ possessæque ab Ætolis forent (nam Philippum Ætolis ademisse eas constabat), an ætolica antiquitus ea oppida fuissent. *Ita enim Acilium regi concessisse, si Ætolorum fuissent, et si voluntate, non si vi atque armis coacti, cum Ætolis essent.* Ejusdem formulæ disceptatio de Perrhæborum Magnetumque oppidis fuit. Omnium enim jura possidendo per occasiones Ætoli miscuerant. Ad hæc, quæ disceptationis erant, querelæ Thessalorum adjectæ, *quod ea oppida, si jam redderentur sibi, spo-*

6. *Ti. Sempronium*, Τιϐ. Κλαύδιον codd. Polyb. unde *Ap. Claudium* suspicari possis. Sed conf. inf. cap. 33. Quisnam vero hic Sempronius fuerit, non constat.

Cap. XXV. 1. *Disceptatorum loco;* vide ad I, 50, n. 5. — *Et gratia cum Philippo aut odio*, etc. Hunc locum laudat Ludov. Walch. Emend. Liv. pag. 188, quasi pertinentem ad genus ἀναχολούθων (h. e. orationum in quibus subito mutatur aut relinquitur inchoata constructio). « Sane, ait, scribi debebat, vel: *aut gratia cum Philippo aut odio*, ut in notis versibus: « Ambitio namque dissidens mortalium Aut gratiæ subscribit, aut odio suo »; vel deleto *et: gratia cum Phil. aut odio.* Ita V, 8, *ut quosque studium privatum aut gratia occupaverat.* Et poterant librarios fallere loca huic similia specie, re plane dissimilia; vid. cap. XXIII, 3; *alii nunc probra, nunc humilitatem sordidamque inopiam, et pudendæ artis aut questus genus objicerent* ». De oratione quæ vocatur ἀναχόλουθος vid. al. exemplum ad XXXVIII, 21, n. 1. Ed.

2. *Philippopolis;* vide ad XXVIII, 7, n. 9. — *Eurymenæ;* vid. Scylax Caryand. pag. 60; intpp. Plin. IV, 9, et Steph.

Digitized by Google

liata ac deserta redditurus esset. Nam, præter belli casibus amissos, quingentos principes juventutis in Macedoniam abduxisse, et opera eorum in servilibus abuti ministeriis; et quæ reddiderit coactus Thessalis, inutilia ut redderet, curasse. Thebas Phthias unum maritimum emporium fuisse, quondam Thessalis quæstuosum et frugiferum. Ibi navibus onerariis comparatis, regem, quæ præter Thebas Demetriadem cursum dirigerent, negotiationem maritimam omnem eo avertisse. Jam ne a legatis quidem, qui jure gentium sancti sint, violandis abstinere: insidias positas euntibus ad T. Quintium. Itaque ergo in tantum metum omnes Thessalos conjectos, ut non in civitatibus suis, non in communibus gentis conciliis, quisquam hiscere audeat: procul enim abesse libertatis auctores Romanos: lateri adhærere gravem dominum[3]*, prohibentem uti beneficiis populi romani. Quid autem, si vox libera non sit, liberum esse? Nunc se fiducia et præsidio legatorum ingemiscere magis, quam loqui. Nisi provideant aliquid*[4] *Romani, quo et Græcis Macedoniam accolentibus metus, et audacia Philippi minuatur, nequidquam et illum victum, et se liberatos esse. Ut equum tenacem, non parentem, frenis asperioribus castigandum esse.* Hæc acerbe postremi; quum priores leniter permulsissent iram ejus, petentes, *Ut ignosceret pro libertate loquentibus; et ut, deposita domini acerbitate, assuesceret, socium atque amicum sese præstare, et imitaretur populum romanum, qui caritate, quam metu, adjungere sibi socios mallet.*

3. *Lateri adhærere dominum;* vide ad XXIV, 5, n. 7.

4. *Nisi provideant aliquid;* vide ad VI, 6, n. 4. — *Ut equum tenacem;* conf. Ovid. Am, III, 4, v. 13, ibique Burm. *Sternacem* conj. Doujat. et Crever. Conf. ad Sil. I, 261. — *Non parentem* Philippum decretis Romanorum: alioqui verba videri possent interpret. voc. *tenacem;* Duk.

Digitized by Google

Thessalis auditis, Perrhæbi Gonnocondylum[5], quod Philippus Olympiadem appellaverat, Perrhæbiæ fuisse, et, ut sibi restitueretur, agebant. Et de Mallœa et Ericinio eadem postulatio erat. Athamanes libertatem repetebant, et castella Athenæum et Pœtneum.

XXVI. Philippus, ut accusatoris potius, quam rei, speciem haberet, et ipse a querelis orsus, *Menelaidem in Dolopia, quæ regni sui fuisset, Thessalos vi atque armis expugnasse*, questus est: *item Petram in Pieria ab iisdem Thessalis Perrhæbisque captam. Xynias*[1] *quidem, haud dubie ætolicum oppidum, sibi eos contribuisse; et Paracheloida, quæ sub Athamania esset, nullo jure Thessalorum formulæ factam. Nam quæ sibi crimina objiciantur de insidiis legatorum et maritimis portubus frequentatis aut desertis, alterum deridiculum esse, se reddere rationem, quos portus mercatores aut nautici petant; alterum mores suos respuere. Tot annos esse, per quos nunquam cessaverint legati, nunc ad imperatores romanos, nunc Romam ad senatum crimina de se deferre. Quem unquam verbo violatum esse? Semel ad Quintium euntibus insidias dici factas: sed, quid iis acciderit, non adjici. Quærentium, quod falso objiciant*[2]*, quum veri nihil habeant, ea crimina esse. Insolenter et im-*

5. *Gonnocondylum:* vox composita ex duorum oppidorum nominibus, et restituta a Sigon. pro *Connocondylum;* vide ad XLIV, 6, n. 6.

Cap. XXVI. 1. *Xynias:* Xyniarum oppidi jam mentio facta est XXXII, 13, fin. et XXXIII, 3, med. Ed. — *Thessalorum formulæ factam* (vide ad III, 62, n. 5, et XXVI, 24, n. 5) *Paracheloida;* nomen duorum oppidorum, Thessaliæ et Ætoliæ; vid. Steph. et Strab. IX, 434; X, 458. — *Nam quæ sibi crimina;* vid. III, 39, n. 8. —*Deridiculum*, valde ridiculum. Cf. Varr. de Re Rust. I, 18, et intpp. Ter. Heaut. V, 1, v. 79. Similiter *deparcus, detinere, deamare, defessus, dehiscens, defatiscor* dicuntur; Ern. *Ridiculum* omnes MSS præter Mog.

2. *Quærentium, quod falso objiciant*, ex emend. Gron. pro vulg. *quid*, quum *quærentium* h. l. non sit interrogantium, sed undique conquirentium.

Digitized by Google

modice abuti Thessalos indulgentia populi romani, velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem[3]. *Itaque, servorum modo præter spem repente manumissorum, licentiam vocis et linguæ experiri, et jactare sese insectatione*[4] *et convitiis dominorum.* Elatus deinde ira adjecit, *Nondum omnium dierum solem occidisse.* Id minaciter dictum, non Thessali modo in sese, sed etiam Romani acceperunt: et quum fremitus post eam vocem ortus et tandem sedatus esset, Perrhæborum inde Athamanumque legatis respondit, *Eamdem, de quibus illi agant, civitatium causam esse; consulem Acilium et Romanos sibi dedisse eas, quum hostium essent. Si suum munus, qui dedissent, adimere velint, scire se, cedendum esse; sed meliori ac fideliori amico, in gratiam levium et inutilium sociorum, injuriam eos esse facturos. Nec enim ullius rei minus diuturnam esse gratiam, quam libertatis; præsertim apud eos, qui male utendo eam corrupturi sint.* Causa cognita, pronuntiaverunt legati, *Placere, deduci præsidia Macedonum ex iis urbibus, et antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri. De injuriis, quas ultro citroque illatas*

3. *Velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem;* vide ad XXVII, 51, n. 2. *Seram* conj. Naudæanus, non inepte, judice Gronov. qui tamen *meram,* h. e. nimiam et intemperatam, probat comparatque Plat. de rep. VIII, p. 99, ed. Lugd. a. 1590, ὅταν, οἶμαι, δημοκρατουμένη πόλις, ἐλευθερίας διψήσασα, κακῶν οἰνοχόων προσταττόντων τύχῃ, καὶ πορρωτέρω τοῦ δέοντος ἀκράτου αὐτῆς μεθυσθῇ· Plut. in Quæst. Græc. pag. 295, de Megarensibus, ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν κατὰ τὴν πολιτείαν, εἶτα πολλὴν, κατὰ Πλάτωνα, καὶ ἄκρατον ἐλευθερίαν τῶν δημαγωγῶν οἰνοχοούντων διαφθαρέντες παντάπασι· Eunap. vit. Max. pag. 85, ὥσπερ οἱ κατὰ τὸν μῦθον τῆς διψάδος δηχθέντες, χανδὸν καὶ ἀμυστὶ τῶν μαθημάτων ἕλκειν ἐβούλετο· August. de civ. Dei, I, 30, *libido dominandi meracior;* Arnob. II, 47, *meraco sapientiæ tincti et saturi potu.*

4. *Jactare sese insectatione,* etc. vide ad III, 1, n. 4. — *Nondum omnium dierum solem occidisse,* proverbialis locutio eorum, qui aliis minantur malum aliquid. Intellige Philippum dixisse: ne nimium confi-

Digitized by Google

querantur, quo modo inter eas gentes et Macedonas disceptetur, formulam juris exsequendi constituendam[5] *esse.*

XXVII. Inde, graviter offenso rege, Thessalonicen ad cognoscendum de Thraciæ urbibus proficiscuntur. Ibi legati Eumenis: *Si liberas esse Ænum et Maroneam velint Romani, nihil sui pudoris esse*[1] *ultra dicere, quam ut admoneant, re, non verbo, eos liberos relinquant, nec suum munus intercipi ab alio patiantur. Sin autem minor cura sit civitatium in Thracia positarum, multo verius esse*[2], *quæ sub Antiocho fuerint, præmia belli Eumenem, quam Philippum, habere; vel pro patris Attali meritis bello, quod adversus Philippum ipsum gesserit populus romanus, vel suis, quod Antiochi bello terra marique laboribus periculisque omnibus interfuerit. Habere eum præterea decem legatorum in eam rem præjudicium; qui quum Chersonesum Lysimachiamque dederint, Maroneam quoque atque Ænum profecto dedisse, quæ ipsa propinquitate regionis velut appendices majoris muneris essent. Nam Philippum quidem quo aut merito in populum romanum, aut jure imperii, quum tam procul a finibus Macedoniæ absint, civitatibus his præsidia imposuisse? Vocari Maronitas juberent; ab iis certiora omnia de statu civitatium earum scituros.* Legati Maronitarum vocati, *non uno loco tantum urbis*

derent præsenti rerum statui: superesse et sibi et illis satis temporis, ut mutatas res videre possent. Ed.

5. *Quo modo inter eas gentes et M. disceptetur, formulam juris exsequendi constituendam;* vide ad I, 50, n. 5, et IV, 8, n. 4.

Cap. XXVII. 1. *Sui pudoris esse*, modestiam verecundiamque suam postulare, se pro modestia sua debere. — *Ut admoneant* ut *re*, etc. quod *ut* post *monere* sæpius omittitur; vid. Drakenb.

2. *Multo verius esse*, h. e. æquius, quod pro illo cap. 28 ponitur; vide ad II, 48, n. 2. Mox *vel suis, qui Antiochi bello terra*, etc. conj. Gron. prob. Drak.

Digitized by Google

præsidium regium esse, sicut in aliis civitatibus, dixerunt, *sed pluribus simul, et plenam Macedonum Maroneam esse: itaque dominari assentatores regios. His solis loqui et in senatu et in concionibus licere; eos omnes honores et capere ipsos, et dare aliis. Optimum quemque, quibus libertatis, quibus legum cura sit, aut exsulare pulsos patria, aut inhonoratos et deterioribus obnoxios silere*[3]. De jure etiam finium pauca adjecerunt: *Q. Fabium Labeonem, quum in regione ea fuisset, direxisse finem Philippo veterem viam regiam, quæ ad Thraciæ Paroreiam subeat, nusquam ad mare declinantem. Philippum novam postea deflexisse viam*[4], *qua Maronitarum urbes agrosque amplectatur.*

XXVIII. Ad ea Philippus longe aliam, quam adversus Thessalos Perrhæbosque nuper, ingressus disserendi viam: « Non cum Maronitis, inquit, mihi aut « cum Eumene disceptatio est, sed jam vobiscum, Ro- « mani; a quibus nihil æqui me impetrare jam diu ani- « madverto. Civitates Macedonum, quæ a me inter in- « ducias defecerant, reddi mihi æquum censebam; non « quia magna accessio ea regni futura esset (sunt enim

3. *Deterioribus obnoxios silere;* vide ad III, 39, n. 1. Mox verba, ex ed. et forte cod. Mogunt. adjecta, *viam* et *ad* absunt a MSS et vett. edd. In iisdem *ferentem* pro *declinantem*. Quæ omnia probavit Gron. — *Declinantem* primus ex codice Mogunt., ut videtur, dedit Gelenius. *Ferentem* quod prius legebatur, non improbat Drak., multis collatis exemplis quæ verbum hoc frequens esse Livio fidem faciunt. Ed. — *Quint. Fabium Labeonem;* hic est, teste Crever., qui quinquennio ante classi præfuerat, et dicitur supra ad XXXVII, cap. 60, curavisse deducenda ab Æno et Maronea Antiochi præsidia. Ed. — *Thraciæ Paroreia*, propr. Thraciæ subjecta (vide ad XLII, 51): nam alia Παρώρεια sive Παρωραία et Παρωρία Arcadiæ urbs est, alia Epiri; vid. Strab. VII, pag. 326; Herodot. IV, 148; VIII, 37; Pausan. VIII, 27, 35, et Steph. — *Subeat ad*, prope accedat ad. Conf. Drak. qui multa Livii laudat exempla; vide etiam ad VII, 23, n. 5, et XXII, 4, n. 2.

4. *Novam deflexisse viam*, ab illa

Digitized by Google

« et parva oppida, et in finibus extremis posita), sed « quia multum ad reliquos Macedonas continendos « exemplum pertinebat[1] : negatum est mihi. Bello « Ætolico Lamiam oppugnare jussus a consule M'. Aci- « lio, quum diu fatigatus ibi præliis operibusque es- « sem, transcendentem me jam muros a capta prope « urbe revocavit consul, et abducere copias inde coe- « git. Ad hujus solatium injuriæ permissum est, ut « Thessaliæ, Perrhæbiæque, et Athamanum reciperem « quædam castella magis, quam urbes. Ea quoque ipsa « vos mihi, Q. Cæcili, paucos ante dies ademistis. Pro « non dubio paulo ante, si diis placet[2], legati Eumenis « sumebant, quæ Antiochi fuerunt, Eumenem æquius « esse, quam me, habere. Id ego aliter longe judico « esse. Eumenes enim, non nisi vicissent Romani, sed « nisi bellum gessissent, manere in regno suo non « potuit. Itaque ille vestrum meritum habet, non vos « illius : mei autem regni, tantum aberat, ut ulla pars « in discrimine fuerit, ut tria millia talentum[3] et quin- « quaginta tectas naves et omnes Græciæ civitates, « quas antea tenuissem, pollicentem ultro Antiochum « in mercedem societatis sim adspernatus : hostemque « ei me esse prius etiam, quam M'. Acilius exercitum « in Græciam trajiceret, præ me tuli; et cum eo con- « sule belli partem, quamcumque mihi delegavit, gessi. « Et insequenti consuli L. Scipioni, quum terra sta- « tuisset ducere exercitum ad Hellespontum, non iter « tantum per regnum nostrum dedi, sed vias etiam

deflexam munisse. — *Maronitarum urbes*, forte *urbem*.

Cap. XXVIII. 1. *Ad reliquos Macedonas continendos* (vide ad XXII, 22, n. 9) *exemplum pertinebat ;* vide ad XXVI, 31, n. 5. — *Lamiam oppugnare jussus*, etc. conf. cap. 23, et XXXVI, 25.

2. *Si diis placet ;* vid. IV, 3, n. 4.

3. *Tria millia talentum*, ex Crev. rationibus, marcas argenti nostrates 281,250. Ed. — *Quinquaginta tectas*

Digitized by Google

« munivi, pontes feci, commeatus præbui; nec per « Macedoniam tantum, sed per Thraciam etiam, ubi « inter cætera pax quoque præstanda a Barbaris erat. « Pro hoc studio meo erga vos, ne dicam merito, « utrum adjicere vos, Romani, aliquid, et amplificare « et augere regnum meum munificentia vestra opor- « tebat, an, quæ haberem aut meo jure, aut bene- « ficio vestro, eripere? id quod nunc facitis. Macedo- « num civitates, quas regni mei fuisse fatemini, non « restituuntur. Eumenes, tanquam ad Antiochum, ad « spoliandum me venit, et, si diis placet, decem lega- « torum decretum calumniæ impudentissimæ præten- « dit[4]; quo maxime et refelli et coargui potest. Di- « sertissime enim planissimeque in eo scriptum est, « Chersonesum et Lysimachiam Eumeni dari. Ubi tan- « dem Ænus, et Maronea, et Thraciæ civitates adscri- « ptæ sunt? Quod ab illis ne postulare quidem est au- « sus, id apud vos, tanquam ab illis impetraverit, « obtinebit? Quo in numero[5] me apud vos esse veli- « tis, refert. Si tanquam inimicum et hostem insectari « propositum est, pergite, ut cœpistis, facere. Sin ali- « quis respectus est mei, ut socii atque amici regis, « deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis ».

naves; vide ad XXII, 19, n. 4. — *Sed per Thraciam etiam, ubi*, etc. ante Drak. legebatur *sed per Thraciam, ubi etiam*, etc. Quum vero vir ille doctissimus, ambarum vocum *etiam* et *quoque* non in eodem membro tolerari posse censeat conjunctionem, ad fidem quorumdam codd. trajectis voculis, legit et distinguit, *sed per Thraciam etiam, ubi*, etc. quod apprime congruit cum præcedentibus, *non iter tantum..... dedi, sed vias etiam*, etc. Mox in his, *Eumenes, tanquam ad Ant. ad s. me venit*, omittebatur particula *ad* ante *spoliandum*, quam adjecit primus Drak. ex cod. Lov. 2. Ante hunc tentaverat Gron. *ad me, tanquam Antiochum, spoliandum.* Ed.

4. *Decretum calumniæ prætendit;* vide ad III, 45, n. 1.

5. *Quo in numero*, hostium, an amicorum, *me apud vos esse velitis, refert;* alii *referte*, minus apte; vide ad VIII, 39, n. 3, et Gron. ad Sen. de Benef. I, 6.

Digitized by Google

XXIX. Movit aliquantum oratio regis legatos. Itaque medio responso rem suspenderunt[1]: *Si decem legatorum decreto Eumeni datæ civitates eæ essent, nihil se mutare: si Philippus bello cepisset eas, præmium victoriæ jure belli habiturum; si neutrum eorum foret, placere cognitionem senatui reservari, et, ut omnia in integro manerent, præsidia, quæ in iis urbibus sint, deduci.* Hæ causæ maxime animum Philippi alienaverunt ab Romanis; ut non a Perseo filio ejus novis causis motum, sed ob has a patre bellum relictum filio videri possit. Romæ nulla belli Macedonici suspicio erat. L. Manlius proconsul[2] ex Hispania redierat: cui postulanti ab senatu in æde Bellonæ triumphum rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat, exemplum obstabat; quod ita comparatum more majorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet, nisi perdomitam pacatamque provinciam tradidisset successori. Medius tamen honos Manlio habitus, ut ovans Urbem iniret. Tulit coronas aureas quinquaginta duas; auri præterea pondo centum triginta duo, argenti sedecim millia trecenta: et pronuntiavit in senatu, decem millia pondo argenti et octoginta auri Q. Fabium quæstorem advehere; id quoque se in ærarium illaturum. Magnus motus servilis eo anno in Apulia fuit. Tarentum pro-

Cap. XXIX. 1. *Medio responso* (vide ad I, 32, n. 5) *rem suspenderunt*, diremerunt; aut *suspensam reliquerunt* (h. e. dubiam), ut XXXIV, 62, n. 7.

2. *L. Manlius proconsul;* vide ad XXVIII, 38, n. 4. — *Cui postulanti ab senatu in æde Bellonæ triumphum... exemplum obstabat... successori;* vide ad XXVI, 21, n. 1, 2. — *Medius tamen honos*, etc. infimus honos, iis habitus, qui republica bene gesta Romam redierant, et nec triumphum nec orationem impetrabant, erat, ni fallor, quod, Urbem ingressi, prædam ac spolia hostium præferentes populo romano conspicui erant; Duker. coll. XXVIII, 38; XXXII, 7; XXXIII, 27. — Legit Crev. *auri... pondo centum viginti duo*, quæ fieri ait marcas Parisienses 190, uncias 5. Idem æstimat *arg. sed. millia trecenta,*

Digitized by Google

vinciam L. Postumius prætor habebat. Is de pastorum conjuratione, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant[3], quæstionem severe exercuit. Ad septem millia hominum condemnavit : multi inde fugerunt, de multis sumptum est supplicium. Consules, diu retenti ad Urbem delectibus, tandem in provincias profecti sunt.

XXX. Eodem anno in Hispania prætores C. Calpurnius et L. Quintius, quum primo vere ex hibernis copias eductas in Bæturia junxissent, in Carpetaniam, ubi hostium castra erant, progressi sunt[1], communi animo consilioque parati rem gerere. Haud procul Hippone et Toleto urbibus inter pabulatores pugna orta est. Quibus dum utrimque subvenitur a castris, paulatim omnes copiæ in aciem eductæ sunt. In eo tumultuario certamine, et loca sua[2] et genus pugnæ pro hoste fuere; duo exercitus romani fusi atque in castra compulsi sunt. Non institere perculsis hostes. Prætores romani, ne postero die castra oppugnarentur, silentio proximæ noctis tacito signo[3] exercitum abduxerunt. Luce prima Hispani acie instructa ad vallum accesserunt, vacuaque præter spem castra ingressi, quæ derelicta inter nocturnam trepidationem erant, diripuerunt; regressique in sua castra, paucos dies quietis stativis manserunt. Romanorum sociorumque, in prælio fugaque, ad quinque millia occisa;

marcis 25,468, unciis 6; *decem millia pondo argenti*, marcis 15,625; *octoginta auri*, marcis 125. En.

3. *Pascua publica infesta habuerant*, ut al. *infesta reddere* et *efficere* II, 11; XXXIV, 62, al. Conf. ad I, 7, n. 7.

Cap. XXX. 1. *Progressi sunt*, etc. e cod. Mog. In cæteris MSS et edd. ante Ald. *progressi communi animo consilioque rem gesserunt*, quod magis Livianum sonare putabat Gron. Sed conf. Drak.

2. *Et loca sua* (sibi nota in terra sua) *et genus pugnæ pro hoste fuere;* vide ad XXVIII, 33, n. 3.

3. *Silentio noctis tacito signo;* vide ad VII, 35, n. 1.

Digitized by Google

quorum se spoliis hostes armarunt. Inde ad Tagum flumen profecti sunt. Prætores interim romani omne id tempus contrahendis ex civitatibus sociis Hispanorum auxiliis, reficiendisque ab terrore adversæ pugnæ militum animis, consumpserunt. Ubi satis placuere vires[4], et jam miles quoque, ad delendam priorem ignominiam, hostem poscebat; duodecim millia passuum ab Tago flumine posuerunt castra. Inde tertia vigilia sublatis signis, quadrato agmine, principio lucis ad Tagi ripam pervenerunt. Trans fluvium in colle hostium castra erant. Extemplo, qua duobus locis vada nudabat amnis, dextera parte Calpurnius, læva Quintius exercitum traduxerunt[5]; quieto hoste, dum miratur subitum adventum, consultatque, qui tumultum injicere[6] trepidantibus in ipso transitu amnis potuisset. Interim Romani, impedimentis quoque omnibus traductis contractisque in unum locum, quia jam moveri videbant hostem, nec spatium erat castra communiendi, aciem instruxerunt. In medio locatæ quinta Calpurnii legio et octava Quintii: id robur toto exercitu[7] erat. Campum apertum usque ad hostium castra habebant, liberum a metu insidiarum.

XXXI. Hispani, postquam in citeriore ripa duo Romanorum agmina conspexerunt, ut, prius quam se jungere atque instruere possent, occuparent eos[1], castris repente effusi cursu ad pugnam tendunt. Atrox in principio prælium fuit, et Hispanis recenti victoria

4. *Ubi satis placuere vires;* vide ad XXXIII, 31, n. 4.

5. *Exercitum traduxerunt;* quidam MSS *exercitus*, quod placere potest, quia supra *duo exercitus rom.* memorantur. Sed hoc spectat ad indicandam Romanorum fusorum multitudinem, et nunc videntur prætores ita copias junxisse, ut ex duobus exercitibus unum effecerint ac milites iisdem castris continuerint; Drak.

6. *Qui tumultum injicere*, etc. vide ad XXXVI, 3, n. 1.

7. *Robur toto* in *exercitu;* al. *totius exercitus.*

Cap. XXXI. 1. *Occuparent eos;*

Digitized by Google

ferocibus, et insueta ignominia milite romano accenso. Acerrime media acies, duæ fortissimæ legiones, dimicabant: quas quum aliter moveri loco non posse hostis cerneret, cuneo institit pugnare[2]; et usque plures confertioresque medios urgebant. Ibi postquam laborare aciem Calpurnius prætor vidit, T. Quintilium Varum et L. Juventium Thalnam legatos ad singulas legiones adhortandas propere mittit. Docere et monere jubet, *in illis spem omnem vincendi et retinendæ Hispaniæ esse. Si illi loco cedant, neminem ejus exercitus non modo Italiam, sed ne Tagi quidem ulteriorem ripam, unquam visurum.* Ipse, cum equitibus duarum legionum paululum circumvectus, in cuneum hostium, qui mediam urgebat aciem, ab latere incurrit. Quintius cum suis equitibus alterum hostium latus invadit; sed longe acrius Calpurniani equites pugnabant et prætor ipse ante alios: nam et primus hostem percussit, et ita se immiscuit mediis, ut vix, utrius partis esset, nosci posset. Et equites prætoris eximia virtute, et equitum pedites accensi sunt. Pudor movit primos centuriones, qui inter tela hostium prætorem conspexerunt. Itaque urgere signiferos pro se quisque, jubere inferre signa, et confestim militem sequi. Renovatur ab omnibus clamor. Impetus fit velut ex superiore loco. Haud secus ergo, quam torrentis

vide ad XXIV, 7, n. 6.—*Recenti victoria ferocibus*, superbis, ut I, 7. *Inflatis* cod. Mogunt. ex interpret. Vid. Drak. Quid sit *ferox*, e Suet. Aug. 63, et Tac. Ann. I, 3 colligas; Ernest.

2. *Cuneo institit pugnare;* vide ad II, 50, n. 8, et XXIV, 26, n. 7. — *Usque*, ut X, 2, continuum temporis aut moræ notat; vide Gron. Obss. III, 19. — *Laborare aciem;* vide ad III, 31, n. 1. — *Quintius cum suis equitibus.* Quinam, ait Crever., sunt illi equites proprii Quintii, quum duarum legionum equites Calpurnius duxisse in hostem supra dicatur? alii non videntur intelligi posse quam equites socii, quos sibi nempe Quintius desumpserat, quum legionarios equites ejus collega in hostes duceret. Optaremus, ut clarius mentem suam aperuisset Livius. Ed.

Digitized by Google

modo, fundunt sternuntque perculsos, nec sustineri alii super alios inferentes sese possunt [3]. Fugientes in castra equites persequuti sunt, et permixti turbæ hostium intra vallum penetraverunt; ubi ab relictis in præsidio castrorum prælium instauratum: coactique sunt romani equites descendere ex equis. Dimicantibus iis legio quinta supervenit; deinde, ut quæque potuerant, copiæ affluebant [4]. Cæduntur passim Hispani per tota castra; nec plus quam quatuor millia hominum effugerunt. Inde tria millia fere, qui arma retinuerant, montem propinquum ceperunt: mille semiermes maxime per agros palati sunt. Supra triginta quinque millia hostium fuerant, ex quibus tam exigua pars pugnæ superfuit. Signa capta centum triginta tria. Romani sociique paulo plus sexcenti, et provincialium auxiliorum centum quinquaginta ferme ceciderunt. Tribuni militum quinque amissi et pauci equites romani cruentæ maxime victoriæ speciem fecerunt. In castris hostium, quia ipsis spatium sua communiendi non fuerat, manserunt. Pro concione postero die laudati donatique a C. Calpurnio equites phaleris: pronuntiavitque, eorum maxime opera hostes fusos, castra capta et expugnata esse. Quintius

3. *Nec sustineri alii super alios inferentes sese possunt* cod. Hearnii, probb. Periz. Duk. Crev. et Drak. unde recepi pro vulg. *sustinere*, sc. se Romani, h. e. impetum sistere. *Sustinere alii s. a. i. s. patiuntur* conj. Gron. non enim posse accipi de Hispanis, quia *inferre sese* sit urgentium, nec bene dici de Romanis, quibus nihil fuerit necesse se *sustinere posse*, impetum suum maxime efficacem et irrevocabilem esse optantibus. Tum *sustinere* eo sensu dictum, de quo vide ad XXIX, 6, n. 7. Sed semper putavi legendum esse *sustineri* hoc sensu: *nec sustineri*, retineri (conf. ad XXIV, 16, et ad II, 44, n. 6), *possunt* Romani, *sese inferentes*, irruentes in hostem, *alii super*, post, *alios*, ut I, 50, et *vulnus super vulnus* XXII, 54, aliaque his similia.

4. *Copiæ affluebant;* vide ad XXI, 38, n. 3.—*Exigua pars pugnæ*, h. e. hostium, qui ex pugna evaserant. — *Phaleris*, ornamentis, equorum vel jubis (φάλοις), vel ori, vel fronti,

Digitized by Google

alter prætor suos equites catellis ac fibulis[5] donavit. Donati et centuriones ex utriusque exercitu permulti; maxime, qui mediam aciem tenuerunt.

XXXII. Consules delectibus aliisque, quæ Romæ agendæ erant, peractis rebus, in Ligures provinciam exercitum duxerunt. Sempronius, a Pisis profectus in Apuanos Ligures, vastando agros urendoque vicos et castella eorum, aperuit saltum usque ad fluvium Macram et Lunæ portum[1]. Hostes montem, antiquam sedem majorum suorum, ceperunt; et inde, superata locorum iniquitate, prælio dejecti sunt. Et Ap. Claudius felicitatem virtutemque collegæ in Liguribus Ingaunis æquavit secundis aliquot præliis. Sex præterea oppida eorum expugnavit: multa millia hominum in iis cepit: belli auctores tres et quadraginta securi percussit. Jam comitiorum appetebat tempus[2]. Prior tamen Claudius, quam Sempronius, cui sors comitia

vel pectori, additis; vide ad IX, 46, n. 16, ubi de hoc nota est doctissimi Stroth. Conf. quoque Ern. in Clav. Cic. sub voc. *phaleræ*. Ed.

5. *Equites catellis ac fibulis donavit*, ut *sagula cum fibulis aureis* dona militaria XXVII, 19 extr. XXX, 17; Vopisci Aurel. cap. 46 (ubi vid. Casaub.); *fibulæ tribunitiæ ex auro* apud Plin. XXXIII, 3 seu 12, ubi et *catenæ circa latera* mulierum memorantur, quæ Hard. cingula ex auro esse credebat. *Catellæ*, catenulæ, h. l. non ornamentum, puto, colli aut brachii, sed loricæ, quo *fibula* etiam referenda; vid. ad Sil. II, 401, V, 140, et VII, 624; Lips. de Mil. Rom. V, 17, *catellas* putabat torques dici, quod ex annulis aut catellis plecterentur; Drak. cingula seu balteos militares, *fibulis* adstringi solitos (vid. Rhodius de Acia, cap. 5, pag. 35); Torrentius ad Hor. Epist. I, 17, 55, ornamenta militaria, ad effigiem canini capitis facta, quibus chlamydum fibulæ innectebantur; qualia in gladiorum capulis et caligarum fastigiis sub genibus, ut in vetustis monimentis cernimus, apponebantur.

Cap. XXXII. 1. *Ad fl. Macram et Lunæ portum;* vide ad XXXIV, 8, n. 1. — *Montem*, Anidum, *antiquam sedem majorum suorum*, in antiquissimo opp. Apua, unde Apuani. Cluver. Ital. antiq. I, 10, p. 76. Cf. infra ad XL, 38, n. 3. — *In Liguribus Ingaunis*, horum caput, teste Douj. *Album Ingaunum*, nunc *Albenga*, in Lyguria occidentali fuit. Ed.

2. *Jam comitiorum appetebat tempus;* vide ad V, 19, n. 2. — *Cui sors comitia habendi obtigerat;* vide ad

Digitized by Google

habendi obtigerat, Romam venit; quia P. Claudius frater ejus consulatum petebat. Competitores habebat patricios L. Æmilium, Q. Fabium, Ser. Sulpicium Galbam, veteres candidatos, et ab repulsis eo magis debitum, quia primo negatus erat, honorem repetentes. Etiam, quia plus quam unum ex patriciis creari non licebat[3], arctior petitio quatuor petentibus erat. Plebeii quoque gratiosi homines petebant, L. Porcius, Q. Terentius Culleo, Cn. Bæbius Tamphilus. Et hi repulsi, in spem impetrandi tandem aliquando honoris dilati. Claudius unus ex omnibus novus candidatus erat. Opinione hominum haud dubie destinabantur Q. Fabius Labeo et L. Porcius Licinus. Sed Claudius consul sine lictoribus[4] cum fratre toto foro volitando, clamitantibus adversariis et majore parte senatus, *meminisse eum debere prius, se consulem populi romani, quam fratrem P. Claudii, esse: quin ille, sedens pro tribunali, aut arbitrum*[5], *aut tacitum spectatorem co-*

X, 25, n. 4, et XXXV, 6, n. 1. — *Q. Fabium;* omnes veteres codices testatur Drakenb. respuere vocem *Labeonem,* quæ in plurimis editt. post *Fabium* legitur. Ed. — *Ab repulsis;* vide ad I, 1, n. 5.

3. *Plus quam unum ex patriciis c. n. l.;* vide ad VI, 35, n. 4. — *Arctior petitio,* minori cum spe; Ern.— *Et,* etiam, *hi repulsi* olim erant (vide ad III, 35, n. 10), *in spem impetrandi t. a. honoris dilati;* vide ad XXI, 53, n. 3. *Repulsis... dilati* conj. Gronov. — *Novus* (ex emend. Gelen. pro *nobilis*) *candidatus,* qui nunc primum petebat consulatum. Opponitur *veteribus candidatis.* — *Haud dubie* MSS Voss. Lov. 1, et Victor. pro *non dubie;* unde Gron. et Crev. conj. *pro non dubiis,* ut VI, 40; XXXIV, 43, n. 5, ubi vid. Drakenb. Posset etiam conjici *haud dubii,* ut I, 42; XXXIX, 39; vulgatum tamen defendi potest; Duk.

4. *Claudius consul sine lictoribus,* etc. precibus magis quam majestate adjuturus fratrem, et suffragia venaturus. — *Toto foro volitando,* forte *volitans,* vel *volitare,* vel *volitabat.* — Inest verbo *volitare* notio incitati studii; supra ad III, 35, de Appii Claudii ambitione: *ipse medius inter tribunitios Duilios Iciliosque in foro volitare.* Ed.—*Prius,* potius. Utrumque jungitur cap. 47; V, 25, n. 4 (ubi vid. Drak.); XXIII, 28, al.

5. *Sedens pro tribunali, aut arbitrum,* etc. « Consulem, qui comitiis centuriatis præerat, pro tribunali in sella curuli sedisse, ostendit Liv. X, 15,

Digitized by Google

mitiorum se præberet, coerceri tamen ab effuso studio[6] nequiit. Magnis contentionibus tribunorum quo que plebei, qui aut contra consulem, aut pro studio ejus pugnabant, comitia aliquoties turbata; donec pervicit Appius, ut, dejecto Fabio[7], fratrem traheret. Creatus P. Claudius Pulcher præter spem suam et cæterorum. Locum suum tenuit L. Porcius Licinus, quia moderatis studiis, non vi Claudiana, inter plebeios certatum est. Prætorum inde comitia sunt habita. C. Decimius Flavus, P. Sempronius Longus, P. Cornelius Cethegus, Q. Nævius Matho, C. Sempronius Blæsus, A. Terentius Varro, prætores facti. Hæc eo anno, quo Ap. Claudius, M. Sempronius consules fuerunt, domi militiæque gesta.

XXXIII. Principio insequentis anni, P. Claudio, L. Porcio consulibus, Q. Cæcilius[1], M. Bæbius, et Ti. Sempronius, qui ad disceptandum inter Philippum et Eumenem reges Thessalorumque civitates

XXVI, 22. Alterum consulem, si adesset, in eodem tribunali (an in alio?) sedere solitum, ex hoc loco intelligitur; vid. Gruch. de Com. rom. I, 4. Sed qui comitia habebat, plus quam arbiter aut tacitus spectator eorum erat. » Duker.

6. *Coerceri* (vide ad XXXVI, 24, n. 3) *ab studio effuso*, summo fratris in petendo consulatu adjuvandi, ut mox *pro studio ejus*, pro consule, acerrime in ea re occupato. *Studium* et *studere alicui* etiam de favore in comitiis dicitur.

7. *Dejecto Fabio*; vide ad III, 35, n. 10. — *Fratrem traheret*, ad consulatum perduceret, efficeret, ut consul crearetur; Ern. — *Locum suum tenuit Porcius*; vide ad X, 8, n. 2.

Cap. XXXIII. 1. *P. Claudio, L. Porcio consulibus, Q. Cæcilius... qui ad disceptandum* (vide ad I, 50, n. 5, et cf. sup. c. 24 sq.)... *missi erant, legationem renuntiarunt* (vid. XXIII, 6, n. 2), *regum quoque eorum*, etc. ad finem cap. conf. Polyb. XXIII, 11, 12. Recepi cum Gronov. lectionem MS Naudæani, quæ auctoritate et omnium fere reliquorum libb. et Polybii firmatur. Ei Drak. substituit e cod. Mogunt. hanc: *P. Claudius, L. Porcius consules, quum Q. Cæcilius... legationem renuntiassent*, etc. Sed ita τὸ *quoque* non satis aptum, ne dicam ineptum, videtur, et omnes reliqui MSS atque primæ edd. habent *renuntiarunt*, ac respuunt *quum*. Correctores forte veterem mutarunt lect., quia *legatos in senatum introducendi* non nisi consulum prætorisve urbani

Digitized by Google

missi erant, legationem renuntiarunt; regum quoque eorum civitatiumque legatos in senatum introduxerunt. Eadem utrimque iterata, quæ dicta apud legatos in Græcia erant. Aliam deinde legationem novam Patres, cujus princeps Ap. Claudius fuit, in Macedoniam et in Græciam decreverunt ad visendum, redditæne civitates Thessalis et Perrhæbis essent. Iisdem mandatum, ut ab Æno et Maronea præsidia deducerentur, maritimaque omnis Thraciæ ora a Philippo et Macedonibus liberaretur. Peloponnesum quoque adire jussi, unde prior legatio discesserat incertiore statu rerum, quam si non venissent. Nam super cætera etiam sine responso dimissi [2], nec datum petentibus erat Achæorum concilium. De qua re querente graviter Q. Cæcilio,

jus munusque legimus fuisse; vide ad III, 4, n. 2. Id vero non semper forsan obtinuit, aut τὸ *introduxerunt* h. l. eo sensu positum, quo alia verba capi diximus ad VII, 16, n. 6. Saltem hæc expressa sunt ex Polyb. XXIII, 11 pr. cujus etiam errores Livius suos facere solet; vide ad XXXVIII, 11, n. 8. Loco Polyb. ad εἰσῆγον consulum nomina, aut οἱ ὕπατοι intercidisse suspicabatur Drakenborch., sed Schweigh., intell. esse eos, quorum munus id fuerit, scilic. consules, ut et aliis locis; v. c. XXI, 1, n. 2; XXII, 5, n. 2; XXII, 7, n. 1 et 4. At utraque ratio est improbabilis: illa, quoniam plura loca similia sic essent mutanda; hæc, quia XXII, 5, n. 2, et XXII, 7, n. 1 et 4 memoratur legatio, quæ absentibus coss. Romam venit; unde Livius, XXXVII, 53 pr. Eumenem dicit a *prætore* urb. in templum fuisse reductum, et Polybius, XXII, 7, § 9, senatum jussisse legatos in Asiam ad Cn. Manlium, ejus anni consulem, proficisci. Itaque illis locis pluralis εἰσῆγον neque ad consules absentes, neque ad prætorem urb. referri potest: sed probabile est, legatos nonnunquam et ab aliis senatoribus fuisse introductos, aut Polybium certe id credidisse. Cæterum in edd. antt. legitur *Principio anni P. Claudius, L. Porcius consules erant. Q. Cæcilius... renuntiaverunt*, etc. — *Thessalis et Perrhæbis*, vulgo ante *Thessalis* edebatur *et Rhodiis*, quas voces jure expunxit Drak., quum in uno tantum cod. Lov. 5 compareant, nulla vero Rhodiorum mentio facta sit in querelis populorum de Philippo memorandis, aut supra apud Livium, cap. 24, aut in Polybio qui hanc rem narrat Excerpt. leg. n. 40 et 42, t. IV, pag. 256 et seqq. ed. Schweigh. Ed.

2. *Sine responso dimissi* legati rom. (nam *legatio* nom. collect.) *nec datum petentibus A. concilium*; vide ad VIII, 5, n. 1. Rem ipsam, a Livio non memoratam, tradit Polyb. XXIII, 10. — Docet l. l. Polybius, Q. Cæci-

Digitized by Google

simul Lacedæmoniis deplorantibus[3], mœnia diruta, abductam plebem in Achaiam et venumdatam, ademptas, quibus ad eam diem civitas stetisset, Lycurgi leges; Achæi maxime concilii negati crimen excusabant, recitando legem, quæ, nisi belli pacisve causa, et quum legati ab senatu cum literis aut scriptis mandatis venirent, vetaret indici concilium. Ea ne postea excusatio esset, ostendit senatus, curæ iis esse debere, ut romanis legatis semper adeundi concilium gentis potestas fieret; quemadmodum et illis, quoties vellent, senatus daretur[4].

XXXIV. Dimissis iis legationibus, Philippus, a suis certior factus, cedendum civitatibus deducendaque præsidia esse, infensus omnibus, in Maronitas iram effundit[1]. Onomasto, qui præerat maritimæ oræ, mandat, ut partis adversæ principes interficeret. Ille per Casandrum quemdam, unum ex regiis jam diu habitantem Maroneæ, nocte Thracibus intromissis, velut in bello capta urbe, cædem fecit. Id apud romanos legatos querentes tam crudeliter adversus innoxios

lium non sine responso dimissum ab Achæis, sed responsum ab Achæorum magistratibus accipere noluisse, quod sibi negatum fuisset gentis concilium. Ed.

3. *Simul* (et) *Lacedæmoniis deplorantibus*, etc. conf. Polyb. XXIII, 12, et Plut. Philop. pag. 365. *Simul Lacedæmonii deplorabant* conj. Gron. putans, hæc minime cum seqq. cohærere. Sed cohærent, modo apodosin hoc sensu ceperis: *Achæi hæc excusabant, maxime vero concilii negati crimen, et quidem recitando legem*, etc. De qua lege conf. Polyb. XXIII, 10, et XXIV, 5, n. 17. Idem *literas* et *scripta mandata*, γράμματα et ἐντολὰς ἐγγράπτους distincte memorat, docetque, concilium Achæorum Cæcilio fuisse negatum, quia cum *mandatis* senatus, sed *non scriptis*, venerat; Drakenb.

4. *Adeundi concilium... senatus daretur;* vide ad VIII, 5, n. 1.

Cap. XXXIV. 1. *In Maronitas ir. effundit*, etc. conf. Polyb. XXIII, 13. — *Casandrum*, ut apud Polyb. Vulgo *Cassandrum*. Nil interest. — *Id apud romanos legatos querentes*, etc. notabile hyperbaton, ut monet Crev. Oratio impeditior sic expediendа: Apud romanos legatos querentes id factum tam crudeliter... aut: Apud Romanos legatos, querentes tam crudeliter adversus Maronitas innoxios... factum esse, ut, etc. id abnuebat... Ed.

Digitized by Google

Maronitas, tam superbe adversus populum romanum factum, ut, quibus libertatem restituendam senatus censuisset, ii pro hostibus trucidarentur, abnuebat, *quidquam eorum ad se, aut quemquam suorum pertinere. Seditione inter ipsos dimicatum, quum alii ad se, alii ad Eumenem civitatem traherent. Id facile scituros esse: percunctarentur*[2] *ipsos Maronitas:* haud dubius, perculsis omnibus terrore tam recentis cædis, neminem hiscere adversus se ausurum. Negare Appius, *rem evidentem pro dubia quærendam. Si ab se culpam removere vellet, Onomastum et Casandrum, per quos acta res diceretur, mitteret Romam, ut eos senatus percunctari posset.* Primo adeo perturbavit ea vox regem, ut non color, non vultus ei constaret. Deinde, collecto tandem animo, *Casandrum, qui Maroneæ fuisset, si utique vellent, se missurum* dixit. *Ad Onomastum quidem quid eam rem pertinere, qui non modo Maroneæ, sed ne in regione quidem propinqua fuisset?* Et parcebat magis Onomasto, honoratiori amico, et eumdem indicem haud paulo plus timebat; quia et ipse sermonem cum eo contulerat, et multorum talium ministrum et conscium habebat. Casander quoque, missis, qui per Epirum ad mare prosequerentur eum, ne qua indicium emanaret, veneno creditur sublatus.

XXXV. Et legati a Philippi[1] colloquio ita digressi sunt, ut præ se ferrent, nihil eorum sibi placere; et Philippus, minime, quin rebellandum esset, dubius, quia tamen immaturæ ad id vires erant, ad moram interponendam Demetrium, minorem filium, mittere

2. *Percunctarentur;* particulam *si* ante *percunctarentur*, quæ plurimis in codd. est, delevit Drak. quo concisior et indignabundo accommodatior oratio exiret. Ed. — *Onomastum et Casandrum*, etc. conferatur Polybius, XXIII, 14.

Cap. XXXV. 1. *Et legati a Phi-*

Digitized by Google

Romam, simul ad purganda crimina, simul ad deprecandam iram senatus, statuit; satis credens, ipsum etiam juvenem, quod Romæ obses[2] specimen regiæ indolis dedisset, aliquid momenti facturum. Interim per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis Thracum[3] injiciendum, profectus, perculsis iis uno prælio, et Amadoco duce capto, in Macedoniam rediit, missis ad accolas Istri fluminis Barbaros, ut in Italiam irrumperent, sollicitandos. Et in Peloponneso adventus romanorum legatorum, qui ex Macedonia in Achaiam ire jussi erant, exspectabatur: adversus quos ut præparata consilia haberent, Lycortas prætor[4] concilium indixit. Ibi de Lacedæmoniis actum. *Ex hostibus eos accusatores factos; et periculum esse, ne victi magis timendi forent, quam bellantes fuissent. Quippe in bello sociis romanis Achæos usos: nunc eosdem Romanos æquiores Lacedæmoniis, quam Achæis, esse; ubi Areus etiam et Alcibiades, ambo exsules*[5], *suo beneficio restituti, legationem Romam adversus gentem Achæorum ita de ipsis meritam suscepissent, adeoque infesta oratione usi essent, ut patria pulsi, non restituti in eam, viderentur.* Clamor undique ortus, referret nominatim de iis; et, quum omnia ira, non consilio, gererentur, capitis damnati sunt. Paucos post dies romani legati venerunt. His Clitore in Arcadia datum est concilium.

lippi, etc. conf. Polyb. XXIII, 14.

2. *Quod Romæ obses;* conf. ad XXXIII, 13 fin. Ed. — *Aliquid momenti facturum;* vide ad I, 47, n. 7.

3. *Ad terrorem regulis Thracum*, ad Propontidem habitantium, *injiciendum*, ne, quæ moliretur, impedirent. Ita Polyb. — *Amadoco*, nomen inter Thracas frequentissimum; Drak. Conf. Maussac. et Vales. ad Harpocr. Lex. — *Missis*, scil. quibusdam, seu legatis.

4. *Lycortas prætor*, etc. vide ad XXXVIII, 32, n. 2.

5. *Areus et Alcibiades exsules* Laced. a Nabide pulsi, *restituti* a Philopœmene in patriam, ingrati *legationem Romam*, etc. cf. Polyb. XXIII, 11, 12; XXIV, 4, et Pausan. VII, 9.—*Clitore in Arcadia*, Κλίτωρ apud

Digitized by Google

XXXVI. Prius quam agerent quidquam, terror Achæis injectus erat et cogitatio, quam non ex æquo disceptatio futura esset, quod Areum et Alcibiadem, capitis ab se in concilio proximo damnatos, cum legatis videbant, nec hiscere quisquam audebat. Appius ea, quæ apud senatum questi erant Lacedæmonii, displicere senatui ostendit: *cædem primum ad conflictum factam eorum*[1], *qui a Philopœmene ad causam dicendam evocati venissent: deinde, quum in homines ita sævitum esset, ne in ulla parte crudelitas eorum cessaret, muros dirutos urbis nobilissimæ esse, leges vetustissimas abrogatas, inclytamque per gentes Lycurgi disciplinam sublatam.* Hæc quum Appius dixisset, Lycortas, et quia prætor, et quia Philopœmenis, auctoris omnium, quæ Lacedæmone acta fuerant, factionis erat, ita respondit: « Difficilior nobis[2], Ap. Claudi, « apud vos oratio est, quam Romæ nuper apud sena« tum fuit. Tunc enim Lacedæmoniis accusantibus « respondendum erat: nunc a vobis ipsis accusati su« mus, apud quos causa dicenda est; quam iniquita« tem conditionis subimus illa spe, judicis animo te « auditurum esse, posita contentione, qua paulo ante « egisti. Ego certe, quum ea, quæ et hic antea apud « Q. Cæcilium[3], et postea Romæ questi sunt Lacedæ« monii, a te paulo ante relata sint, non tibi, sed illis « me apud te respondere credam. Cædem objicitis

Polyb. Κλείτωρ apud Pausan. VIII, 4, et Strab. VII, extr. — Hodie *Clitor* vocatur *Cleotorio*. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Cædem primum ad conflictum* (*confictum* ed. pr.) *factam eorum*, etc. conf. ad XXXVIII, 33. *Cædem p. contra fidem datam eorum* conj. Gron. at rectius forsan Crev. et Drak. *ad Compasium* e Polyb. XXIII, 1, § 1, etsi is solus nomen hujus loci memoravit.

2. *Difficilior nobis, Ap. Claudi*, etc. gravis ac notabilis oratio, quam non pro more Livii ex ipsius ingenio fictam, sed ex Polybio, filio *Lycortæ*, depromptam fuisse, colligit Schweigh. ex Polyb. XXIII, 5, § 2.

3. *Apud Q. Cæcilium* Metellum.

Digitized by Google

« eorum, qui a Philopœmene prætore evocati ad cau-
« sam dicendam interfecti sunt. Hoc ego crimen non
« modo a vobis, Romani, sed ne apud vos quidem
« nobis objiciendum fuisse arbitror. Quid ita? Quia in
« vestro fœdere erat, ut maritimis urbibus abstinerent
« Lacedæmonii. Quo tempore armis captis urbes, a
« quibus abstinere jussi erant, nocturno impetu oc-
« cupaverunt[4], si T. Quintius, si exercitus romanus,
« sicut antea, in Peloponneso fuisset, eo nimirum ca-
« pti et oppressi confugissent. Quum vos procul esse-
« tis, quo alio, nisi ad nos socios vestros, quos antea
« Gythio opem ferentes, quos Lacedæmonem vobis-
« cum simili de causa oppugnantes viderant, confu-
« gerent? Pro vobis igitur justum piumque[5] bellum
« suscepimus. Quod quum alii laudent, reprehendere
« ne Lacedæmonii quidem possint, dii quoque ipsi
« comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt; quo-
« nam modo ea, quæ belli jure acta sunt, in disceptа-
« tionem veniunt? quorum tamen maxima pars nihil
« pertinet ad nos. Nostrum est, quod evocavimus eos
« ad causam dicendam, qui ad arma multitudinem ex-
« civerant, qui expugnaverant maritima oppida, qui
« diripuerant, qui cædem principum fecerant. Quod
« vero illi, venientes in castra, interfecti sunt, vestrum
« est, Areu et Alcibiade, qui nunc nos, si diis[6] placet,

Conf. cap. 24 sq. et 33; *apud P. Sulpicium* cod. Mog. Sed vid. Drak. — *Non modo a vobis, Romani*, etc. vide ad I, 40, n. 1. — *Vestro fœdere*, vobiscum facto.

4. *Nocturno impetu occupaverunt;* cf. XXXVIII, 30.—*Eo nimirum*, ad Quintium, *capti et oppressi* a Spartanis incolæ illarum urbium *confugissent*. Ad seqq. conf. XXXV, 25 sq.

5. *Justum piumque bellum;* vide ad I, 22, n. 6. — *Dii quoque ipsi comprobaverint*, h. e. comprobavisse videntur. Conf. supra III, 47, n. 8. Lectio *comprobaverunt*, quæ, teste Drak., in quibusdam codd. occurrit, a librario videtur invecta, qui vim modi potentialis non ceperat. Ed.

6. *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4. *Domicilium oppida* κατ' ἐπεξήγησιν docte ac scite dicuntur, nec *domicilio* leg. cum multis MSS; Gron.

Digitized by Google

« accusatis, non nostrum. Exsules Lacedæmoniorum, « quo in numero hi quoque duo fuerunt, et tunc « nobiscum erant, et, quod domicilium sibi delege- « rant maritima oppida, se petitos credentes, in eos, « quorum opera patria extorres ne in tuto quidem « exsilio posse consenescere se indignabantur, impe- « tum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, « non Achæi, interfecerunt: nec, jure an injuria cæsi « sint, argumentari refert.

XXXVII. « At enim illa certe vestra sunt, Achæi, « quod leges disciplinamque vetustissimam Lycurgi « sustulistis, quod muros diruistis. Quæ utraque ab « iisdem objici qui possunt? quum muri Lacedæmo- « niis non ab Lycurgo, sed[1] paucos ante annos ad « dissolvendam Lycurgi disciplinam exstructi sint. Ty- « ranni enim nuper eos, arcem et munimentum sibi, « non civitati, paraverunt. Et, si exsistat hodie ab in- « feris Lycurgus[2], gaudeat ruinis eorum, et nunc se « patriam et Spartam antiquam agnoscere dicat. Non « Philopœmenem exspectare, nec Achæos, sed vos « ipsi, Lacedæmonii, vestris manibus amoliri et di- « ruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. Vestræ « enim illæ deformes veluti cicatrices servitutis erant; « et, quum sine muris per octingentos prope annos « liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuissetis, « muris, velut compedibus, circumdatis vincti per « centum annos servistis. Quod ad leges ademptas « attinet, ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos « ademisse arbitror; nos non suas ademisse, quas non « habebant, sed nostras leges dedisse; nec male con-

Cap. XXXVII. 1. *Muri Lacedæmoniis non ab Lycurgo, sed*, etc. vide ad XXXIV, 38, n. 1. *Lacedæmonis* quidam MSS et edd. princc.

2. *Si exsistat hodie ab inferis L.*; vide ad XXV, 21, n. 3. — *Sine muris per DCCC prope annos liberi*; Livius, puto, annos computare incepit a re-

Digitized by Google

« suluisse civitati, quum concilii nostri eam feceri-
« mus, et nobis miscuerimus, ut corpus unum et con-
« cilium totius Peloponnesi esset. Tunc, ut opinor, si
« aliis ipsi legibus viveremus, alias istis injunxissemus,
« queri, se iniquo jure esse, et indignari possent. Scio
« ego, Ap. Claudi, hanc orationem, qua sum adhuc
« usus, neque sociorum apud socios, neque liberæ
« gentis esse, sed vere servorum disceptantium apud
« dominos. Nam, si non vana illa vox præconis fuit,
« qua liberos esse omnium primos Achæos[3] jussistis,
« si fœdus ratum est, si societas et amicitia ex æquo
« observatur, cur ego, quid, Capua capta, feceritis
« Romani, non quæro; vos rationem reposcitis, quid
« Achæi Lacedæmoniis bello victis fecerimus? Inter-
« fecti aliqui sunt; finge, a nobis. Quid? vos senatores
« Campanos securi[4] non percussistis? Muros dirui-
« mus: vos non muros tantum, sed urbem et agros
« ademistis. Specie, inquis, æquum est fœdus; re apud
« Achæos precaria libertas, apud Romanos etiam im-
« perium est. Sentio, Appi[5], et, si non oportet, non

ditu Heraclidarum in Peloponnesum et occupato per eos regno Laconico: certe ab eo tempore usque ad muros Lacedæmonis, jussu Achæorum dejectos (vide ad XXXVIII, 34), paulo plures quam nongenti anni effluxisse dicuntur; Livius vero itidem memorat *DCCC* prope annos, per quos Lacedæmonii sine muris liberi fuere, et *C annos*, per quos muris cincti *servierunt:* quo tamen anno priorem periodum finierit ac posteriorem inceperit, incertum est; Drakenb. Conf. ad XXXVIII, 34, n. 9. — *Se iniquo jure esse*, iniquas sibi leges injunctas esse. Ita Cic. pro Arch. Poet. 4, *quæ civitas quum esset æquissimo jure ac fœdere.* Ed.

3. *Vox præconis, qua liberos esse omnium* Græcorum *primos A. jussistis;* vide ad XXXIII, 32, ubi Corinthii, reipublicæ Achæorum adjuncti, *primi* nominantur.

4. *Capua capta...senatores Campanos securi*, etc. vide ad XXVI, 13, 16. — *Precaria libertas;* vide ad III, 47, n. 4.

5. *Sentio, Appi*, precariam libertatem apud Achæos, imperium apud Romanos esse, *et, si*, licet, etsi (vide ad V, 51, n. 1), *non oportet* ita cum Achæis agi, tamen *non indignor;* vel, *Sentio, Appi*, vera esse, quæ inquis, et id *non indignor, si non oportet*, sc. indignari, si existimas, non oportere, ut id indigner; Drak. — Doct. Walch.

Digitized by Google

« indignor; sed, oro vos, quantumlibet intersit inter « Romanos et Achæos, modo ne in æquo hostes vestri « nostrique apud vos sint, ac nos socii; immo ne me- « liore jure sint. Nam, ut in æquo essent, nos feci- « mus, quum leges iis nostras dedimus; quum, ut « Achæi concilii essent, effecimus. Parum est victis, « quod victoribus satis est: plus postulant hostes, quam « socii habent. Quæ jurejurando, quæ monimentis li- « terarum in lapide insculptis in æternam memoriam « sancta atque sacrata sunt, ea cum perjurio nostro « tollere parant. Veremur quidem vos[6], Romani, et, « si ita vultis, etiam timemus: sed plus et veremur et « timemus deos immortales.» Cum assensu maximæ partis est auditus, et loquutum omnes pro majestate magistratus censebant; ut facile appareret, molliter agendo dignitatem suam tenere Romanos non posse. Tum Appius, *suadere se magnopere Achæis*, dixit, *ut, dum liceret voluntate sua facere, gratiam inirent, ne mox inviti et coacti facerent.* Hæc vox audita quidem cum omnium gemitu est, sed metum injecit imperata recusandi. Id modo petierunt, *ut Romani, quæ viderentur, de Lacedæmoniis mutarent, nec Achæos religione obstringerent*[7] *irrita ea, quæ jurejurando sanxissent, faciendi.* Damnatio tantum Arei et Alcibiadis, quæ nuper facta erat, sublata est.

Emend. Liv. pag. 217, hunc sensum repudiat, atque hujus loci difficultatem explanare felicius sibi videtur quam Drak. « Sentio, Romani, nos subjectos vobis precaria libertate uti; neque id indignor, modo ne adeo crudele exerceatis in nos imperium, ut me sortem nostram indignari oporteat». En. — *Modo ne in æquo hostes*, etc. junge et explica: *modo* ita nobiscum agite, *ne vestri nostrique hostes in æquo*, h. e. in pari jure, *ac nos socii, apud vos sint.* En. — *Ut Achæi c. essent*, forte *Achaici;* Gronov. — *Parum est victis* Lacedæmoniis, non eo contenti sunt, *quod victoribus* Achæis *satis est.*

6. *Veremur quidem vos*, reveremur, veneramur.

7. *Achæos religione obstringerent*, etc. vide ad V, 23, n. 8.

Digitized by Google

XXXVIII. Romæ principio ejus anni, quum de provinciis consulum et prætorum actum esset, consulibus Ligures, quia bellum nusquam alibi erat, decreti. Prætores, C. Decimius Flavus urbanam [1], P. Cornelius Cethegus inter cives et peregrinos sortiti sunt; C. Sempronius Blæsus Siciliam, Q. Nævius Matho Sardiniam, et ut idem de veneficiis quæreret, A. Terentius Varro Hispaniam citeriorem, P. Sempronius Longus Hispaniam ulteriorem [2]. De iis duabus provinciis legati per id fere tempus, L. Juventius Thalna et T. Quintilius Varus, venerunt; qui, quantum bellum jam profligatum in Hispania esset, senatu edocto, postularunt simul, ut pro rebus tam prospere gestis diis immortalibus haberetur honos, et ut prætoribus exercitum deportare liceret. Supplicatio in biduum decreta est. De legionibus deportandis, quum de consulum prætorumque exercitibus ageretur, rem integram referri [3] jusserunt. Paucos post dies, consulibus in Ligures binæ legiones, quas Ap. Claudius et M. Sempronius habuerant, decretæ sunt. De exercitibus Hispaniensibus magna contentio fuit inter novos prætores et amicos absentium, Calpurnii Quintiique.

Cap. XXXVIII. 1. *Prætores urbanam*, etc. vide ad II, 40, n. 9. — *Et ut idem de veneficiis quæreret:* ante quæstiones perpetuas institutas de veneficiis non modo mulierum, viros suos necantium, quod Sigon. de Judic. II, 30, ex VIII, 18, XL, 37, et Epit. XLVIII, colligit, sed etiam in universum omnium, tam in Urbe, quam extra eam, sæpe quæstiones decretas fuisse, quum ex h. l., tum ex cap. 42, et 40, 44, liquet; Duk.

2. *Hispaniam ulteriorem:* prior vox forte delenda, et mox leg. *De his duabus provinciis.* — *Deportare* pro reducere, ut sæpissime apud Livium. Sic et supra XXVI, 21, *questus leniter, quod, confecta provincia, exercitum deportare non licuisset;* XXXI, 8, *de legionibus deportandis rem integram referri jusserunt.* Immo, in capite de quo nunc agitur, *si deportandos censerent exercitus*, et paulo inferius, *quos secum in Hispaniam portarent*, pro *ducerent.* Ed.

3. *Rem integram referri* a consulibus ad senatum *jusserunt* Patres seu *senatus.* — *Utraque causa tribunos pl., utraque consules* (forte *consulem;* Crev. et Drak.) *habebat* sc. fau-

Digitized by Google

Utraque causa tribunos plebis, utraque consules habebat. Hi, se intercessuros senatusconsulto, si deportandos censerent exercitus, denuntiabant; illi, si hæc intercessio fieret, nullam rem aliam se decerni passuros. Victa postremo absentium gratia est, et senatusconsultum factum, *Ut prætores quatuor millia peditum romanorum scriberent, quadringentos equites, et quinque millia sociorum peditum latini nominis, quingentos equites, quos secum in Hispaniam portarent. Quum eos in legiones quatuor*[4] *descripsissent, quod plus, quam quina millia peditum, treceni equites, in singulis legionibus esset, dimitterent; eos primum, qui emerita stipendia haberent; deinde, ut cujusque fortissima opera Calpurnius et Quintius in prælio usi essent*[5].

XXXIX. Hac sedata contentione, alia subinde C. Decimii prætoris morte exorta est. Cn. Sicinius et L. Pupius, qui ædiles proximo anno fuerant, et C. Valerius flamen Dialis[1] et Q. Fulvius Flaccus (is, quia ædilis curulis designatus erat, sine toga candida,

tores seu adjutores; Ern. — *Hi*, scil. tribuni, *illi* consules; Gron. Vide ad III, 72, n. 3. Sed *hos* potius esse tribunos et consulem novis prætoribus faventes, monent Crever. et Drak. — *Absentium gratia*, h. e. gratia, qua a parte altera absentium prætorum defendebatur causa. Ed.

4. *Quum eos in legiones quatuor descripsissent*, pro vulg. *eas legiones* recepi ex emend. Gronov. cujus nota est: Ex tantillo numero non fient *IV* legiones, nec id vult Livius, sed hos novos milites distribui per *IV* legiones et earum auxilia, quæ in provincia utraque olim erant: quo facto, quot capita justum legionum et auxiliorum numerum excederent, tot ex veteribus militibus exauctorati, eo delectu et discrimine, quo deinde definit.

5. *Eos primum, qui emerita... essent:* hos Periz. Anim. Hist. cap. 6, pag. 229, haud dubie dimissos censet, ut veteres prætores comitarentur ad triumphum, de quo vid. cap. 42.

Cap. XXXIX. 1. *C. Valerius flamen Dialis;* alius forte ac C. Valerius Flaccus, qui a. U. 544 a P. Licinio pont. max. captus, et a. 554 ædilis curulis factus est (vide ad XXVII, 8, et XXXI, 50): nam inter illum annum et hunc anni *XV* intersunt; Duk. — *Sine toga candida;* vide ad IV, 25, n. 7.

Digitized by Google

sed maxima ex omnibus contentione) petebant: certamenque ei cum flamine erat. Et postquam primo æquare, mox superare etiam est visus, pars tribunorum plebis negare, rationem ejus habendam esse, quod duos simul unus magistratus, præsertim curules, neque capere posset, nec gerere; pars legibus eum solvi æquum censere, ut, quem vellet, prætorem creandi populo potestas fieret. L. Porcius consul primo in ea sententia esse, ne nomen ejus acciperet[2]: deinde, ut ex auctoritate senatus idem faceret, convocatis Patribus, *referre se ad eos*, dixit, *quod nec jure ullo, nec exemplo tolerabili liberæ civitati ædilis curulis designatus præturam peteret: sibi, nisi quid aliud iis videretur, in animo esse, e lege comitia habere.* Patres censuerunt, uti L. Porcius consul cum Q. Fulvio ageret, ne impedimento esset, quo minus comitia prætoris in locum C. Decimii subrogandi e lege haberentur. Agenti consuli ex senatusconsulto respondit Flaccus, *nihil, quod se indignum esset, facturum.* Medio responso spem ad voluntatem interpretantibus fecerat, cessurum Patrum auctoritati esse. Comitiis acrius etiam quam ante petebat, criminando, extorqueri sibi a consule et senatu populi romani beneficium, et invidiam geminati honoris fieri; tanquam non appareret, ubi designatus prætor esset, extemplo ædilitate se abdicaturum. Consul, quum et pertinaciam petentis crescere, et favorem populi magis magisque in eum inclinari cerneret, dimissis comitiis, senatum vocavit. Censuerunt frequentes, *quoniam Flaccum auctoritas Patrum nihil movisset, ad populum cum Flacco agen-*

2. *Ne nomen ejus acciperet;* vide ad IX, 46, n. 5.— *Referre se ad eos, quod,* etc. annumeranda, ait Crev., hæc locutio iis exemplis, quæ docti viri congesserunt ad probandum recte τὸ *quod* inter duo verba finita dici posse. Si tamen hoc displiceat, legi potest: *referre se de eo dixit quod.*

Digitized by Google

dum. Concione advocata, quum egisset consul, ne tum quidem de sententia motus, gratias populo romano egit, *quod tanto studio, quotiescumque declarandæ voluntatis potestas facta esset, prætorem se voluisset facere; ea sibi studia civium suorum destituere*[3] *non in animo esse*. Hæc vero tam obstinata vox tantum ei favorem accendit, ut haud dubius prætor esset, si consul accipere nomen vellet. Ingens certamen tribunis, et inter se ipsos[4], et cum consule, fuit; donec senatus a consule est habitus, decretumque : *quoniam, prætoris subrogandi*[5] *comitia ne legibus fierent, pertinacia Q. Flacci et prava studia hominum impedirent, senatum censere, satis prætorum esse : P. Cornelius utramque in Urbe*[6] *jurisdictionem haberet, Apollinique ludos faceret.*

XL. His comitiis prudentia et virtute senatus sublatis, alia majoris certaminis, quo et majore de[1] re, et inter plures potentioresque viros, sunt exorta. Censuram summa contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. et L. Scipiones, Cn. Manlius Vulso, L. Furius Purpureo, patricii; plebeii autem, M. Porcius Cato, M. Fulvius Nobilior, Ti. et M. Sempronii, Longus et Tuditanus. Sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius[2] longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut,

3. *Studia civium suorum destituere;* vide ad I, 51, n. 4.

4. *Et inter se ipsos*, immo *ipsis;* Gronov.

5. *Prætoris subrogandi* (forte *prætori subrogando*) *comitia ne legibus fierent;* vide ad II, 8, n. 4, et III, 35, n. 1.

6. *Utramque in Urbe jurisdictionem;* vide ad XXIV, 44, n. 1. — *Apollini ludos faceret*, quod prætoris urbani erat; Duker. Conf. XXV, 12, XXVII, 23; Noris. ad Cenotaph. Pis. Diss. II, 6, pag. 137.

Cap. XL. 1. *Quo et majore de re*, Lov. 1, 6, et Voss. *quo et majore decreto*. Verbum substant. *erat* post *re* excidisse, aut supplendum esse putabat Duker. Malim delere τὸ *quo*, aut legere: *quod et majore... viros fuit, exorta.*

2. *M. Porcius* Cato... *In hoc viro*

Digitized by Google

quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ, ei defuit: urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit; huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus; multisque insignibus clarus pugnis. Idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator: idem in pace, si jus consuleres[3], peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus: nec is tantum, cujus lingua vivo eo viguerit, monimentum eloquentiæ nullum exstet; vivit immo vigetque eloquentia ejus, sacrata scriptis omnis generis[4]. Orationes et pro se multæ, et pro aliis, et in alios: nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo[5], fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum, et ipse exercuit eas: nec facile dixeris, utrum magis presserit eum[6] nobilitas,

(qui *major, priscus, sapiens* et ab aspera, quam egit, censura (vid. c. 42-44), *censorius* dictus est) *tanta vis*, etc. conf. Plut. Cat. et Nepot. Vit. Cat. — *Versatile ingenium*, facile vertendum, aptum.

3. *Si jus consuleres*, si eum de jure cons.—*Eloquentissimus;* unde *Demosthenes* cognominatus est; vid. Plut. Cat. pag. 338; Appian. Hispan. 39; Diodor. t. II, pag. 605. — *Nec is tantum* homo et orator fuit, *cujus lingua vivo eo viguerit*, cujusque *monimentum*, etc. — *Vivit immo* (vide ad XXXV, 49, n. 7) *vigetque;* Faber conj. *vivetque*, ut sit nomen famæ æternæ. Non male; verba tamen præcedd. *vivo eo viguerit* favere lectioni vulgatæ, monet Bauer.

4. *Sacrata scriptis omnis generis*, scil. Originibus (vide ad XXXIV, 5, n. 3), multis orationibus, epistolis, apophthegmatibus, quæstionibus epistolicis, libro de Re Militari, de Oratore, de Liberis educandis, de Moribus, de Re Medica, et, qui solus superest, de Re Rust.—*Exercuit eas*, intellige inimicos, a quibus illæ simultates motæ sunt. Ed. — *Orationes pro se;* vid. XLV, 41, n. 6.

5. *Sed etiam causam dicendo;* nam quater et quadragies vel paulo minus quinquagies accusatus est, et semper absolutus; vide Plin. VII, 27 seu 28; Plut. Cat. 15, pag. 344; Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 47.

6. *Presserit eum nobilitas;* vide ad III, 13, n. 1.

Digitized by Google

an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguæ acerbæ et immodice liberæ fuit: sed invicti a cupiditatibus[7] animi, et rigidæ innocentiæ; contemptor gratiæ, divitiarum. In parcimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique; quem ne senectus quidem, quæ solvit omnia, fregerit: qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque; nonagesimo anno[8] Ser. Galbam ad populi adduxerit judicium.

XLI. Hunc, sicut omni vita, tum petentem premebat nobilitas[1]: coierantque (præter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat) candidati omnes ad dejiciendum honore eum; non solum ut ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur novum[2] hominem censorem videre, sed etiam quod tristem censuram periculosamque multorum famæ, et ab læso a plerisque, et lædendi cupido, exspectabant. Etenim tum

7. *Invicti a cupiditatibus*, etc. vide ad XXXIV, 1, n. 7. — *In patientia laboris, periculi*, etc. exhibent multæ editt. *periculique*. Particulam *que* delevit Drak. ad optimorum codd. fidem, multis collatis similibus exemplis. Cf. Drak. ad h. l. Ed.

8. *Qui LXXXVI annum agens... XC anno*, etc. at alii Catonem anno ætatis *LXXXV* mortuum esse tradunt. Conf. Cic. Brut. 20, et de Sen. IV, 5, 10, coll. de Amic. III; Plin. XXIX, 1 seu 8; Valer. Maxim. VIII, 7, 1; Plut. Cat. pag. 344 sq. et intp. Aur. Vict. de Vir. ill. c. 47.— *Nonagesimo anno Ser.* Sulpicium *Galbam ad populi adduxerit judicium*, vide ad Epit. Liv. XLIX, n. 11.—*Præter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat;* hunc observat Crev. non adversus Catonem coire cum cæteris debuisse. Docet enim Plutarchus in Cat. majore, circa initia, ab hoc L. Flacco Catonem primum in notitiam hominum productum esse, et ejus maxime opibus et gratia commendatum primos honores cepisse. Ed.

Cap. XLI. 1. *Sicut omni vita*, ita tum (vide ad IX, 17, n. 2) *petentem premebat nobilitas;* vide ad III, 13, n. 1. *Præsentem* MSS quidam: unde *prensantem* (vid. II, 61, n. 4) reposuit Gron. auctore Lips. — *Coierantque... candidati omnes ad dejiciendum honore eum;* vide ad III, 35, n. 10. *Coierant apud prætorem* MSS fere habent. Hinc Gron. conj. *Coierant autem præter L. Flaccum*, etc.

2. *Novum hominem;* vide ad I, 34, n. 8. De genere et patria Catonis,

Digitized by Google

quoque minitabundus petebat, *refragari sibi, qui liberam et fortem censuram timerent*, criminando; et simul L. Valerio suffragabatur. *Illo uno collega castigare se nova flagitia, et priscos mores revocare posse.* His accensi homines, adversa nobilitate, non M. Porcium modo censorem fecerunt, sed etiam collegam ei L. Valerium Flaccum adjecerunt. Secundum comitia[3] censorum consules prætoresque in provincias profecti sunt, præter Q. Nævium, quem quatuor non minus menses, prius quam in Sardiniam iret, quæstiones veneficii, quarum magnam partem extra Urbem per municipia conciliabulaque[4] habuit, quia ita aptius visum erat, tenuerunt. Si Antiati Valerio credere libet, ad duo hominum millia damnavit. Et L. Postumius prætor[5], cui Tarentum provincia evenerat, magnas pastorum conjurationes vindicavit, et reliquias Bacchanalium quæstionis cum omni exsequutus est cura. Multos, qui aut citati non adfuerant, aut vades deseruerant[6], in ea regione Italiæ latentes, partim noxios judicavit, partim comprehensos Romam ad senatum misit. In carcerem omnes a P. Cornelio conjecti sunt.

XLII. In Hispania ulteriore, fractis proximo bello Lusitanis, quietæ res fuerunt. In citeriore A. Terentius in Suessetanis oppidum Corbionem[1] vineis et operibus expugnavit, captivos vendidit: quieta deinde

vide Gell. XIII, 18; Plut. et Nepot. Vit. Cat.

3. *Secundum* (post) *comitia..... quæstiones veneficii* in Bacchanalibus.

4. *Municipia conciliabulaque;* vide ad XXV, 5, n. 3.

5. *L. Postumius prætor,* proprie *proprætor*, et ita leg. putabat Periz. de Præt. I, 13. Conf. ad VI, 42, n. 7.

6. *Qui aut citati non adfuerant* (vide ad III, 14, n. 6), *aut vades deseruerant*, ut al. *vadimonium*, h. e. die certo non adfuerant ad causam dicendam, etsi id vadibus datis promiserant. Conf. ad III, 13, n. 9, et XXIII, 32, n. 3.

Cap. XLII. 1. *In Suessetanis opp. Corbionem;* vide ad XXI, 19, n. 5.

Digitized by Google

hiberna et citerior provincia habuit. Veteres prætores, C. Calpurnius Piso et L. Quintius, Romam redierunt. Utrique magno Patrum consensu triumphus est decretus. Prior C. Calpurnius de Lusitanis et Celtiberis triumphavit. Coronas aureas tulit octoginta tres, et duodecim millia pondo argenti. Paucos post dies, L. Quintius Crispinus ex iisdem Lusitanis Celtiberisque triumphavit: tantumdem auri atque argenti in eo triumpho translatum[2]. Censores, M. Porcius et L. Valerius, metu mixta exspectatione, senatum legerunt[3]: septem moverunt senatu; ex quibus unum insignem et nobilitate et honoribus, L. Quintium Flamininum consularem. Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent[4] notas. Catonis et aliæ quidem acerbæ orationes exstant in eos, quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos ademit: longe gravissima in L. Quintium oratio est, qua si accusator ante notam, non censor post notam, usus esset, retinere Quintium in senatu ne frater quidem T. Quintius, si tum censor esset[5], potuisset. Inter cætera objecit ei, Philippum Pœnum carum ac

2. *Coronas aureas tulit... tantumdem auri in eo triumpho translatum;* vid. XXXIV, 52, n. 2. — *Duodecim millia pondo argenti*, h. e. ait Crev., marcas nostrates 18,750. Ed.

3. *Senatum legerunt;* vid. XXIII, 22, n. 1. — *Septem moverunt senatu*, ut mox *senatorio loco movit;* vide ad IV, 24, n. 5.

4. *Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas*, quod plerumque dicitur *subscribere*, h. e. in tabulis censoriis causas sub nomine alicujus scribere, cur notatus sit. Conf. ad XXIV, 16, n. 5. Originem moris hujus ad Catonem Censorium referendum esse, quidam conjiciunt ex Gell. IV, 20. Sed conf. Drak. et Duker. cui sententia h. l. hæc esse videtur: quia tum nondum mos erat senatu motis causas notarum adscribere, et in recitando senatu e sola præteritione nominum eo moti esse intelligebantur, Catonem nihil quidem ex antiquo more mutasse, sed, quod eos graviore animadversione dignos judicarat, flagitia illorum publice nota esse voluit, eaque acerbis orationibus pro concione palam fecisse.

5. *Si tum censor esset*, fuisset; vide ad II, 50, n. 10.

Digitized by Google

nobile scortum, ab Roma in Galliam provinciam spe ingentium donorum perductum: eum puerum, per lasciviam quum cavillaretur, exprobrare consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorium abductus ab Roma esset, ut obsequium amatori venditaret[6]. Forte epulantibus iis, quum jam vino incaluissent, nuntiatum in convivio esse, nobilem Boium cum liberis transfugam venisse; convenire consulem velle, ut ab eo fidem præsens acciperet. Introductum in tabernaculum per interpretem alloqui consulem cœpisse. Inter cujus sermonem Quintius scorto, « Vis « tu, inquit, quoniam gladiatorium spectaculum reli« quisti, jam hunc Gallum morientem videre? » Et quum is vixdum serio annuisset, ad nutum scorti consulem stricto gladio, qui super caput pendebat[7], loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti fidemque populi romani atque eorum, qui aderant, imploranti latus transfodisse.

XLIII. Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem legisset, et fabulæ tantum sine auctore editæ credidisset[1], aliud argumentum, simile tamen et libidine et crudelitate, peragit. Placentiæ famosam mu-

6. *Obsequium amatori venditaret*, ut III, 35; XXXVIII, 42; XLIV, 25; Cic. de Harusp. Resp. 22, ubi vid. Græv. *Jactaret* alii, ut c. 43. Cf. Drak.

7. *Stricto gladio, qui super caput pendebat*: « Nescio, cur inter epulas gladium super caput pendentem habuerit; nisi forte gladius fuit insigne imperii provincialis, ut hasta priscis temporibus potestatis regiæ, quam Saulem regem etiam domi secum habuisse, in libris sacris scriptum est. Hastam et gladium insignia fuisse prætorum in Urbe jus dicentium, illam ad jurisdictionem, hunc ad quæstionem significandam, dicit, et non probat Sigon. de Jud. I, 7 ». Duker. —Nimis argute videtur Dukerus quærere de more, ex quo gladius super caput suspensus fuerit. Cui enim, ait Doer., præter morem aliquid fecisse videatur miles vel imperator, qui inter cœnandum in superiore tabernaculi parte, et proinde super caput, gladium suspendit? Ed.

Cap. XLIII. 1. *Legisset... credidisset*, pro legisse, credidisse videtur, quæ quidem vis est modi potentialis. Conf. supra c. 36, n. 5. Ed. — *Aliud*

Digitized by Google

lierem; cujus amore deperiret, in convivium arcessitam scribit. Ibi jactantem sese scorto inter cætera retulisse, quam acriter quæstiones exercuisset, et quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Tum illam infra eum accubantem[2] negasse, unquam vidisse quemquam securi ferientem[3], et pervelle id videre. Hic indulgentem amatorem, unum ex illis miseris, attrahi jussum, securi percussisse. Facinus, sive eo modo, quo censor objecit, sive, ut Valerius tradit, commissum est, sævum atque atrox: inter pocula atque epulas, ubi libare diis dapes[4], ubi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse, et cruore mensam respersam. In extrema oratione Catonis conditio Quintio fertur, ut, si id factum negaret cæteraque, quæ objecisset, sponsione defenderet sese: sin fateretur, ignominiane sua quemquam doliturum censeret, quum ipse, vino et venere amens, sanguine hominis in convivio lusisset?

argumentum ... peragit; vide ad I, 18, n. 10, et VII, 2, n. 7. Conf. Cic. de Sen. XII; Plut. Cat. pag. 346, et Flamin. p. 379, et Drak. ad h. l. — *Jactantem sese*, gloriantem, *scorto retulisse;* nisi jungere malis *jactantem sese scorto* eo sensu, de quo dixi ad Juvenal. I, 62. Conf. supra ad librum III, 1, n. 4.

2. *Illam infra eum accubantem*, inferiorem, et, ut mox dicitur, *in sinu consulis recubantem;* vide ad Juvenal. II, 120. Pro *infra* MS Lips. *in terra;* unde *intra* (in sinu) conj. Lips. et h. l. et apud Cic. ad Diversos, IX, 26, et Sueton. Calig. 24: quibus tamen locis *infra* et *supra cubare* sibi opponi jam monuit Gronovius. Conf. Drakenborchium.

3. *Securi ferientem*, forte *feriri*, ut in titulo Controv. IV, 25, apud M. Senecam: *quæ aiebat se nunquam decollari hominem vidisse;* Gronov. — *Unum ex illis miseris* cod. Mogunt. *unum ex damnatis* reliqui MSS et edd. antt.

4. *Inter epulas libare diis dapes;* vide ad Tac. Annales, XV, 30, n. 4. — *Ad spectaculum scorti* (vide ad XXXV, 51, n. 2), *recubantis in sinu consulis;* vid. not. 2. — *Sponsione defenderet sese*, h. e. causam ageret suam, summa pecuniæ interposita. *Sponsione* nempe, ut jam Doer. expo-

Digitized by Google

XLIV. In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus equus[1]. In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit. Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quæ pluris, quam quindecim millium æris, essent, in censum referre viatores jussit: item mancipia minora an-

suit, *se defendere* ille dicebatur, cui lis intendebatur, si tam petitor quam is unde petebatur, certam pecuniæ summam, de qua convenerant inter se sponsione, ponebant, ita quidem, ut is, qui in causæ actione falsi convinceretur, interpositam sponsione pecuniam perderet. Ed.

Cap. XLIV. 1. *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni* (alii *Asiatico;* vid. Drak.) *ademptus equus;* vide ad IV, 24, n. 5; IX, 46, n. 20; XXIX, 37, n. 6, et XXXVII, 58, n. 5. — *Quindecim millium æris*, sc. gravis, quam vocem excidisse putat Periz. de Ære gravi, § 10, e Plut. qui *MD* drachmas dicit; Duker. — *Quindecim millia æris gravis* Crev. paria æstimat marcis argenti nostratibus 23, cum unciis 3, semuncia 1. Ed. — *In censum referre viatores jussit*, etc. quæ verba copiose illustravit emendavitque Gronov. de Pec. Vet. IV, 1, ubi præter alia disputavit hæc: « Hic primo nullum ego agnosco *viatorum* officium; sed ipsos puto harum rerum dominos eas *in censum deferre juratos* a censoribus jussos. *Referre in censum* seu *tabulas* scilicet censorias (nam *census* in his loquendi figuris est σανὶς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τὸ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν, Theophil. lib. I Instit. tit. 5) erat censorum munus, vel scribarum, qui illis apparebant, ex censorum auctoritate, bona civium in tabulis adnotantium. At illud, quod Livius vult, non censentium est, sed profitentium: idque dicitur *in censum* (æstimationem) *deferre* Sen. ep. 95, et de Benef. I, 3; Quintil. Declam. 278; Gell. XVI, 10; vel *in censum dedicare* Cic. Flacc. 32, et Gell. VII, 11. At *deferre censum* est deferre patrimonium, ut apud Livium, XXIX, 15; ubi etiam habes *juratos* deferentes, Plin. VII, 48, et Tac. Ann. VI, 40. — *Decem millia æris* profecto fatendum est non esse immensum pretium servi. (Sunt, ex Creverii rationibus, marcæ argenti Parisienses 15, unciæ 5. Ed.) Sed Cato magnum id pretium duxit servi *minoris annis viginti;* quorum magna pars non ad opus, sed ad delicias, immo ad contumelias cubiculi, parabantur. Dein quid triste et asperum in hac parte censuræ? An censorum quisquam unquam aliter fecit? nisi docere forsan emptor potuit, se ingenti fraude circumventum. Luxuriæ fuit hæc castigatio, si quis tum veste et mundo muliebri et vehiculis, tum servitiis teneris et delicatis civilem modum ac frugalitatem habendis et parandis egrederetur. Animadversio in hæc comparatur a Livio in ternis æris; cætera valde dispar. Ornamenta ista et vestis et carpenta censibus adscribi non solebant: jussit Cato adscribi,

Digitized by Google

nis viginti, quæ post proximum lustrum decem millibus æris, aut eo pluris, venissent[2], uti ea quoque

quæ horum pluris quam *XV* millium æris essent, et quidem a *juratis* delata, et eo nomine *in millia ternos æris* in publicum pendi. Mancipia adscribebantur. Lex IV, π. 4 D. de Censibus : *In servis deferendis observandum est, ut et nationes eorum et ætates et officia et artificia specialiter deferantur.* In his igitur mentio *deferendi* nulla, quippe quod fieret semper. Sed qui mancipiis parvi usus, tamen ingenti pretio, parandis prodigi essent, in eos graviorem, justam tamen vel ob rei turpissimæ suspicionem, statuit mulctam, nempe asses *ternos in millia* æris singula, ita ut, qui decem millibus emptum haberet *minus XX annis mancipium*, eo nomine in publicum daret trecenos æris, qui *XV* millibus, quadringenos quinquagenos æris; et sic pro portione, si pluris quam decem millium æris foret. — Cæterum justius forte Hotomannus vellicat Plutarchum, qui in Vita Cat. p. 346, quod de solis mancipiis edidit Livius, ad vehicula etiam, vestem, mundum, supellectilem retulit, et omnium pretium, quod censores notabant, fecit χιλίας καὶ πεντακοσίας δραχμὰς, quæ sunt *XV* millia æris, quum mancipia, in quibus proprie statutum erat decuplum tributum, et de quibus silet Plutarchus, a decem millibus procederent : ne dicam, *XV* millia æris esse tot drachmas in illis assibus, qui decem faciebant denarium sive drachmam, non qui sedecim ; quales tamen hoc tempore Romæ obtinebant ». Emendatio illa Gron. *in censum deferre juratos jussit* admodum dubia nobis videtur : certe nihil hic interest, ad quem provocat, locus Liv. XXIX, 15, ubi *formula* potius censuræ jubetur *deferri Romam ab juratis censoribus coloniarum, prius quam magistratu abirent.* Neque tamen apti h. l. *viatores*, apparitorum genus (vide ad II, 56, n. 10); nisi scribas quoque censorum hoc verbo designari, vel viatores etiam scribas nonnunquam fuisse dicas. Forte leg. *in censum referre scriptores*, h. e. scribas, ut apud Cic. de Orat. I, 30, et Brut. 22, aut *in censum deferri* (aut *referri*, eodem sensu, de quo vide ad XXVI, 2, n. 3) *censores jussere* seu *jusserunt*, non solus Cato *jussit*, nam deinde etiam legimus *ademerunt, demoliti sunt, locaverunt;* nisi malis, *in censum referri* seu *deferri M. Porcius* vel *Cato ces*, seu *cens*, h. e. *censor jussit;* ut et mox distinguitur, quæ Cato solus, quæque cum collega instituit : *Cato atria duo emit... et vect. locaverunt.*

2. *Aut eo pluris, venissent ;* vide ad III, 55, n. 8. — Mox recte pro vulg. *decem tanto pluris* Sigon. conjectavit *decies tanto pluris.* Hotomannus male h. l. corrigit, quæritque, utrum justitia, an injustitia videatur, decies tanto pluris *mancipia* seu servos *æstimari, quam quanti* empti fuerint? et licueritne censori, nulla lege, nullo crimine nominato, tanto damno tantaque mulcta tot cives rom. afficere, ut non modo res eas, quæ censeri antea non solebant, in censum deferrent, verum etiam decuplo pluris, quam quanti essent, æstimarent? Ad priorem interrogationem respondeo, fuisse justissimam laudatissimamque animadversionem coercitionemque luxuriæ. Ad posteriorem, licuisse : neque enim lege

Digitized by Google

decies tanto pluris, quam quanti essent, æstimarentur; et his rebus omnibus terni in millia æris attribuerentur. Aquam publicam omnem, in privatum ædificium aut agrum fluentem, ademerunt; et, quæ in loca publica inædificata immolitave[3] privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt. Opera deinde facienda ex decreta in eam rem pecunia, lacus sternendos lapide, detergendasque, qua opus esset, cloacas[4]; in Aventino et in aliis partibus, qua nondum erant, faciendas locaverunt: et separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, ut iter populo esset, et viam

opus erat aut crimine legibus obligato ad commerendum opus censorium; sufficiebat officium imminutum aut mos majorum violatus. Lege nulla cavebatur de modo argenti facti, quod quis haberet: propter *X* pondo libras tamen notatus dictatorius Rufinus. — *Quam quanti essent;* vid. XXIX, 37, n. 3. — *His r. o. t.* asses *in* singula *millia æris* (vid. XXIX, 15, n. 5) *attribuerentur,* tributi seu oneris loco injungerentur, statuerentur tanquam tributum ærario solvendum. « Ex h. l. videtur colligi, modum ordinarii tributi ex censu, prout is a censoribus æstimatus erat, fuisse ternos asses in singula millia æris: nam interdum, cogente necessitate propter angustias ærarii auctum fuisse, patet ex XXIII, 31, 48; XXVI, 35 ». Duk.

3. *In loca publica inædificata immolitave,* formula solennis, ut in vet. tab. æn. apud Murator. pag. 582, *ne quid in iis locis inædificatum immolitumve habeto.* Hic suspicari possis, h. l. leg. *in loco publico* vel *in locis publicis;* saltem *inædificari* positum esse pro simpl. *ædificari* (cf. XLIII, 16), neque designari ædificia *in loca publica* e privatis procurrentia: cui tamen explicationi favet Plut. in Cat. pag. 347, vertens: ἀνατρέπων δὲ καὶ καταβάλλων ὅσα προβαίνεν εἰς τὸ δημόσιον οἰκοδήματα. *Inolitave* conj. Lips. Elect. I, 15. — *Demoliti sunt,* demolienda curarunt.

4. *Detergendasque, qua* parte *opus esset, cloacas:* quo Drakenb. refert locum Dionys. Halic. III, p. 200. — *Faciendas locaverunt;* vide ad V, 23, n. 6. — *Et separatim* L. Valerius *Flaccus* censor *molem* locavit faciendam. — *Neptuniæ aquæ* forsan Neptunia, oppidum Campaniæ ad mare situm, *Posidonia* apud Dionys. Halicarn. I, pag. 59, hodie *Nettuno,* cui nobilissima Colonnensium familia dominatur: quo in loco et nunc exsistit antiquus vicus voluptuosissimus, *Mole* dictus a Flacci constructione; quo populum rom. frequenter convenisse, voluptatis et animi recreandi causa, credibile est; Marc. Donat. Sed Ποσειδωνία est Pæstum, longe distans ab *aquis Neptuniis,* et verisimilis est sententia Cluver. Ital. ant. III, 7, pag. 1012, ubi ex Vitruv. VIII, 3, docet, fontem, Neptunium vocatum, fuisse

Digitized by Google

per Formianum montem. Cato atria duo, Mænium[5] et Titium in lautumiis, et quatuor tabernas, in publicum emit; basilicamque ibi fecit, quæ Porcia appellata est. Et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt[6]; quas locationes quum senatus, precibus et lacrymis publicanorum[7] victus, induci et de integro locari jussisset, censores, edicto submotis ab hasta[8], qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paulum imminutis pretiis locaverunt. Nobilis censura fuit simultatiumque plena, quæ M. Porcium (cui acerbitas ea assignabatur[9]) per omnem vitam exercuerunt. Eodem anno coloniæ duæ, Potentia

prope Tarracinam et *Formianum montem;* Drak. Conf. ad XXII, 16, n. 4.

5. *Cato atria duo, Mænium,* etc. quo referenda verba Ascon. ad Cic. in Cæcil. 16, ubi docet, Mænium censoribus vendidisse ædes suas in foro, excepta columna, in qua tabulatum struxerit, ut ex eo cum suis spectare posset gladiatores. Conf. Drak. — *In lautumiis;* vide ad XXVI, 27, n. 2. *In Latinis* MS Voss. unde forsan leg. *in Carinis;* Gron. Sed vid. Drak. — *In publicum emit;* vide ad II, 9, n. 4. —*Basilicam;* vide ad XXVI, 27, n. 2.

6. *Et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis* pretiis *locaverunt,* τὰ τέλη ταῖς πράσεσιν ἐπὶ τὰς ἐσχάτας ἐλαύνων τιμὰς, συστέλλων δὲ τοῖς μισθοῖς τὰς ἐργολαβείας, Plut. Cat. pag. 347. *Ultro tributa* esse impensas et attributiones operum publicorum faciendorum et sartorum tectorum præstandorum, mancipibus et redemptoribus certa mercede locatorum, et *ultro tributa* fuisse dicta, quia non caperentur, ut tributa, sed respublica ipsa ea mancipibus ultro daret, docent Turneb. Advers. I, 25; Lips. et Grut. ad Senecam, de Ben. IV, 1. Inter ea ergo etiam sunt locationes equorum curulium præbendorum et rerum exercitibus in provincias portandarum; Duk. Cf. XXIII, 48; XXIV, 18; XXXIV, 6, 9. Sunt ἐργολάβειαι, ædificia et alia opera publica, quæ mercede pacta locantur, sic dicta, quia sunt arbitrii liberi, quum liberum sit, velis ædificare nec ne, ipse ædificare an per alios, per conductores; Ern. Conf. XLIII, 16, et ad V, 23, n. 6.

7. *Lacrymis publicanorum;* vide ad V, 23, n. 6. — *Induci,* aboleri, annihilari, deleri, irritum fieri; metaphora desumpta a cera, quæ literis, exaratis in tabula cerata et delendis, stylo verso *inducitur;* unde *inducere locationem, SCtum* et *nomina* dixit Cic. ad Atticum, I, 14, 20; VII, 28; XIII, 14.

8. *Edicto submotis ab hasta;* vide ad IV, 53, n. 4.

9. *Cui acerbitas ea assignabatur;* unde *Censorius* etiam dictus est. — *Coloniæ Potentia* (quædam edd., non MSS, *Pollentia*) *in Picenum, Pisaurum,* etc. Conf. Vell. I, 15; Plin. III,

in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum, deductæ sunt. Sena jugera in singulos data : diviserunt agrum coloniasque deduxerunt iidem tresviri, Q. Fabius Labeo, et M. et Q. Fulvii, Flaccus et Nobilior. Consules ejus anni nec domi nec militiæ memorabile quidquam egerunt.

XLV. In insequentem annum crearunt consules M. Claudium Marcellum, Q. Fabium Labeonem. M. Claudius, Q. Fabius Idibus Martiis, quo die consulatum inierunt, de provinciis suis prætorumque retulerunt. Prætores creati erant C. Valerius flamen Dialis, qui et priore anno petierat[1], et Sp. Postumius Albinus, et P. Cornelius Sisenna, L. Pupius, L. Julius, Cn. Sicinius. Consulibus Ligures cum iisdem exercitibus, quos P. Claudius et L. Porcius habuerant, provincia decreta est. Hispaniæ extra sortem prioris anni prætoribus cum suis exercitibus servatæ. Prætores ita sortiri jussi, uti flamini Diali utique altera juris dicendi Romæ provincia esset[2] : peregrinam est sortitus. Sisennæ Cornelio urbana, Sp. Postumio Sicilia, L. Pupio Apulia, L. Julio Gallia, Cn. Sicinio Sardinia evenit. L. Julius maturare est jussus. Galli Transalpini, per saltus ignotæ antea viæ (ut ante di-

5 seu 8; Cluver. Ital. Ant. II, 11, p. 370, 741; Drak. ad h. l. et nos ad XLI, 27, n. 13. — *Gallicum agrum*, agrum intellige inter Æsim et Rubiconem fluvios, qui quum olim Gallorum Senonum fuisset, postea iis expulsis, lege Flaminia, de qua vid. l. XXIX, 19, populo viritim distributus, agri Gallici nomen a veteribus cultoribus retinuerat. Conf. Varro, de Re Rust. I, 2, et Cellar. Geogr. Ant. lib. II, cap. 9, p. 645 et 739. Ed.

Cap. XLV. 1. *Qui et priore anno petierat;* videndum tamen ad cap. 39.

2. *Uti flamini Diali utique* (vide ad II, 30, n. 1, et VI, 35, n. 4) *altera juris dicendi Romæ provincia* (vide ad II, 40, n. 9) *esset?* cur? vide ad V, 52, n. 9. — *Sisennæ Cornelio;* vide ad III, 1, not. 1. — *L. Julius maturare est jussus,* sc. iter seu proficisci. *Proficisci mature* præter Vossianum cod. servant Gaertn. et editio Ald. et inde aliæ. Cujus lect. si major esset auctoritas, suspicarer *proficisci maturare*, ut cap. 21, et al.

Digitized by Google

ctum est[3]) in Italiam transgressi, oppidum in agro, qui nunc est Aquileiensis, ædificabant. Id eos ut prohiberet, quod ejus sine bello posset[4], prætori mandatum est: si armis prohibendi essent, consules certiores faceret; ex his placere alterum adversus Gallos ducere legiones. Extremo prioris anni comitia habita erant in demortui Cn. Cornelii locum auguris sufficiendi[5]. Creatus Sp. Postumius Albinus.

XLVI. Hujus principio anni P. Licinius Crassus pontifex maximus mortuus est: in cujus locum M. Sempronius Tuditanus pontifex est cooptatus: pontifex maximus est creatus C. Servilius[1] Geminus. P. Licinii funeris causa visceratio data, et gladiatores centum viginti pugnaverunt, et ludi funebres per[2] triduum

3. *Ut ante dictum est*, cap. 22; unde etiam patet, verba hæc referenda esse ad seqq. *in Italiam transgr.*

4. *Quod* (al. *quoad*) *ejus sine bello posset;* vide ad V, 25, n. 5.

5. *Comitia habita erant in demortui Cn. Cornelii locum auguris sufficiendi;* nota Dukeri est: « Certum est, aliquot sæculis augures aliosque sacerdotes a suis collegiis, non interveniente populo, lectos et cooptatos vel in locum demortuorum suffectos fuisse (vide ad III, 32; XXXIII, 44; XL, 42; XLIV, 44), nec usquam, nisi h. l., augurem comitiis populi creatum fuisse legimus; quod jus demum *LXXX* post annis ad populum est translatum: nam legem, qua illud C. Licinius trib. pl. an. U. 508 collegiis sacerdotum adimere tentavit, non acceptam fuisse, auctor est Cic. in Læl. cap. 23. Deinde circa ann. U. 650 Cn. Domitium eamdem fere legem tulisse, produnt Cic. Agrar. II, 7; Vell. II, 12; Suet. Ner. 2; Dio, XXXVII, p. 46. Nodi solvendi non aliam video rationem, quam ut conjiciam cum Gruchio de Com. Rom. II, 2, certa quadam de causa, veluti per contentionem competitorum aut augurum ipsorum inter se dissensionem, tandem effectum fuisse, ut res populi judicio committeretur, et comitia illa *extra ordinem et præter morem* haberentur. Hos nos contentos esse oportet, dum huic loco clarior lux affundatur ». Forte leg. *post comitia habita*, vel *postquam comitia habita erant*, vel *comitiis habitis* (sc. magistratuum) *in demortui Cn. Cornelii Lentuli auguris locum creatus erat Sp. Postumius Albinus;* Drak.

Cap. XLVI. 1. *Crassus pontifex max. mortuus est: in cujus locum M. Sempronius T. pontifex est cooptatus; pontifex maximus est creatus C. Servilius;* vid. XXV, 5, n. 1.

2. *Funeris causa visceratio... et gladiatores CXX... et ludi funebres per triduum;* vide ad VIII, 22 pr. et XXIII, 30, n. 9. Forte legendum *gladiatores LXX*, qui numerus con-

Digitized by Google

facti, post ludos epulum. In quo, quum toto foro strata triclinia essent, tempestas, cum magnis procellis coorta, coegit plerosque tabernacula statuere in foro. Eadem paulo post, quum undique disserenasset, sublata: defunctosque vulgo ferebant[3], quod inter fatalia vates cecinissent, necesse esse tabernacula in foro statui. Hac religione levatis altera[4] injecta, quod sanguine per biduum pluisset in area Vulcani: et per decemviros supplicatio indicta erat ejus prodigii expiandi causa. Prius quam consules in provincias proficiscerentur, legationes transmarinas in senatum[5] introduxerunt: nec unquam ante tantum regionis ejus hominum Romæ fuerat. Nam ex quo fama per gentes, quæ Macedoniam accolunt, vulgata est, crimina querimoniasque de Philippo non negligenter ab Romanis audiri, multis operæ pretium fuisse queri; pro se quæque civitates gentesque, singuli etiam privatim (gravis enim accola omnibus erat), Romam,

venire videtur in id ævum; Lips. Sat. Serm. I, 8.

3. *Defunctosque* se esse *vulgo ferebant* homines; vide ad II, 35, n. 2. Vaticinationi, quæ ad castra vel ab hostibus vel adversus eos in foro ponenda spectare videbatur, felix ita eventus responderat, damnumque leve acceptum erat pro majori, quod homines metuerant.

4. *Hac religione levatis altera injecta*, etc. vide ad II, 5, n. 4; V, 23, n. 8, et Obseq. de Prodig. cap. 59. — *Per decemviros supplicatio indicta erat* (f. *est*) *ejus*, etc. vide ad I, 20, n. 11; III, 10, n. 6; III, 63, n. 2. « Decemviros propter prodigia a senatu libros Sibyllinos adire jussos, et ex eorum *responso* ac *decreto* supplicationes indictas fuisse, Livius scribit XXI, 62; XXXIV, 55; XXXVIII, 44; XL, 19; XLI, 21, et alibi: quibus verbis significare videtur, eas ab aliis, non ab ipsis, indictas. Hic quidem, ut et XL, 37, et XLV, 16, indictionem supplicationum decemviris ipsis tribuit; sed tamen credo, hoc plerumque a magistratibus pro concione factum fuisse: nam hi quoque eos pro concione edicebant victoriæ causa XXVII, 51, XXX, 17, et pro felici successu novi belli XXXI, 8, XXXVI, 2, ut consules prodigiorum causa XL, 19 ». Duk. Conf. ad XLV, cap. 3, not. 1.

5. *Legationes transmarinas in senatum*, etc. ad finem cap. Conf. ad Polyb. XXIV, 1. — *Gravis*, h. e. infestus, nempe Philippus. Infra, XLIV, 30, *gravis popularibus*. Ed.

Digitized by Google

aut ad spem levandæ injuriæ, aut ad deflendæ solatium, venerunt. Et ab Eumene rege legatio[6] cum fratre ejus Athenæo venit ad querendum, simul quod non deducerentur ex Thracia præsidia, simul quod in Bithyniam Prusiæ bellum adversus Eumenem gerenti auxilia missa forent.

XLVII. Respondendum ad omnia[1] juveni tum admodum Demetrio erat; quum haud facile esset, aut ea, quæ objicerentur, aut quæ adversus ea dicenda erant, memoria complecti. Nec enim multa solum, sed etiam pleraque oppido quam parva erant: de controversia finium, de hominibus raptis pecoribusque abactis, de jure aut dicto per libidinem aut non dicto, de rebus per vim aut per gratiam judicatis. Nihil horum neque Demetrium docere dilucide, nec se satis liquido discere ab eo senatus quum cerneret posse, simul et tirocinio et perturbatione juvenis moveretur; quæri jussit ab eo, ecquem de his rebus commentarium a patre accepisset? Quum respondisset, *accepisse se;* nihil prius nec potius visum est, quam regis ipsius de singulis responsa accipere. Librum extemplo poposcerunt; deinde, ut ipse recitaret, permiserunt. Erant autem de rebus singulis in breve coactæ causæ; ut alia fecisse se secundum decreta legatorum doceret,

6. *Et ab Eumene rege legatio*, etc. conf. Polyb. l. l. et cap. 3: nam hanc legationem Livius in seqq. silentio prætermisit. — *Prusiæ bellum adversus Eumenem gerenti* (conf. Polyb. XXIII, 18, n. 8) *auxilia missa*, ut olim alio in bello; vid. Polyb. XV, 22, § 1, et XVII, 4, § 7.

Cap. XLVII. 1. *Respondendum ad omnia*, etc. ad finem cap. Cf. Polyb. XXIV, 1 et 2. — *Demetrio*, Philippi filio, quem pater Romam miserat cum Apelle et Philocle. — *Oppido quam*, pro valde, admodum; confert Creverius Liv. XXXVI, cap. 25, princ. *oppido quam breve intervallum*. Quod si exemplum in controversiam voces, et potes, siquidem multi, et nos ipsi edidimus *oppidum, qua breve intervallum;* vide ad XLII, 28, fin. *oppido adolescens sacerdos factus*. Gell. quoque conf. VII, 7, et XV, 30. Ed.

Digitized by Google

alia non per se stetisse, quo minus faceret[2], sed per eos ipsos, qui accusarent. Interposuerat et querelas de iniquitate decretorum, et quam non ex æquo disceptatum apud Cæcilium foret, indigneque sibi, nec ullo suo merito, insultatum ab omnibus esset. Has notas irritati ejus animi collegit senatus. Cæterum alia excusanti juveni, alia recipienti, futura[3] ita, ut maxime vellet senatus, responderi placuit: *Nihil patrem ejus neque rectius, nec magis, quod ex voluntate senatus esset, fecisse, quam quod, utcumque ea gesta essent, per Demetrium filium satis fieri voluisset Romanis. Multa et dissimulare, et oblivisci, et pati præterita senatum posse, et credere etiam, Demetrio credendum esse*[4]. *Obsidem enim*[5] *se animum ejus habere, etsi patri corpus reddiderit; et scire, quantum salva in patrem pietate possit, amicum eum populo romano esse. Honorisque ejus causa missuros in Macedoniam legatos, ut, si quid minus factum sit, quam debuerit, tum quoque sine piaculo rerum prætermissarum fiat.*

2. *Alia non per se stetisse, quo minus faceret;* vide ad II, 31, n. 7. — *Querelas de iniquitate... esset;* conf. cap. 25 sq.

3. *Alia recipienti, futura;* videndum ad VII, 14, n. 1.

4. *Credere etiam, Demetrio credendum esse*, forsan delendæ duæ posteriores voces, quas etiam nec Polyb., nec MSS Lov. 4, et Mead. 2, agnoscunt.

5. *Obsidem enim*, sponsorem quasi et pignus fidei ac benevolentiæ, *se*, senatum, *animum ejus habere, etsi patri corpus reddiderit*, scil. filius, h. e. si vel ad patrem redierit. Similiter Dionys. Hal. V, p. 286, 287, dixisse τὸ μὲν σῶμα παρ' ἡμῖν ἔχεις, τὴν δὲ ψυχὴν παρὰ τοῖς πολεμίοις, monet Drak Sed verbum *reddiderit* ad senatum potius referendum, hoc sensu: etsi senatus olim Demetrium, obsidem Romam missum, patri reddiderit (vid. XXXVI, 35), tamen eum etiam nunc, si non corpore, saltem animo, obsidem quasi, h. e. absentem quoque pignus fidei, esse, propter benevolum in Romanos animum: quæ sententia venusta planius exprimitur verbis seqq. et *scire* se, *quantum salva*, etc. Conf. ad XXVII, 17, n. 8, et XL, 5, n. 5. Forte et cum Gronov. leg. *reddiderint*, ut mox *missuros*, se. se. Conf. supra ad cap. 14, not. 5. — *Si quid minus factum sit..... rerum prætermissarum fiat.* Rei gravitatem verbis extenuant Romani, qui dicunt non *male*, sed *minus*, non *peccatorum*, sed *rerum*

Digitized by Google

Velle etiam sentire Philippum, integra omnia sibi cum populo romano Demetrii filii beneficio esse.

XLVIII. Hæc, quæ augendæ amplitudinis ejus causa facta erant, extemplo in invidiam, mox etiam in perniciem adolescenti verterunt[1]. Lacedæmonii deinde introducti sunt[2]. Multæ et parvæ disceptationes jactabantur; sed, quæ maxime rem continerent, erant: utrum restituerentur, quos Achæi damnaverant[3], nec ne; inique, an jure occidissent, quos occiderant. Vertebatur et, utrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonii[4], an, ut ante fuerat, secretum ejus unius in Peloponneso civitatis jus esset. Restitui, judiciaque facta tolli placuit: Lacedæmonem manere in Achaico concilio: scribique id decretum, et consignari a Lacedæmoniis et Achæis. Legatus in Macedoniam Q. Marcius est missus: jussus idem in Peloponneso sociorum res adspicere[5]. Nam ibi quoque et ex veteribus discordiis residui motus erant, et Messene desciverat a concilio Achaico[6]. Cujus belli et causas et ordinem si expromere velim, immemor sim propositi, quo statui

prætermissarum. Ed. — *Velle etiam*, scil. se.

Cap. XLVIII. 1. *Hæc, quæ augendæ.....verterunt* se (vide ad II, 3, n. 2); cf. cap. 53, XII, 23, n. 24, et XL, 5, n. 8; Polyb. XXIV, 3 et 7 sq.

2. *Lacedæmonii deinde* legati a consulibus in senatum *introducti sunt*, etc. conf. Polyb. XXIV, 4. — *Disceptationes jactabantur;* vide ad II, 12, n. 7, et III, 10, n. 2. — *Quæ maxime rem continerent*, potissimum ad rem vel ad summam rei spectarent, *erant* hæ, etc.

3. *Utrum restituerentur, quos Achæi damnaverant;* vide ad XXXVIII, 33, n. 6, et XXXVIII, 34, n. 1. — *An jure occidissent, quos occiderant;* vid. XXXVIII, 33, n. 6. — *Vertebatur*, expendebatur, ut apud Plaut. Most. V, 1, 10. Cf. tamen supra ad librum III, 27, n. 6.

4. *Utrum manerent in Achaico concilio Lacedæmonii;* conf. XXXV, 36. — *Restitui*, sc. quos Achæi damnassent, *judiciaque* eorum *facta tolli.* Conf. not. 3.

5. *Sociorum res adspicere*, hoc est, præsens recognoscere et examinare; vide ad XXI, 6, n. 4. Ed.

6. *Messene desciverat a concilio Achaico*, etc. vide ad III, 47, n. 1, et XXXVI, 31, n. 1. Conf. Pausan. VIII, 51.

Digitized by Google

non ultra attingere externa, nisi qua[7] Romanis cohærerent rebus.

XLIX. Eventus memorabilis est, quod, quum bello superiores essent Achæi, Philopœmen prætor[1] eorum capitur, ad præoccupandam Coronen[2] (profectus), quam hostes petebant, in valle iniqua cum equitibus paucis oppressus. Ipsum potuisse effugere Thracum Cretensiumque auxilio tradunt: sed pudor relinquendi equites, nobilissimos gentis, ab ipso nuper lectos, tenuit. Quibus dum locum ad evadendas angustias cogendo ipse agmen præbet, sustinens impetus hostium; prolapso equo, et suo ipse casu, et onere equi super eum ruentis, haud multum abfuit, quin exanimaretur, septuaginta annos jam natus, et diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, viribus admodum attenuatis. Jacentem hostes superfusi oppresserunt, cognitumque primum a verecundia memoriaque meritorum[3], haud secus quam ducem suum, attollunt reficiuntque, et ex valle devia in viam portant, vix sibimet ipsi præ necopinato gaudio creden-

7. *Non ultra,... nisi qua*, eatenus tantum,... quatenus, sive quoad. Ed.

Cap. XLIX. 1. *Philopœmen prætor* Achæorum jam octavum creatus in locum Lycortæ. Conf. ad cap. hoc et 50, de extremis gestis et obitu Philopœmenis Plut. Philopœm. p. 366 sq. et Pausan. VIII, 51.

2. *Ad præoccupandam Coronen*, κώμην τὴν καλουμένην Κολωνίδα, Plut. l. l. Κορώνη et Κολώνη, seu Κολωνίς, seu αἱ Κολωνίδες, oppida Messeniæ vicina; videatur Strab. VIII, pag. 249 et 361, et Pausan. IV, 34, 2-6. Ab illo dictus sinus *Coronæus*, qui et Messeniacus, Asinæus ac Thuriates vocabatur. *Coronam* et *Coroneam* MSS et edd. ante Frob. a. 1535. Promiscue etiam Κορώνη et Κορώνεια, Messenes et Bœotiæ oppida, eorumque gentilia, dici, monet Berkel. ad Steph. — *Profectus;* hanc vocem uncis includendam curavit Drak., quod neque in ullo vetere codice, neque in ulla vet. edit. ante Lugd. anni 1553 comparet: idem hanc vocem vix desiderari h. l. posse existimat. Doering. vero vocem *præoccupandam* potius se repudiare ait, et legendum suspicatur *ad Coronen ..... in valle iniqua oppressus.* Ed.

3. *A verecundia memoriaque meritorum;* vide ad I, 1, n. 5. — *Vix sibimet ipsi præ necopinato gaudio*

Digitized by Google

tes; pars nuntios Messenen præmittunt, debellatum esse, Philopœmenem captum adduci. Primum adeo incredibilis visa res, ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuntius audiretur: deinde, ut super alium alius idem omnes affirmantes veniebant, tandem facta fides, et, prius quam appropinquare urbi satis scirent, ad spectaculum omnes, simul liberi ac servi, pueri quoque cum feminis, effunduntur; itaque clauserant portam turbæ [4], dum pro se quisque, nisi ipse oculis suis credidisset, vix pro comperta tantam rem habiturus videretur. Ægre submoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopœmenem, potuerunt, atque turba conferta iter reliquum clauserat; et, quum pars maxima exclusa a spectaculo esset, theatrum repente, quod viæ propinquum erat, compleverunt, et, ut eo in conspectum populi adduceretur, una voce omnes exposcebant. Magistratus et principes, veriti, ne quem motum misericordia præsentis tanti viri faceret, quum alios verecundia pristinæ majestatis collata præsenti fortunæ [5], alios recordatio ingentium meritorum motura esset, procul in conspectu eum statuerunt: deinde raptim ex oculis hominum abstraxerunt, prætore Dinocrate dicente, esse, quæ per-

credentes, etc. cf. XXXIII, 32, n. 7.

4. *Clauserant portam turbæ*, h. e. diversi globi hominum concurrentium, manipuli hominum per intervalla, ut fit ejusmodi in motu ac tumultu, conglobatorum; Gronov. Sic mox *turba conferta;* et VI, 14, *tumultuosa turba;* XXIV, 48, *forte congregata turba*. Cæterum *clauserat p. turba* Frob. et Ald. dedere, forsan e cod. Mog. — *Dum pro se quisque... videretur; dum*, etc. *videtur*, vel *quum*, etc. *videretur* legendum putat Crev., favente Drak. Ed. — Pro *atque turba conferta* conjicit Walch. Emend. p. 102, *æque conferta turba*. Probat *æque* clariss. Büttner, Obss. pag. 93; Walchio vero, *turba* post *conferta* transponenti, nequaquam assentitur, *æque* multo aptius ad *clauserat* trahi existimans, quam, ut Walchio placet, ad *conferta*. Jungendum enim ait, *æque* ut portam, *reliquum iter turba conferta clauserat*. Ed.

5. *Verecundiæ pristinæ majestatis collata p. f.;* mallem *collatæ;* Duk. — *Prætore Dinocrate;* vide supra ad XXXVI, 31, n. 1.

Digitized by Google

tinentia ad summam belli[6] percunctari eum magistratus vellent. Inde abducto eo in curiam, et senatu vocato, consultari cœptum.

L. Jam invesperascebat, et non modo cætera[1], sed ne in proximam quidem noctem ubi satis tuto custodiretur, expediebant. Obstupuerant ad magnitudinem pristinæ ejus fortunæ virtutisque; et neque ipsi domum recipere custodiendum audebant, nec cuiquam uni custodiam ejus satis credebant. Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra[2], saxo quadrato septum: eo vinctus demittitur, et saxum ingens, quo operitur, machina superimpositum est. Ita loco potius, quam homini cuiquam, credendam custodiam rati, lucem insequentem exspectaverunt. Postero die multitudo quidem integra, memor pristinorum ejus in civitatem meritorum, parcendum, ac per eum remedia quærenda esse præsentium malorum, censebant; defectionis auctores, quorum in manu respublica erat, in secreto consultantes, omnes ad necem ejus consentiebant; sed, utrum maturarent, an differrent, ambigebatur. Vicit pars avidior pœnæ, missusque, qui venenum ferret. Accepto poculo, nihil aliud loquutum ferunt, quam quæsisse, *si*

6. *Ad summam belli;* vide ad III, 5, n. 6. — *Inde* et *eo* e cod. Mogunt. adjecta, improb. Gronov. qui monet, nudum participii ablativum nonnunquam absque pronom. poni.

Cap. L. 1. *Non modo cætera, sed,* etc. vide ad I, 40, n. 1.

2. *Esse thesaurum publicum sub terra,* cameram, seu cryptam subterraneam (*favissas* apud Gell. II, 10, et Fest.), *saxo quadrato septum,* opertum: quod amotum est, ut *demitti* posset eo Philopœmen, et deinde repositum, ad claudendum os, *machina* tractoria, sucula, aut trochlea, tollenone, aliove instrumento ad levandas moles seu pondera, quæ manibus hominum non facile tractantur; Gron. κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνον, οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχων, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον, Plut. Philop. p. 367, forsan ex Polyb. — *Multitudo quidem integra,* quæ scilicet mentem sanam et non corruptam factionibus servaverat. Cf. IX, 46, n. 17. Ed.

Digitized by Google

incolumis Lycortas (is alter imperator Achæorum erat) *equitesque evasissent?* Postquam dictum est, *incolumes esse;* «Bene habet», inquit[3], et, poculo impavide exhausto, haud ita multo post exspiravit. Non diuturnum mortis ejus gaudium auctoribus crudelitatis fuit. Victa namque Messene bello exposcentibus Achæis noxios[4] dedidit, ossaque reddita Philopœmenis sunt; et sepultus ab universo Achaico est concilio, adeo omnibus humanis congestis honoribus, ut ne divinis quidem abstineretur. Ab scriptoribus rerum græcis latinisque tantum huic viro tribuitur, ut a quibusdam eorum, velut ad insignem notam[5] hujus anni, memoriæ mandatum sit, tres claros imperatores eo anno decessisse, Philopœmenem, Hannibalem, P. Scipionem[6]: adeo in æquo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt.

LI. Ad Prusiam regem legatus T. Quintius Flamininus[1] venit, quem suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal, et bellum adversus Eumenem motum faciebat. Ibi, seu quia a Flaminino

3. *Bene habet, inquit;* vide supra ad VI, 35, n. 6.

4. *Victa namque Messene bello* a Lycorta, *exposcentibus Achæis noxios,* necis auctores, e quibus Dinocrates solus sponte finiit vitam; cæteri omnes, Lycortæ jussu comprehensi, pœnas dedere varias: *ossaque Philopœmenis reddita* et ab Arcadibus Megalopolim, in patriam ejus, reportata sunt, Polybio juvene urnam ejus in exsequiis portante; *et sepultus est ab universo Achaico,* etc. conf. Polyb. XXIV, 12; Pausan. VIII, 51, et Plut. Philop. pag. 368.

5. *Insignem notam,* notabilem rem.

6. *Tres claros imperatores eo anno decessisse* vita, *Philopœmenem, Hannibalem, P. Scipionem,* eosque non satis dignum splendore vitæ exitum habuisse. Conf. c. 52, et, qui eos inter se compararunt, Polyb. XXIV, 9, et Diodor. Eclog. de Virt. et Vit. t. II, p. 575 sq. ed. Wessel. Alii alio anno Hannibalem mortuum tradunt; vide cap. 56 extr. et Nep. Hannib. 13.

7. *In æquo eum... posuerunt,* æquipararunt.

Cap. LI. 1. *Ad Prusiam regem legatus T. Quintius Flamininus,* etc. idem Nepos tradit, Hannib. 12, at alia de causa eum cum aliis in Bithyniam missum Plut. Flam. cap. 20, et Appian. Syr. 11. — Hic Doujatius,

Digitized by Google

inter cætera objectum Prusiæ erat, hominem omnium, qui viverent, infestissimum populo romano apud eum esse, qui patriæ suæ primum, deinde, fractis ejus opibus, Antiocho regi auctor belli adversus populum romanum fuisset; seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur [2] præsenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi ejus in potestatem consilium cepit; a primo colloquio Flaminini milites extemplo ad domum Hannibalis custodiendam missi sunt. Semper talem exitum vitæ suæ Hannibal prospexerat animo, et Romanorum inexpiabile odium [3] in se cernens, et fidei regum nihil sane confisus. Prusiæ vero levitatem etiam expertus erat. Flaminini quoque adventum velut fatalem sibi horruerat. Ad omnia undique infesta, ut iter semper aliquod præparatum fugæ haberet, septem exitus e domo fecerat [4]; ex his quosdam occultos, ne

teste Creverio, adnotat Flamininum privatæ ultionis cupiditate accendi potuisse in Hannibalem, cujus opera victus cæsusque C. Flaminius ad Trasimenum lacum esset. In eam nimirum opinionem illum induxerunt insignes versus celeberrimi nostratis *Corneille* in fabula quæ inscribitur *Nicomède*, act. II, sc. 3, « Et si Flaminius en est le capitaine, Nous saurons lui trouver un lac de Trasimène ». Verum hic error est ortus ex similitudine nominum, qui tamen facile vitari poterat. Huic enim legato ad Prusiam, nomen gentile erat *Quintius*, cognomen *Flamininus;* consuli victo ad Trasimenum nomen gentile *Flaminius*. Ed.

2. *Seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur*, etc. at Nepos l. l. dicit, *recusasse Prusiam, ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent; locum, ubi esset, facile inventuros.*

3. *Romanorum inexpiabile odium*, ut II, 17; XXXIII, 22, 47; germ. *unversöhnlicher Hass*. Similiter IV, 35, n. 3, *bellum inexpiabile*, quod *internecivum* dicitur IX, 25; XXII, 58, et græce πόλεμος ἄσπειστος. *Inexplicabile* multi MSS et edd. antt. vide ad XXXVII, 52, n. 6. — *Prusiæ vero levitatem etiam expertus erat.* Prusias nempe, a constantia quæ virum decet, et a gravitate atque majestate quam reges tueri debent, alienissimum se præstitit, ut constat ex iis quæ tradunt Livius, XLV, 44, et Polybius in Legat. num. 97, p. 484, t. IV edit. Schweigh. Ed.

4. *Septem exitus e domo fecerat*, e castello, quod ei ab rege datum erat muneri. Conf. Nep. et Plut. l. l.—*Ex his quosdam;* sic et Crever. edidit; Drak. vero et Doer. *et ex iis q.* Ed.

Digitized by Google

custodia sepirentur. Sed grave imperium regum nihil inexploratum, quod investigari volunt, efficit. Totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt, ut nemo inde elabi posset. Hannibal, postquam est nuntiatum, milites regios in vestibulo esse, postico, quod devium maxime atque occultissimi exitus erat, fugere conatus, ut id quoque occursu militum obseptum sensit, et omnia circa clausa custodiis dispositis esse, venenum (quod multo ante præparatum [5] ad tales habebat casus) poposcit. « Liberemus, inquit, diuturna « cura populum romanum, quando mortem senis ex« spectare longum censent. Nec magnam, nec memo« rabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam « feret. Mores quidem populi romani quantum muta« verint [6], vel hic dies argumento erit: horum patres « Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia ha« benti, ut a veneno caveret, prædixerunt; hi legatum « consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus oc« cidendi hospitis, miserunt. » Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiæ [7], et hospitales deos violatæ ab eo fidei testes invocans, poculum exhausit. Hic vitæ exitus fuit Hannibalis.

LII. Scipionem et Polybius, et Rutilius [1], hoc anno

5. *Venenum, quod multo ante præparatum* (sub annuli gemma; videatur Aurel. Victor de Viris ill. cap. 42, et Juvenal. X, 165 sq.) *ad tales habebat casus, poposcit*, a quo? a servo? (de quo vid. Nep.) Forte leg. *prompsit*, vel ex Plut. Flamin. p. 380 (qui ipsa Livii verba græce vertit) *commiscuit* seu *propere miscuit*. Ipsum semper secum habuisse venenum, Nepos et alii referunt. Varium tamen mortis genus memoravere auctores, qui ad unum forsan Hannibalem transtulere, quæ ad plures pertinent. Cf. Plut. l. l.

6. *Mores quidem populi rom. quantum mutaverint;* vid. II, 3, n. 2. — *Horum patres Pyrrho regi, ut a veneno* medici sibi *caveret, prædixerunt;* vide ad II, 10, n. 4. De re ipsa vid. Plut. Pyrrh. p. 396; Gell. III, 8, al.

7. *Exsecratus in caput regnumque Prusiæ;* vide ad I, 51, n. 1.

Cap. LII. 1. *Et Rutilius,* P. Rutilius Rufus, orator et philosophus, a quo

Digitized by Google

mortuum scribunt. Ego neque his, neque Valerio assentior: his, quod, censoribus M. Porcio, L. Valerio, principem senatus[2] ipsum L. Valerium censorem lectum invenio, quum superioribus tribus lustris Africanus fuisset; quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, quam notam[3] nemo memoriæ prodidit, alius princeps in locum ejus lectus non esset. Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Nævius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est[4]. Hic Nævius in magistratuum libris est tribunus plebis, P. Claudio, L. Porcio consulibus: sed iniit tribunatum, Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus, ante diem quartum Idus Decembres[5]: inde tres menses ad Idus Martias sunt, quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. Ita et vixisse in tribunatu Nævii videtur, diesque ei dici ab eo potuisse; decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram. Trium clarissimorum suæ cujusque gentis virorum non magis tempore congruente comparabilis mors videtur esse, quam quod nemo eorum satis dignum splendore vitæ exitum habuit. Jam primum omnes non in patrio solo mortui, nec

hist. rom. (an belli tantum Numantini?) græce scriptam esse, docet Athen. IV, 66. Conf. Voss. de Histor. Græc. I, 21; nos ad Tac. Ann. III, 66, 4, et Appian. Hisp. 88. De re ipsa vid. Pigh. Ann. ad an. 568.

2. *Principem senatus*, etc. vide ad XXVII, 11, not. 8. — *Superioribus tribus lustris A.* ex emend. Sigon. pro *duobus lustris*. Conf. ad XXXIV, 44, XXXVIII, 28, et Manut. de Sen. Rom. cap. 2.

3. *Senatu moveretur... notam;* vid. IV, 24, n. 5; XXIV, 16, n. 5.

4. *Antiatem* (Q. Valerium Antiatem) *auctorem refellit trib. pl. M. Nævius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est*, etc. vide ad XXXVIII, 56, not. 2 et 4. — *In magistratuum libris;* vide supra ad librum IV, cap. 20, not. 7.

5. *Iniit tribunatum* plebis *a. d. IV Idus Dec.*, quem ei ineundo ad suam usque ætatem solennem fuisse, Dionys. Halicarn. VI, p. 410, scribit; Sigon. Plut. Quæst. Rom. t. II, p. 283, auctor est tribunos plebis, contra atque alii magistratus, ante anni principium iniisse. — *Decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram;* hic conveniunt inter se Livius et Cic. de Sen. not. 19, ubi Cato Scipionem *anno*

Digitized by Google

sepulti sunt[6]. Veneno absumpti Hannibal et Philopœmen; exsul Hannibal, proditus ab hospite; captus Philopœmen in carcere et in vinculis exspiravit. Scipio, etsi non exsul, neque damnatus, die tamen dicta, ad quam non adfuerat reus, absens citatus, voluntarium non sibimet ipse solum, sed etiam funeri suo, exsilium indixit.

LIII. Dum ea in Peloponneso (a quibus devertit oratio[1]) geruntur, reditus in Macedoniam Demetrii legatorumque aliter aliorum affecerat animos. Vulgus Macedonum, quos belli ab Romanis imminentis metus terruerat, Demetrium, ut pacis auctorem, cum ingenti favore conspiciebant; simul et spe haud dubia regnum ei post mortem patris destinabant. *Nam, etsi minor ætate, quam Perseus, esset, hunc tamen justa matrefamiliæ*[2], *illum pellice ortum esse; illum, ut ex vulgato corpore genitum, nullam certi patris notam habere, hunc insignem Philippi similitudinem præ se ferre. Ad hoc, Romanos Demetrium in paterno solio locaturos; Persei nullam apud eos gratiam esse.* Hæc

ante se censorem mortuum esse ait. Ed.

6. *Omnes non in patrio solo..... sepulti sunt;* at de Philopœmene vide ad cap. 50, n. 4. — *Etsi non exsul,* exsilio mulctatus: nam *voluntarium sibimet ipse et funeri suo* (vide supra ad XXXVIII, 53, not. 4) *exsilium indixit.*

Cap. LIII. 1. *Devertit oratio;* cf. cap. 48, 49, et ad I, 51, not. 2. Ad seqq. conf. Polyb. XXIV, 6 et 7.

2. *Hunc tamen justa matrefamiliæ* (ita MSS et primæ edd. *matrefamilias* alii), *illum pellice ortum esse;* vide supra ad librum III, cap. 72, n. 3. — Plutarchus, ut annotavit Crev., testis est in Æmilio, hanc de Perseo fuisse opinionem, eum ne genitum quidem Philippo esse, sed subditum a Philippi uxore: matremque ejus nominat Gnathæniam, sartricem Argolicam. Et Perseus, apud Livium ipsum, XL, 9. Sic de se loquitur: *me subditum et pellice genitum appellant.* Ex his colligitur Perseum a Philippo et uxore ejus, tanquam legitimum utriusque filium, agnitum et palam habitum esse, ac proinde pro legitimo sese gessisse: sed ortum ejus multis fuisse suspectum, variisque jactatum esse sermonibus, aliis a Philippo eum susceptum esse ex pellice dicentibus, aliis plane subditum per fraudem, nec quicquam pertinentem ad stirpem regiam. Ed. — *Ex vulgato corpore;* vide ad I, 4, n. 10.

Digitized by Google

vulgo loquebantur. Itaque et Persea cura angebat, ne parum pro se una ætas valeret, quum omnibus aliis rebus frater superior esset; et Philippus ipse, vix sui arbitrii fore, quem heredem regni relinqueret, credens, sibi quoque graviorem esse[3], quam vellet, minorem filium censebat. Offendebatur interdum concursu Macedonum ad eum, et alteram jam se vivo regiam esse indignabatur. Et ipse juvenis haud dubie inflatior redierat, subnisus erga se judiciis senatus, concessisque sibi, quæ patri negata essent; et omnis mentio Romanorum, quantam dignitatem ei apud cæteros Macedonas, tantam invidiam, non apud fratrem modo, sed etiam apud patrem, conciliabat; utique postquam alii legati romani venerunt, et cogebatur decedere Thracia, præsidiaque deducere, et alia, aut ex decreto priorum legatorum, aut ex nova constitutione senatus, facere. Sed omnia mœrens quidem et gemens (eo magis, quod filium frequentiorem prope cum illis[4], quam secum, cernebat), obedienter tamen adversus Romanos faciebat, ne quam movendi extemplo belli[5] causam præberet. Avertendos etiam animos a suspicione talium consiliorum ratus, mediam in Thraciam exercitum in Odrysas et Dentheletos et Bessos duxit. Philippopolin urbem, fuga desertam oppidanorum, qui in proxima montium juga cum

3. *Sibi quoque graviorem esse*, magis metuendum, ut XLII, 14, 41, 42; XLIII, 14; XLIV, 26, 30; XLV, 8. Sed quibusdam ex his locis *gravis* potius est infestus, acerbus, βαρύς. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 6, 17. — *Minorem filium censebat*, cod. Mog. *aiebat*, forte rectius; nam Philippum sensa animi non occultasse, Polyb. narrat; Drak. — *Concessisque sibi q. p. n. e.* conf. cap. 47.

4. *Frequentiorem prope cum illis;* vide ad III, 24, n. 5.

5. *Movendi extemplo belli;* cupiebat enim moram temporis nancisci ad justos belli apparatus. — *Mediam in Thraciam* expeditionem adversus Barbaros suscepit. — *Dentheletos;* alii *Dentheletas*. Δενθηλῆται, Δενθηλῆτοι, Δανθηλῆται (Strab. VII, 5, § 13, pag. 318, ubi multi libri habent Δανθηλιτῶν), Δενθελῆται (Dion. LI), *Dense-*

Digitized by Google

familiis receperant sese, cepit, campestresque Barbaros, depopulatus agros eorum, in deditionem accepit. Relicto inde ad Philippopolin præsidio, quod haud multo post ab Odrysis expulsum est, oppidum in Deuriopo condere instituit[6]. Pæoniæ ea regio est prope Erigonum fluvium, qui, ex Illyrico per Pæoniam fluens, in Axium amnem editur. Haud procul Stobis, vetere urbe, novam urbem Perseida, ut is filio majori haberetur honos, appellari jussit.

LIV. Dum hæc in Macedonia geruntur, consules in provincias profecti. Marcellus nuntium præmisit ad L. Porcium proconsulem, ut ad novum Gallorum oppidum[1] legiones admoveret. Advenienti consuli Galli sese dediderunt: duodecim millia armatorum erant; plerique arma ex agris rapta habebant. Ea ægre patientibus iis adempta, quæque alia aut populantes agros rapuerant, aut secum attulerant: de his rebus qui quererentur, legatos Romam miserunt. Introducti in senatum a C. Valerio prætore[2] exposuerunt, *Se, superante in Gallia multitudine, inopia coactos agri et egestate, ad quærendam sedem Alpes transgressos. Quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine ullius*

letæ et *Denselatæ* dicuntur. Cf. Drak. — *Philippopolin urbem;* vide supra ad XXVIII, 7, n. 9.

6. *Oppidum in Deuriopo* (male *Dertiopo* edd. antt.) *condere instituit,* reversus ex Thracia: *Pæoniæ* magnæ in Macedonia *ea regio est prope Erigonum* (vide ad XXXI, 39, n. 5) *fluvium, qui, ex Illyrico per Pæoniam fluens, in Axium amnem editur;* vide ad XXXVIII, 13, n. 6, et cf. Strab. VII, 7, § 8 et 9, p. 326, 327, cui Δευρίοπος et Δευριόπιοι aut Δευρίοπες dicuntur. Δουρίοπος Steph. Mox Perizon. ita distinguere h. l. malebat *editur haud procul Stobis vetere urbe. Novam urbem,* etc., et Drak. *oppidum in Deuriopo condere instituit (Pæoniæ ea regio est) prope Erig. fl. (qui ex Illyrico... editur) h. p. S. v. u. Novam,* etc. qua ratione admissa Stobi propiores sunt Axio, quam vulgo credunt. Conf. Cellar. Geogr. ant. II, 13, p. 664.

Cap. LIV. 1. *Novum Gallorum oppidum;* vid. cap. 22 et 45.

2. *Introducti in senatum a C. Val. prætore;* vide ad III, 4, n. 2.

Digitized by Google

injuria consedisse. Oppidum quoque ædificare cœpisse; quod indicium esset, nec agro, nec urbi ulli vim allaturos venisse. Nuper M. Claudium ad se nuntium misisse, bellum se cum iis, ni dederentur, gesturum. Se certam, etsi non speciosam, pacem, quam incerta belli, præoptantes, dedidisse se prius in fidem, quam in potestatem, populi romani[3]. *Post paucos dies, jussos et agro et urbe decedere, sese tacitos abire, quo terrarum possent, in animo habuisse: arma deinde sibi, et postremo omnia alia, quæ ferrent agerentque, adempta. Orare se senatum populumque romanum, ne in se innoxios deditos acerbius, quam in hostes, sævirent.* Huic orationi senatus ita responderi jussit: *Neque illos recte fecisse*[4], *quum in Italiam venirent, oppidumque in alieno agro, nullius romani magistratus, qui ei provinciæ præesset, permissu, ædificare conati sint: neque senatui placere, deditos spoliari. Itaque se cum iis legatos ad consulem missuros, qui, si redeant, unde venerint, omnia iis sua reddi jubeant, quique protenus eant trans Alpes, et denuntient Gallicis populis, multitudinem suam domi contineant. Alpes prope inexsuperabilem finem*[5] *in medio esse: non utique iis melius fore, quam qui eas primi*

3. *Dedidisse se prius in fidem, quam in potestatem pop. rom.* vide ad XXXVI, 28, n. 1. — *Omnia alia, quæ ferrent agerentque;* vide supra ad III, 37, n. 4.

4. *Neque illos recte fecisse* cod. Mog. *gessisse* reliqui MSS et antt. edd. prob. Gron. qui h. l. et Obss. IV, 14, p. 226, docet, *gerere* passim dici pro *agere*, ut XL, 57 extr. Ibi tamen *prospere gessissent* (scil. rem) dictum videtur de rebus bellicis, ut sæpius *bene* et *male rem gerere;* ac forte cum Drak. leg. *prospere rem gessissent.* Cf. ad XXV, 22, n. 1. Lectionem Mog. *fecisse* defendit Drak., putans Livium respexisse ad solennem formulam *recte atque ordine facere;* vid. XXIV, 31, n. 3. Sed probabilius est, *fecisse*, quam *gessisse*, librariis aut glossatoribus deberi. — *Ad consulem* M. Claudium Marcellum.

5. *Alpes prope inexsuperabilem finem*, etc. cod. Voss. *inexsuperabiles*, prob. Ant. Periz. — *Non utique iis* Gallis *melius*, meliorem fortunam,

pervias fecissent. Legati missi L. Furius Purpureo, Q. Minucius, L. Manlius Acidinus. Galli, redditis omnibus, quæ sine cujusquam injuria habebant, Italia excesserunt.

LV. Legatis romanis Transalpini populi benigne responderunt. Seniores eorum nimiam lenitatem populi romani castigarunt: *Quod eos homines, qui gentis injussu*[1] *profecti occupare agrum imperii romani, et in alieno solo ædificare oppidum conati sint, impunitos dimiserint. Debuisse gravem temeritatis mercedem statui: quod vero etiam sua reddiderint, vereri, ne tanta indulgentia plures ad talia audenda impellantur*. Et exceperunt, et prosequuti cum donis legatos sunt. M. Claudius consul, Gallis ex provincia exactis, Istricum bellum moliri cœpit, literis ad senatum missis[2], ut sibi in Istriam traducere legiones

fore, quam fuisset iis, *qui eas* Alpes *primi pervias fecissent*, Senonibus et Pœnis. Vocem *quam*, ex Sigon. conj. additam, abesse malebat Creverius, ut sensus esset: malum habituros eos, qui primi postea Alpes transissent, vel, quod Gron. in prima ed. monet, si qui contra hanc denuntiationem transierint, illis fore utique non melius quam iis qui eas primi pervias fecissent. — *L. F. Purpureo, Q. Minucius, L. Manlius Acidinus;* Furii cognomen omittunt codices nostri, Hearnii L. 1, et edd. vett. Primi Moguntini ex cod. suo adjecerunt *Purpurio;* pro quo deinde Sigonius emendavit *Purpureo*. Tum *Q. Minucius* deest male in Harl. Præterea *L. Manlius* omnes scripti nostri, Crev. Victor. et typis descripti ante Gruter. cujus ultima edit. perperam substituit *P. Manlius*. Verum, utrum Manlii Acidini *Publii* prænomine usi fuerint, valde dubito: ejus certe exemplum apud Livium non invenio. Intelligitur autem L. Manlius Acidinus, qui prætor creatus Hispaniam citeriorem sortitus est, XXXVIII, 35; optime in ea provincia res gessit, XXXIX, 21; et hinc Urbem reversus obtinuit, ut ovans Urbem iniret, cap. 39, postea vero consulatum adeptus est; vid. XL, 43. Is autem hoc tempore prætorius recte post duos collegas memoratur; erant enim consules. Prioris consulatum memorat Livius, XXXIII, 24; alterius XXXIV, 45. Verum vidit et recepit Hearnius; eum sequutus est Crev. et ulterius adstruxit. Eamdem lectionem etiam præferendam esse vidit clariss. Dukerus; Drak. — *Redditis omnibus, quæ sine c. i. h.*, postquam iis omnia sua erant reddita: nam id promiserant Romani redituris.

Cap. LV. 1. *Gentis injussu*, ut III, 63; IV, 32; VII, 12; X, 4; XLV, 15.

2. *Literis ad senatum missis*, etc. vide ad XLI, 1, n. 3.

Digitized by Google

anno[5] Antias Valerius decessisse auctor est, legatis ad eam rem ad Prusiam missis, præter T. Quintium Flamininum (cujus in ea re celebre est nomen[6]), L. Scipione Asiatico et P. Scipione Nasica.

cte dicant, Livium hoc conferre in eum annum, quo Cn. Bæbius Tamphilus et L. Æmilius consules fuere. Etsi enim Livius illud narrat, postquam hos consules creatos fuisse dixerat, tamen verbis *extremo anno* aperte significat, id anno priore accidisse. Et ita Oros. IV, 20, et Obseq. de Prodig. cap. 59, qui haud dubie e Livio descripserunt, cui mos est, narrationi de comitiis novorum consulum ac prætorum multa subtexere, quæ ad historiam illius anni, quo creati sunt, non quo magistratum gesserunt, pertinent ». Duk.

5. *Hannibalem hoc anno Antias Valerius decessisse auctor est;* vide ad cap. 50, n. 6.

6. *Cujus in ea re celebre est nomen;* conf. ad cap. 51.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER XL.

BREVIARIUM.

Cap. I; Consules prætoresque sortiuntur provincias, et in Ligures Hispaniamque novi exercitus conscribuntur. — II; Atrox tempestas aliaque prodigia Romæ procurantur: et legationes transmarinæ introducuntur in senatum. — III; Fides Philippi suspecta Romanis et crudelitas; — IV; quam Poris ejusque uxor Theoxena et liberi voluntaria morte effugiunt. — V; Perseus, Philippi filius major, sed pellice genitus, cernens sibi spem nullam regni superesse propter magnum plebis Romanorumque favorem in Demetrium fratrem, omnem dat operam, ut in eum, tamquam proditorem, concitet invidiam patris. — VI; Ira ejus crescit festo die, quo exercitus lustratur; — VII; et probabilis ei criminandi fratris causa præbetur proxima nocte, qua comissatum ad illum it Demetrius cum convivis suis, e quibus nonnulli, speculatoris fraterni ab se paulo ante pulsati ultionem metuentes, clam ferrum veste abdiderant. — VIII; Postero die Perseus indicium rei defert ad patrem, qui inter duos filios, accusatorem parricidii et reum, judex sedens furensque ira exsecratur discordias fraternas. — IX-XI; Perseus manifestarum insidiarum, affectationis regni et sermonum de eo Romæ cum T. Quintio habitorum arguit Demetrium. — XII - XV; Hic criminationes illas refellit. — XVI; Philippi sententia. Res a consulibus adversus Ligures, et a prætoribus in Hispaniis gestæ. — XVII; Pœnorum et Masinissæ contentio de agro. Ligures pacati. — XVIII; Consules (P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Tamphilus) prætoresque creantur,

Digitized by Google

et hi sortiuntur provincias. Duumviri navales maritimam oram tuentur denis navibus. — XIX; Prodigia, pestilentia, supplicatio per totam Italiam, et nova Bacchanalium quæstio. — XX; Legati regum Græcorumque Romam veniunt, nec non Philocles et Apelles, a Philippo inquisitum missi de clandestinis consiliis sermonibusque Demetrii. — XXI; Interea Philippus, vulgatæ opinioni credens, Istrum, Alpes, Ponticum et Hadriaticum mare conspici posse in vertice Hæmi montis, eum ascendere statuit, ut ibi consultet, qua proxime itinera ad mare Hadriaticum atque Italiam ducant: Demetrium autem domum remittit cum Dida, Persei amico, qui omnia juvenis incauti arcana elicere conatur. — XXII; Vanum iter regis et reditus per Dentheletorum Mædorumque fines, quos propter inopiam exercitus populatur. — XXIII; Demetrius frustra fugam ad Romanos meditatur, et legati Romam missi falsas adferunt T. Quintii literas, quæ fidem faciunt criminationibus Persei. — XXIV; Innoxius adolescens ab Dida veneno et injectis tapetibus in caput faucesque necatur. — XXV; L. Æmilius Paullus procos. a Liguribus Ingaunis per inducias, quas per speciem pacis componendæ petierant, repente obsidetur. — XXVI; Subsidia parantur, sed tardiora, quam tempus postulat. — XXVII; Itaque per se fortunam tentare statuit, exercitumque jubet omnibus portis erumpere. — XXVIII; Ligures Ingauni cæduntur, castrisque exsuti omnes in ditionem veniunt. Quo facto Æmilius confecta decedit provincia, et supplicatio decernitur. — XXIX; Colonia Graviscæ deducitur; annusque insignis est siccitate et inopia frugum. Eodem duæ lapideæ arcæ in agro L. Petillii scribæ sub Janiculo reperiuntur, quarum altera inanis titulum sepulti Numæ Pompilii habet, altera libros ejus continet, græce latineque scriptos, qui, quoniam Q. Petillio, prætori urbano, dissolvendarum religionum esse videntur, eo in comitio cremantur. — XXX - XXXII; Q. Fulvius Flaccus in Carpetania ad Æburam opp. magnam victoriam, nec tamen incruentam, reportat a Celtiberis. — XXXIII; Contrebiam capit et, hostibus iterum fusis, per Celtiberiam populabundus ducit legiones. — XXXIV; Res in ulteriore Hispania adversus Lusitanos prospere gestæ a P. Manlio. Aquileia colonia deducta. Ædes Veneris Erycinæ et Pietatis dedicatæ. Triumphus a L. Æmilio Paullo actus de Liguribus Ingaunis. Secunda prælia a M. Pinario facta cum Corsis et Iliensibus in Sardinia. Pax Pœnis cum Masinissa per Romanos confirmata. — XXXV; Consules (A. Postu-

Digitized by Google

mius Albinus Luscus et C. Calpurnius Piso) prætoresque creantur, et hi sortiuntur provincias; illis eadem, quæ per quatuor jam annos consulibus fuerat, Ligures, decernitur. — XXXVI; Novæ scribuntur legiones, et Q. Fulvio permittitur, ut partem veteris exercitus ex Hispania citeriore secum deportet. — XXXVII; Pestilentia jam tertium annum Romam Italiamque vastat, et illustres omnium ordinum viri moriuntur; sed quorumdam mors suspecta est, maxime C. Calpurnii consulis, qui a Quarta Hostilia uxore necatus creditur, ut filio ejus, Q. Fulvio Flacco, via pateat ad summum honorem. Is quoque consul declaratur in locum vitrici, et Hostilia damnatur. — XXXVIII; Ligures Apuani, improviso oppressi, se dedunt, et in Samnium traducuntur. Consules confecta provincia veterem exercitum deducunt Romam, et omnium primi nullo bello gesto triumphant. — XXXIX, XL; In Hispania citeriore Q. Fulvius Flaccus, ex Celtiberia Tarraconem ad successorem profecturus, in saltu Manliano obsidetur a Celtiberis; sed equitum virtute avertit hostes, et ubique cædit. — XLI; Consules in Liguribus res egregie gerunt, et, referente Q. Fulvio, frater ejus M. Fulvius Nobilior tribunus secundæ legionis, qui eam ante adventum consulum mensibus suis dimiserat, in Hispaniam relegatur. — XLII; Gentius rex Illyriorum latrocinii omnis maritimi auctor esse creditur. Sacerdotes aliquot peste absumuntur. Cumanis permittitur, ut publice latine loquantur. — XLIII; Latina colonia deducitur in agrum Pisanum. C. Mænius prætor, quærens de veneficiis, multos damnat. Q. Fulvius Flaccus de Hispanis triumphat, et consul creatur cum L. Manlio Acidino. — XLIV; Lex annalis fertur ab L. Villio tribuno plebis; et prætores quatuor post multos annos creantur lege Bæbia, quæ alternis quaternos jusserat creari. Provinciæ novorum magistratuum. Q. Fulvius consul ludos Jovi facit, et ædem Equestri Fortunæ votam locat pecunia in eas res ipsi collata ab Hispanis. Effusi autem sumptus, in ludos faciendi, quos magistratus rom. a provincialibus exigere solent, coercentur SCto. — XLV; Hiems sæva, tempestates, aliaque prodigia, supplicatione procurata. Censores creantur M. Æmilius Lepidus pontifex max. et M. Fulvius Nobilior, inter quos nobiles inimicitiæ erant. — XLVI; Eas deponunt, moti oratione Q. Cæcilii Metelli et precibus Patrum plebisque. — XLVII; In Hispania citeriore Ti. Sempronius Gracchus Mundam capit et Certimam. — XLVIII; Mox Celtiberos, ad oppugnanda

Digitized by Google

Rom. castra venientes, ingenti clade afficit. — XLIX; Tum Alcen aliaque centum tria oppida in deditionem accipit, et Thurrum sibi adjungit, regulum longe potentissimum Hispaniæ. — L; Ergaviam inde ad deditionem, et magna victoria ad montem Chaunum Celtiberos ad veram pacem compellit. — LI; Censores fideli concordia legunt senatum, et multa conficiunt opera ex pecunia attributa: mutant quoque suffragia, regionatimque generibus hominum tribus describunt. — LII; Alter ex iis M. Æmilius dedicat templa Junonis Reginæ, Dianæ, Lariumque Permarinorum. — LIII; Q. Fulvius consul res bene gerit adversus Ligures. Gallos Transalpinos, in Italiam transgressos, inde excedere jubet senatus. — LIV; Antigonus Echecratis filius, qui ex honoratis Philippi amicis unus incorruptus permanserat, cujusque patruus Antigonus Doson ejusdem fuerat tutor, suspicionem regis auget, — LV; et Xychum comprehensum perducit in regiam, qui nodum erroris possit exsolvere. Is metu tormentorum admoto vera omnia exponit. Quo facto Philocles opprimitur, et Apelles in Italiam trajicit. — LVI; Perseus in Thraciam abit, et Philippus Antigonum in possessione regni relinquere constituit. Sed mox, senio et mœrore consumptus, Amphipoli exstinguitur cum diris exsecrationibus filii superstitis. Hic a Calligene medico certior factus de imminente regis morte necopinantes opprimit omnes, et regnum scelere partum invadit. — LVII, LVIII; Sic irrita fiunt consilia Philippi et iter Bastarnarum per Thraciam, quos ille sedibus exciverat, ut tollerent Dardanos et Italiam popularentur. Perseus interfici jubet Antigonum, et legatos Romam mittit, qui petant, ut rex ab senatu appelletur, et amicitia renovetur paterna. — LIX; Q. Fulvius consul ex Liguribus triumphat, et edicit comitia, quibus M. Junius Brutus et A. Manlius Vulso consules sexque prætores creantur. Prodigia, et ludi Romani propter ea instaurati.

I. Principio insequentis anni consules prætoresque sortiti provincias sunt. Consulibus, nulla, præter Ligures[1], quæ decerneretur, erat. Jurisdictio urbana

Cap. I. 1. *Nulla, præter Ligures*, etc. conf. XXXVIII, 42; XXXIX, 1, 32, 45. — *Jurisdictio urbana M. Ogulnio Gallo*. De hujus nomine varii codd. non consentiunt. Videatur Drak. ad XXXIX, 56, § 5. Ed.

Digitized by Google

M. Ogulnio Gallo, inter peregrinos M. Valerio evenit, Hispaniarum Q. Fulvio Flacco citerior, P. Manlio ulterior, L. Cæcilio Dentri Sicilia, C. Terentio Istræ Sardinia. Consules delectus habere jussi. Q. Fabius ex Liguribus scripserat, Apuanos ad rebellionem [2] spectare, periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent. Et ex Hispaniis, citeriorem in armis esse, et cum Celtiberis bellari sciebant; in ulteriore, quia diu æger prætor esset, luxuria et otio solutam disciplinam militarem esse. Ob ea novos exercitus conscribi placuit; quatuor legiones in Ligures, uti singulæ quina millia et ducenos pedites, trecenos haberent equites: sociorum iisdem latini nominis quindecim millia peditum addita, et octingenti equites: hi duo consulares exercitus essent. Scribere præterea jussi septem millia peditum sociorum ac latini nominis et quadringentos equites, et mittere ad M. Marcellum in Galliam, cui ex consulatu prorogatum imperium erat. In Hispaniam etiam utramque quæ ducerentur, quatuor millia peditum civium romanorum et ducenti equites, et sociorum septem millia peditum cum trecentis equitibus scribi jussa. Et Q. Fabio Labeoni cum exercitu, quem habebat in Liguribus, prorogatum in annum imperium est.

II. Ver procellosum eo anno fuit. Pridie [1] Parilia, medio ferme die atrox cum vento tempestas coorta

2. *Apuanos ad rebellionem spectare;* vide ad I, 9, n. 3.—*Quadringentos equites;* pro *quadringentos* legebatur vulgo *sexcentos*, quod primum in edit. Paris. anni 1573 comparere testatur Drak., dum libri omnes *quadringentos* exhibeant; quæ quidem lectio bene rationi respondet, ex qua paulo ante quindecim millibus peditum sociorum octingenti equites additi esse dicuntur. Jure ergo priscam restituit lectionem Drakenb. Ed.

Cap. II. 1. *Pridie Parilia*, quæ agebantur XII Cal. Apr. quo die Roma condita. *Palilia* plerique MSS et edd. vett. Festus: *Pales dicebatur dea pastorum, cujus festa Palilia dicebantur; vel, ut alii volunt, dicta Pa-*

Digitized by Google

multis sacris profanisque locis stragem fecit; signa ænea in Capitolio dejecit; forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, et in posticis[2] partibus Cereris templi affixit; signa alia in circo maximo cum columnis, quibus superstabant, evertit; fastigia aliquot templorum[3], a culminibus abrupta, fœde dissipavit. Itaque in prodigium versa ea tempestas, procurarique haruspices jusserunt[4]; simul procuratum est, quod tripedem mulum Reate natum nuntiatum erat, et a Formiis ædem Apollinis ac Caietæ de cælo tactam[5]: ob ea prodigia viginti hostiis majoribus sacrificatum est, et diem unum supplicatio fuit. Per eosdem dies ex literis A. Terentii proprætoris cognitum, P. Sempronium in ulteriore provincia[6], quum plus annum æger fuisset, mortuum esse. Eo maturius in Hispaniam prætores jussi proficisci. Legationes transmarinæ[7] deinde in senatum introductæ sunt.

rilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant. Conf. Ovid. Fast. IV, 72 sq. Dionys. Halicarn. I, 88; Intpp. Pers. I, 721, et Drak. ad h. l. — *Æde Lunæ in Aventino;* vide ad Tac. Ann. XV, 41, n. 2, et Drak. ad hunc locum.

2. *In posticis partibus,* al. *parietibus;* vide ad XXIII, 8, n. 8.

3. *Fastigia aliquot templorum,* etc. i. e. statuas deorum aut similia ornamenta summis tectis imposita; Ern. — Solis templorum tectis impositum fuisse fastigium Crever. monet, quum cæterorum ædificiorum tecta plana essent. Inde *fastigium* recensetur inter honores divinos Cæsari decretos, Cic. Phil. II, n. 110; vid. et Suet. in Cæs. cap. 81, et ibi Casaub. *Culmen*, quod hic distinguitur a *fastigio,* nihil aliud esse potest, quam tecti pars inferior, quæ reliquum ædificium tegit, sed simul fastigio subjecta est. Ed.

4. *Procurarique* eam *haruspices j.;* vide ad I, 20, n. 11.

5. *Et a Formiis* nuntiatum, ibi *ædem Apollinis ac Caietæ de cælo tactam:* nam Caieta etiam, nutrix Æneæ, divino honore culta videtur; vid. Heyn. Exc. I ad Virgil. Æn. VII. To *ac* ante *Caietam*, quod a 7 MSS abest, delendum putabat Sigon.; at Gron. præpos. *a* ante *Formiis,* ut utrobique, et Formiis et Caietæ, ædes Apollinis tacta sit. Uterque provocat ad verba Obseq. de Prod. c. 60, *Ædes Apollinis Caietæ de cælo tacta.* Caietæ opp. Auruncorum in Latio finibusque Campaniæ (hod. *Gaeta*), prope Formias; unde idem sinus dicebatur Caietanus et Formianus. Conf. Drak.

6. *In ulteriore provincia*, forte leg. *Hispania.*

7. *Legationes transmarinæ... intro-*

Digitized by Google

Prima Eumenis et Pharnacis regum, et Rhodiorum querentium[8] de Sinopensium clade. Philippi quoque legati et Achæorum et Lacedæmoniorum, sub idem tempus venerunt. Iis, prius Marcio audito, qui ad res Græciæ Macedoniæque visendas[9] missus erat, responsa data sunt. Asiæ regibus ac Rhodiis responsum est, legatos ad eas res visendas missurum senatum.

III. De Philippo auxerat curam Marcius: nam ita fecisse eum, quæ senatui placuissent, fatebatur, ut facile appareret, non diutius, quam necesse esset, facturum; neque obscurum erat rebellaturum, omniaque, quæ tunc ageret diceretque, eo spectare. Jam primum omnem fere multitudinem[1] civium ex maritimis civitatibus cum familiis suis in Emathiam, quæ nunc dicitur (quondam appellata Pæonia[2] est), traduxit; Thracibusque et aliis Barbaris urbes tradidit

ductæ; vide ad XXXIX, 46, n. 5, 6.

8. *Rhodiorum querentium* (quod verbum ad solos Rhodios spectat) *de Sinopensium clade,* non a Sinopensibus illatæ Rhodiis (ut *gallica clades* IX, 41, n. 6), sed quam Sinopenses passi sint (conf. ad II, 61, n. 3), ἡ Σινωπέων ἀτυχία, quam memorant Polyb. IV, 56, XXIV, 10, et Strab. XII, pag. 545; unde Drak. recte hæc notavit: « Intell. urbis istius olim liberæ ac sui juris a *Pharnace* rege Ponti (Mithridatis IV filio et Mithridatis Magni avo) expugnatio. Quod igitur ipsi *Sinopenses*, a Pharnace subacti, non poterant, hanc eorum cladem Romæ questi sunt *Rhodii,* Sinopensium amici ac fœderati, qui antea iisdem Sinopensibus, quum a Mithridate, Pharnacis patre, bellum illatum esset, auxilium tulerunt. Eumenes vero neutri, neque Sinopensibus, neque Pharnaci, opem tulit: non huic, utpote cum quo circa hoc tempus bellum gessit; non illis, quia in legibus pacis inter Eumenem et Pharnacem initæ nihil de Sinopensibus cautum est. Eumenis itaque legati Romam quidem venisse videntur, ut de Pharnace quererentur; non tamen, quod Sinopen in potestatem redegisset, sed potius, quod bellum sibi ab eo illatum foret; conf. Polyb. »

9. *Ad res Græciæ M. visendas;* conf. ad XXXIX, 48, et ad XXI, 6, n. 4. — *Responsa data sunt:* exponit responsa illa Polyb. in Exc. Leg. § 51, p. 307, ed. Schweigh. Ed.

Cap. III. 1. *Omnem multitudinem,* etc. conf. Polyb. XXIV, 8.

8. *Emathiam,...quondam appellata Pæonia:* duæ partes Macedoniæ ob vicinitatem confusæ ab historicis; Glar. Conjicerem: *appellata ita Macedonia est* (conf. Plin. IV, 10 seu 17), nisi vulgatam lect. firmaret Polyb. l. l.

Digitized by Google

habitandas, fidiora hæc genera hominum fore ratus in romano bello. Ingentem ea res fremitum tota Macedonia fecit; relinquentesque penates suos cum conjugibus ac liberis pauci tacitum dolorem continebant; exsecrationesque in agminibus proficiscentium in regem, vincente odio metum, exaudiebantur. His ferox animus omnes homines, omnia loca temporaque suspecta habebat. Postremo negare propalam cœpit, satis tutum sibi quidquam esse, nisi liberos eorum [3], quos interfecisset, comprehensos in custodia haberet, et tempore alium alio tolleret.

IV. Eam crudelitatem, fœdam per se, fœdiorem unius domus clades fecit. Herodicum, principem Thessalorum, multis ante annis occiderat; generos quoque ejus postea interfecit. In viduitate relictæ filiæ, singulos filios parvos habentes. Theoxena et Archo nomina mulieribus erant. Theoxena, multis petentibus, adspernata nuptias est. Archo Poridi cuidam, longe principi gentis Æneatum [1], nupsit, et, apud eum plures enisa partus, parvis admodum relictis omnibus, decessit. Theoxena, ut in suis manibus liberi sororis educarentur, Poridi nupsit, et, tanquam omnes ipsa enisa foret, suum sororisque filios in eadem habebat cura [1]. Postquam regis edictum de comprehendendis liberis eorum, qui interfecti essent, accepit; ludibrio

3. *Nisi liberos eorum*, etc. conf. Aristot. Rhet. 1 extr. et II, 21; Polyb. XXIV, 8, § 10 (ubi videatur Schweigh.); Herodot. I, 155; Proverb. Metr. num. 88. — Hujus sententiæ meminit etiam Euripides, Androm. v. 520: Καὶ γὰρ ἄνοια μεγάλη, λιπεῖν Ὑιοὺς ἐχθρῶν, ἑξὸν κτείνειν, Καὶ φόβον οἴκων ἀφελέσθαι. Ed.

Cap. IV. 1. *Longe principi gentis Æneatum*, ex emendatione Sigon. pro *Ænianum;* nam *gens*, etsi Turnebus negat, etiam incolæ oppidi dicuntur, ut apud Cæs. Bell. Civ. III, 80 al. Conf. not. 4, et ad XXVIII, 5, n. 6.

2. *Filios in eadem habebat cura;* vid. Burm. ad Suet. Cæs. 23. — *Regis* (Philippi) *edictum*, etc. conf. cap. 3 extr. — *Ludibrio futuros libidini*, omnes MSS et edd. ante Sigon.

Digitized by Google

futuros, non regis modo, sed custodum etiam libidini, rata, ad rem atrocem[3] animum adjecit; ausaque est dicere, se sua manu potius omnes interfecturam, quam in potestatem Philippi venirent. Poris, abominatus mentionem tam fœdi facinoris, Athenas deportaturum eos ad fidos hospites dixit, comitemque ipsum fugæ futurum esse. Proficiscuntur ab Thessalonica[4] Æneam ad statum sacrificium, quod conditori Æneæ cum magna ceremonia quotannis faciunt. Ibi die per solennes epulas consumpto, navem præparatam a Poride, sopitis omnibus, de tertia[5] vigilia conscendunt, tanquam redituri in Thessalonicam: sed trajicere in Euboeam erat propositum. Cæterum in adversum ventum nequidquam eos tendentes[6] prope terram lux oppressit; et regii, qui præerant custodiæ portus, lembum armatum ad pertrahendam eam na-

libidinis: sed legendum *libidini* vel *libidinibus;* Drakenb.

3. *Ad rem atrocem*, etc. qualem olim fecit Virginius; sed quum non alio modo pudicitiam filiæ tueri posset. — *Quam... venirent*, pro vulgari: *quam* concedere, *ut venirent.* En.

4. *Proficiscuntur ab Thessalonica* (vide ad VIII, 1, n. 1), ubi habitabat princeps ille Æneatum, *Æneam ad statum sacrificium... faciunt;* vide ad XXVIII, 5, n. 6. *Ænea* seu *Ænia*, ut XLIV, 10 et 32, gr. Αἴνεια oppid. Macedoniæ, quod Livius, XLIV, 10, dicit *XV millia passuum abesse a Thessalonica, adversus Pydnam positum;* quam oppositionem laxe interpretandam esse monet Cellar. Geogr. ant. II, 13, quum Pydna vulgo constituatur prope Aliacmonem. Alia Αἴνια πόλις Πιερραιβῶν apud Steph. Ab ea ut distinguatur, etiam XLIV, 10 et 32. *Ænea* scribendum putat Drak. — *Æneæ conditori* Æneæ opp. (conf. Dionys. Halicarn. I, 47, 49, et Herodot. VII, 123), a quo alii *Ænum* Thraciæ conditam tradunt; vid. inpr. Heyn. Exc. I, ad Virgil. Æn. III, 16 sq. et Drak. ad h. l. qui etiam præcipue notanda monet verba Dionys. Αὕτη διέμεινεν ἕως τῆς Μακεδόνων δυναστείας τῆς κατὰ τοὺς διαδόχους τοῦ Ἀλεξάνδρου γενομένης· ἐπὶ δὲ τῆς Κασσάνδρου βασιλείας καθηρέθη, ὅτε Θεσσαλονίκη πόλις ἐκτίζετο· καὶ οἱ Αἰνειᾶται σὺν ἄλλοις πολλοῖς εἰς τὸν νεόκτιστον μετῴκησαν, ut appareat, cur Poris, licet Thessalonicæ habitans, tamen stato sacrificio Æneæ interfuerit.

5. *De tertia vigilia;* vide ad IX, 44, n. 5. — *Redituri in Thessalonicam;* del. τὸ *in;* Gronov. Sed vide ad VIII, 1, n. 1.

6. *In adversum ventum tendentes;* vide ad IV, 19, n. 1. — *Ad pertrahendam eam navim*, attrahendam,

Digitized by Google

vim miserunt, cum gravi edicto, ne reverterentur sine ea. Quum jam appropinquabant, Poris quidem ad hortationem remigum nautarumque[7] intentus erat; interdum manus ad cælum tendens deos, ut ferrent opem, orabat. Ferox interim femina, ad multo ante præcogitatum revoluta facinus[8], venenum diluit, ferrumque promit, et, posito in conspectu poculo strictisque gladiis, « Mors, inquit, una vindicta est[9]. Viæ « ad mortem hæ sunt: qua quemque animus fert, ef- « fugite superbiam regiam. Agite, juvenes mei, pri- « mum, qui majores estis, capite ferrum; aut haurite « poculum, si segnior mors juvat ». Et hostes aderant, et auctor mortis instabat. Alii alio leto absumpti semianimes e nave præcipitantur; ipsa deinde, virum comitem mortis complexa, in mare sese dejecit. Nave vacua dominis regii potiti sunt.

V. Hujus atrocitas facinoris novam velut flammam regis invidiæ adjecit, ut vulgo ipsum liberosque ejus exsecrarentur[1]. Quæ diræ brevi ab omnibus diis exauditæ, ut sæviret ipse in suum sanguinem, effecerunt. Perseus enim, quum in dies magis cerneret favorem dignitatemque Demetrii fratris apud Macedonum multitudinem crescere, et gratiam apud Romanos, sibi spem nullam regni superesse, nisi in scelere, ratus, ad id unum omnes cogitationes intendit.

adducendam. *Retrahendam* emendabat Periz. Sed utrumque verbum eodem sensu de fugitivis ex fuga reductis usurpari docet Drak. ad II, 12, n. 4, et XXX, 12, n. 2.

7. *Ad hortationem remigum n.;* vide ad Sil. XI, 488.

8. *Ad multo ante præcogitatum* (vide ad IX, 23, n. 1) *facinus revoluta*, rediens mente.

9. *Mors una*, unica, *vindicta est;* vide ad II, 5, n. 14.

Cap. V. 1. *Ut vulgo ipsum liberosque ejus exsecrarentur:* Roellius observat, non videri hæc in Demetrium convenire, cujus favorem dignitatemque in dies magis crevisse, mox narrabit Livius. To *ejus* exsulat ab 7 MSS. An itaque leg. *ut vulgo ipsum summi inferioresque exsecrarentur?* — *Quod*

Digitized by Google

Cæterum quum se ne ad id quidem, quod muliebri cogitabat animo, satis per se validum crederet, singulos amicorum patris tentare sermonibus perplexis institit[2]. Et primo quidam ex his adspernantium tale quidquam speciem præbuerunt, quia plus in Demetrio spei ponebant: deinde, crescente in dies Philippi odio in Romanos, cui Perseus indulgeret, Demetrius summa ope adversaretur, prospicientes animo exitum incauti a fraude fraterna juvenis, adjuvandum, quod futurum erat, rati, fovendamque spem potentioris, Perseo se adjungunt. Cætera in suum quæque tempus agenda differunt. In præsentia placet, omni ope in Romanos accendi regem, impellique ad consilia belli, ad quæ jam sua sponte animum inclinasset. Simul, ut Demetrius in dies suspectior esset, ex composito sermones ad spretionem Romanorum[3] trahebant. Ibi quum alii mores et instituta eorum, alii res gestas, alii speciem ipsius urbis, nondum exornatæ neque publicis neque privatis locis, alii singulos principum eluderent[4], juvenis incautus, et amore nominis romani, et certamine adversus fratrem, omnia tuendo suspectum se patri et opportunum criminibus[5] fa-

muliebri cogitabat animo; fuit nempe Perseus mollis et ignavus homo, qui consilia inibat, qualia fere ineunt mulieres. Ed.

2. *Singulos amicorum patris tentare sermonibus perplexis institit;* videatur ad IX, 35, n. 1, et XXIV, 26, n. 7.

3. *Ad spretionem Romanorum;* viri docti vocem, non alibi obviam, mutant in *spem* (quod in omnibus MSS, præter Lov. 5, etiam in Mogunt., legitur, sed ferri nequit), *contemptionem*, *mentionem* et *speciem*. Posterius probat Drakenb. ut *species* sit externa forma et habitus in oculos incurrens, vel dignitas Romanorum, quam insidiose quidam memoraverint, ut alii eam irridendi occasionem haberent, et ita incautum Demetrium ad eam defendendam elicerent. Sed vocem *spretionem* non sapere corruptelam librariorum, et apud Livium alia ejusmodi duriora esse substantiva, v. c. *cretio*, *contemptio*, *ademptio*, monet Ern.

4. *Singulos principum eluderent*, h. e. irriderent, illuderent; vid. I, 36, n. 4, et XXVI, 19, n. 7. Ed.

5. *Opportunum criminibus;* vide ad I, 54, n. 4; III, 19, n. 7.

Digitized by Google

ciebat. Itaque expertem eum pater omnium de rebus romanis consiliorum habebat : totus in Persea versus, cum eo cogitationes ejus rei dies ac noctes agitabat. Redierant, quos forte miserat in Bastarnas ad arcessenda auxilia, adduxerantque inde nobiles juvenes et regii quosdam generis : quorum unus sororem suam in matrimonium Philippi filio pollicebatur; erexeratque consociatio gentis ejus animum regis. Tum Perseus, « Quid ista prosunt? inquit. Nequaquam tantum « in externis auxiliis est præsidii, quantum periculi « fraude domestica [6]. Proditorem nolo dicere, certe « speculatorem habemus in sinu; cujus, ex quo ob- « ses Romæ fuit, corpus nobis reddiderunt Romani, « animum ipsi habent. Omnium pæne Macedonum in « eum ora conversa sunt; nec regem se alium rentur « habituros esse, quam quem Romani dedissent [7] ». His per se ægra mens senis stimulabatur; et animo magis, quam vultu, ea crimina accipiebat.

VI. Forte lustrandi exercitus venit tempus [1], cujus solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ et prior

6. *Quantum periculi fraude d.;* excidit *in* seu *a;* Gron.—*Speculatorem habemus in sinu;* vide ad Tac. Ann. VI, 45, n. 10. — *Corpus nobis reddiderunt*, etc. conf. ad XXXIX, 47, n. 4.

7. *Quam quem Romani dedissent*, invidiose, quasi vel ipso Philippo amoto id jam facturi fuissent, si arbitrii eorum res essent; Gron.—*Ægra*, curis nimirum; nonnunquam *æger* simpliciter pro *æger curis* dicitur. Sic Virgil. Eclog. I, 13, « en ipse capellas Protenus æger ago » ; similiter Valer. Flacc. III, 571, « Sed neque apud socios structasque in litore mensas Unanimum videt (Hercules) æger Hylan ». Ed.

Cap. VI. 1. *Forte lustrandi exercitus* Macedonici *venit tempus* (dies VIII Xanthici mensis, quem Aprili fere respondere putant), *cujus solenne est tale*, etc. conf. cap 13, sup. ad I, 28, n. 2; inpr. loc. simil. Curt. X, 9, 11 sq. Suid. voc. ἐναγίζων, Hesych. (Ξάνθικά, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς ἀγομένη· ἔστι δὲ καθάρσιον τῶν στρατευμάτων) et Meurs. Græc. feriata, lib. V, voc. *Xanthica.*— *Caput mediæ canis præcisæ*, præcisum : immo dissectæ, scissæ, ita quidem, ut transversa secaretur, non in dextram partem et sinistram, sed in superiorem cum capite, cervice, pectore, pedibus anterioribus, et inferiorem cum alvo, cauda et pedibus

Digitized by Google

pars ad dexteram, cum extis posterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur. Præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ regum: deinde rex ipse cum liberis sequitur: proxima est regia cohors custodesque corporis; postremum agmen Macedonum cætera multitudo claudit. Latera regis duo filii juvenes cingebant, Perseus jam tricesimum annum agens, Demetrius quinquennio minor; medio juventæ robore ille, hic flore; fortunati patris matura soboles, si mens sana fuisset. Mos erat, lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere[2], et divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ. Regii juvenes duces ei ludicro certamini dati. Cæterum non imago fuit pugnæ, sed, tanquam de regno dimicaretur, ita concurrerunt, multaque vulnera sudibus facta[3]; nec præter ferrum quidquam defuit ad justam belli speciem. Pars ea, quæ sub Demetrio erat, longe superior fuit: id ægre patiente Perseo, lætari prudentes amici ejus, eamque rem ipsam dicere præbituram causam criminandi juvenis.

VII. Convivium eo die sodalium, qui simul decurrerant, uterque habuit, quum vocatus ad cœnam ab Demetrio Perseus negasset[1]. Festo die invitatio beni-

posterioribus: hinc *præcisæ*, superna parte abscissa; Bauer. — Non omnino cum Livio congruit Curt. X, 9; nostræ edit. vol. II, pag. 400. Ed. — *Et prior pars;* vox *prior* a Frob. demum addita et haud magnopere necessaria est; videtur autem distinguendum esse post *dexteram*, non post *extis*, ut innuatur, canis mediæ præcisæ alteri parti caput, alteri exta, non vero uni eidemque parti caput et exta, alteri nihil additum fuisse; Drakenb. — *Si mens sana fuisset;* videtur hic Nostro obversatum fuisse Virgilium, Ecl. I, 16: « Si mens non læva fuisset ». Ed.

2. *Exercitum decurrere*, h. e. huc illuc decurrendo in armis se exercere; vide ad XXIII, 35, n. 3. Ed.

3. *Multa vulnera sudibus facta;* pro *sudibus* malit Gron. *rudibus;* sed vide ad XXVI, 51, n. 3. Ed.

Cap. VII. 1. *Vocatus ad cœnam ab D. Perseus negasset;* vide ad cap. 13,

Digitized by Google

gna et hilaritas juvenalis utrosque in vinum traxit. Commemoratio ibi certaminis ludicri et jocosa dicta in adversarios, ita ut ne ipsis quidem ducibus abstineretur, jactabantur. Ad has excipiendas voces [2] speculator ex convivis Persei missus, quum incautior obversaretur, exceptus a juvenibus forte triclinio egressis, male mulcatur. Hujus rei ignarus Demetrius, « quin comissatum, inquit, ad fratrem [3] imus? « et iram ejus, si qua ex certamine residet, simplici- « tate et hilaritate nostra lenimus? » Omnes se ire conclamarunt, præter eos, qui speculatoris ab se pulsati præsentem ultionem metuebant: quum eos quoque Demetrius traheret, ferrum veste abdiderunt, quo se tutari, si qua vis fieret, possent. Nihil occulti esse in intestina discordia potest: utraque domus speculatorum et proditorum plena erat. Præcucurrit index ad Persea, ferro succinctos nuntians cum Demetrio quatuor adolescentes venire. Etsi causa apparebat (nam ab iis pulsatum convivam suum audierat), tamen, infamandæ rei causa [4], januam obserari jubet, et ex parte superiore ædium versisque in viam fenestris comissatores, tanquam ad cædem suam venientes,

n. 7. — *Hilaritas juvenalis* (*juvenilis* edd. ante Drak.) *utrosque in vinum traxit*, ad largiter bibendum incitavit. —*Jactabantur;* vide ad II, 12, n. 7, et II, 45, n. 6.

2. *Ad has excipiendas voces;* al. *accipiendas:* sed *excipi voces* dicuntur, quæ in hoc accipiuntur, ut serventur, ut earum aut in honorem aut injuriam dicentis recordere: est et proprium verbum insidiarum; Gron. Conf. Drak. et ad II, 4, n. 3. — *Obversaretur;* vide ad XXIV, 23, n. 2. —*Male mulcatur;* vid. III, 11, n. 3.

3. *Quin comissatum ad fratrem imus?* vid. III, 29, n. 3, et XXVII, 49, n. 5. — *Simplicitate*, animi candore; infra, cap. 23, *quum simplicitatem juvenis incauti ..... captaret.* Ed. — *Præcucurrit index ..... nuntians;* postremam vocem delere jubet Crev. quasi ab ignaris Liviani moris adjectam. Non adversaretur Drak., si lectio fide codicum niteretur, qui hic omnes eam dictionem agnoscunt. Ed.

4. *Infamandæ rei causa*, ut atrox consilium venientibus affingeret, et res in malam famam verteret. Ed. — *Demetrius, per vinum;* videndum supra ad V, 12, n. 6.

Digitized by Google

aditu januæ arcet. Demetrius, per vinum, quod excluderetur, paulisper vociferatus, in convivium redit, totius rei ignarus.

VIII. Postero die Perseus, quam primum conveniendi potestas patris fuit, regiam ingressus, perturbato vultu in conspectu patris[1] tacitus procul constitit. Cui, quum pater, «Satin' salvæ?» et, *quænam ea mœstitia esset* interrogaret eum, « De lucro tibi, « inquit, vivere me scito. Jam non occultis a fratre « petimur insidiis. Nocte cum armatis domum ad in- « terficiendum me venit; clausisque foribus, parietum « præsidio me a furore ejus sum tutatus ». Quum pavorem mixtum admiratione patri injecisset, « Atqui, « si aures præbere potes, inquit, manifestam rem te- « neas, faciam ». *Enimvero se*, Philippus dicere, *auditurum*, vocarique extemplo Demetrium jussit; et seniores duos amicos, expertes inter fratres certaminum[2], infrequentes jam in regia, Lysimachum et Onomastum arcessit, quos in consilio haberet. Dum veniunt amici, solus, filio procul stante, multa secum animo volutans, inambulavit. Postquam venisse eos nuntiatum est, secessit in partem interiorem cum

Cap. VIII. 1. *In conspectu patris*, forte *in c. ejus*, ne eadem vox toties repetatur. — *Cui, quum pater... interrogaret eum,... inquit:* pronomina *cui* et *eum* (quod a 4 MSS abest) ejicienda videntur; Gron. — *Satin' salvæ?* vide ad I, 58, n. 3. — *De lucro* (ex emend. Sigon. pro *de ludicro*), fortuna insperata, *tibi* (quod παρέλκει· vide ad Præfat. n. 12) *vivere me*, ut apud Cic. ad Div. IX, 17; h. e. vitam servatam ponere in lucro et bonum putare, quod mihi, qui jamjam moriturus fuerim, non opinanti contigerit, ut homini, qui in perpetuo aut præsentissimo vitæ periculo versetur, et ex eo vix ac præter opinionem evaserit. Cf. Ernesti Clav. Cic. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 9; v. 14, et intpp. Plaut. Merc. III, 2, v. 9; Grat. Cyneget. 94; et Terent. Phorm. II, 1, n. 16, *Quidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.*

2. *Expertes inter fratres certaminum*, quales esse debebant, qui simul cum patre judices futuri erant. *Expertos* 7 MSS et edd. ante Curionem; *expertos juvenalium inter fratres cert.* cod. Mogunt. Conf. ad IV, 9, n. 4.—

Digitized by Google

duobus amicis, totidem custodibus corporis : filiis, ut ternos inermes secum introducerent, permisit. Ibi quum consedisset : « Sedeo, inquit, miserrimus pater, « judex inter duos filios, accusatorem parricidii [3], et « reum ; aut conficti, aut admissi criminis labem apud « meos inventurus. Jam pridem quidem hanc procel- « lam imminentem timebam, quum vultus inter vos « minime fraternos cernerem, quum voces quasdam « exaudirem ; sed interdum spes animum subibat, de- « flagrare iras vestras, purgari suspiciones posse : etiam « hostes, armis positis, fœdus icisse, et privatas mul- « torum simultates finitas : subituram vobis aliquando « germanitatis memoriam [4], puerilis quondam simpli- « citatis consuetudinisque inter vos, meorum denique « præceptorum ; quæ, vereor, ne vana surdis auribus « cecinerim. Quoties ego, audientibus vobis, detesta- « tus exempla discordiarum fraternarum, horrendos « eventus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, « domos, regna, funditus evertissent ? Meliora quo- « que exempla parte altera posui : sociabilem consor- « tionem inter binos Lacedæmoniorum reges, salu- « tarem per multa sæcula ipsis patriæque ; eamdem « civitatem, postquam mos sibi cuique rapiendi ty- « rannidem exortus sit, eversam ; jam hos Eumenem « Attalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope « ut puderet regii nominis [5], mihi, Antiocho et cuili-

Totidem custodibus corporis, amicis, ei etiam loco satellitum futuris ; Drak.

3. *Accusatorem parricidii*, cædis fratris : unde *parricidium fratris* XL, 24, n. 4. Conf. ad XXVIII, 29, n. 1. — *Criminis labem* ; vide ad XXXIX, 9, n. 1.

4. *Germanitatis memoriam* ; vide ad XLI, 27, n. 4. — *Horrendos eventus eorum*, sc. fratrum (quod latet in voc. præc. *fraternarum*), *retuli*, *quibus* eventibus *se*, etc. nisi cum Fabro leg. *earum*, aut *qui* pro *quibus*. — *Sociabilem consortionem* (vide ad VI, 40, n. 11) *inter binos Laced. reges salutarem*, etc. cf. intpp. Nep. Ages. 1, et alii ad XXXIV, 31, n. 6, laudati.

5. *Prope ut puderet* eos *regii nomi-*

Digitized by Google

« bet regum hujus ætatis, nulla re magis, quam fra-
« terna unanimitate, regnum æquasse. Ne romanis
« quidem exemplis abstinui, quæ aut visa, aut audita
« habebam : T. et L. Quintiorum, qui bellum mecum
« gesserunt, P. et L. Scipionum, qui Antiochum devi-
« cerunt; patris patruique eorum, quorum perpetuam
« vitæ concordiam mors quoque miscuit[6]. Neque vos
« illorum scelus similisque sceleri eventus deterrere a
« vecordi discordia potuit : neque horum bona mens,
« bona fortuna, ad sanitatem flectere. Vivo et spi-
« rante me, hereditatem meam ambo et spe et cupi-
« ditate improba crevistis[7]. Eo usque me vivere vul-
« tis, donec, alterius vestrum superstes, haud ambi-
« guum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem,
« nec patrem potestis pati. Nihil cari, nihil sancti est :
« in omnium vicem regni unius insatiabilis amor suc-
« cessit[8]. Agite, conscelerate aures paternas : decer-

nis, « scil. non ut humilioris, sed ut fastigio et viribus ipsorum altioris (qui voc. *pudet* usus hic notandus); aut intellige : prope ut puderet *nos* regii nominis, quo tam tenues et indigni abuterentur. Mox *quæ aut visa aut audita habebam* pro : noveram, afferre poteram, in promptu habebam; » Bauer. — *Fraterna unanimitate;* de hac Eumenis, Attalique concordia vid. Nostrum inf. lib. XLV, cap. 19. Laudat Crev. Plutarchum de Amore Frat. qui quidem memorat illorum matrem Apollonidem dictitare, non sibi diadema et opes tantum afferre gaudium, quam quod videat filio suo natu maximo tres fratres latus cingere, custodes ejus corporis; eum autem inter gladios fratrum secure semper versantem. Ed.

6. *Mors quoque miscuit;* vide ad XXV, 34, 36. — *Illorum scelus*, fratrum discordium. — *Horum bona mens*, fratrum concordium. Nam Philippus et discordiæ et concordiæ fraternæ exempla filiis proposuerat.

7. *Hereditatem meam... crevistis;* vide ad XXIV, 25, n. 3. — *Haud ambiguum regem alterum mea morte faciam*, et forsan morte violenta, quæ ab uno superstite filio magis timenda, quam a duobus, quorum neutri certa est successio regni. Conf. Polyb. XXIV, 8, § 13.

8. *In omnium vicem... amor successit*, h. e. in locum omnium aliorum studiorum, amor successit unius tantum rei, nempe regni impetrandi; sed vide ad cap. 9, not. 6. Ed. — *Conscelerate aures paternas*, polluite quasi dictis factisque improbis, hoc est, dicite et facite nefanda, quæ pater audiat. Sic *oculos videndo conscelerare* dixit Ovid. Met. VII, 35. — *Decer-*

Digitized by Google

« nite criminibus, mox ferro decreturi : dicite palam, « quidquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Re- « seratæ aures sunt, quæ posthac secretis alterius ab « altero criminibus claudentur ». Hæc furens ira quum dixisset, lacrymæ omnibus obortæ, et diu mœstum silentium tenuit [9].

IX. Tum Perseus : « Aperienda nimirum nocte ja- « nua [1] fuit, et armati comissatores accipiendi, præ- « bendumque ferro jugulum, quando non creditur, « nisi perpetratum, facinus ; et eadem petitus insidiis « audio, quæ latro atque insidiator. Non nequidquam « isti unum Demetrium filium te habere [2], me subdi- « tum et pellice genitum appellant : nam si gradum, si « caritatem filii apud te haberem, non in me, queren- « tem deprehensas iusidias, sed in eum, qui fecisset, « sævires ; nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec « præterito periculo meo movereris, neque futuro, si « insidiantibus sit impune. Itaque, si mori tacitum « oportet, taceamus, precati tantum deos, ut a me « cœptum scelus in me finem habeat, nec per meum « latus tu petaris [3]. Sin autem (quod circumventis in « solitudine natura ipsa subjicit [4], ut hominum, quos « nunquam viderint, fidem tamen implorent) mihi

nite criminibus et ferro ; vide ad III, 19, n. 7, et XXI, 41, n. 2.—*Quidquid aut veri potestis*, sc. dicere.

9. *Diu mœstum silentium tenuit ;* vide ad II, 3, n. 6.

Cap. IX. 1. *Aperienda nimirum janua ;* vide ad IV, 5, n. 2.

2. *Demetrium filium te habere* parum apta sequenti *appellant :* e quo tamen suppleri potest *putant, dicunt ;* Bauer. Conf. ad I, 33, n. 7.

3. *Per meum latus tu petaris ;* vide ad XXIII, 9, n. 4.

4. *Quod circumventis in solitudine natura ipsa subjicit ;* vide ad I, 59, n. 7. « Cur *in solitudine*, si adsunt homines, licet nunquam visi, quorum fides imploratur ? Verum *in solitudine* hic non tam est remotis omnibus omnino hominibus, quam absentibus amicis, cognatis, notis. Ita *solitudo* adscribitur liberis, qui parentibus orbati sunt, apud Cic. Verr. I, 58. Conf. etiam Terent. Eun. I, 2, 67, et Gronov. ad Sen. Consol. ad Marc. 24. » Drakenb.

Digitized by Google

« quoque, ferrum in me strictum cernenti, vocem « mittere liceat[5]; per te patriumque nomen, quod utri « nostrum sanctius sit, jam pridem sentis, ita me au- « dias, precor, tanquam si, voce et comploratione no- « cturna excitus, mihi quiritanti intervenisses, Deme- « trium cum armatis nocte intempesta in vestibulo « meo deprehendisses. Quod tum vociferarer in re « præsenti pavidus, hoc nunc postero die queror. « Frater, non comissantium in vicem[6] jam diu vivi- « mus inter nos. Regnare utique vis: huic spei tuæ « obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus « Macedoniæ mos, obstat vero etiam patris judicium. « Hæc transcendere[7], nisi per meum sanguinem, non « potes. Omnia moliris et tentas. Adhuc seu cura mea, « seu fortuna, restitit parricidio tuo. Hesterna die, in « lustratione et decursu[8] et simulacro ludicro pugnæ, « funestum prope prælium fecisti; nec me aliud a « morte vindicavit, quam quod me ac meos vinci pas- « sus sum. Ab hostili prælio, tanquam fraterno lusu, « pertrahere me ad cœnam voluisti. Credis, me, pater,

5. *Vocem mittere liceat:* immo *licet* (ut præc. *si oportet*), et forte mox *per, te, patrium nomen... precor*, aut *per ego te patrium nomen;* Gron. « Si ordo est *precor per te patriumque nomen*, tum *precor*, non sane ex more, simpl. positum sit, et incommode dicatur *precor* te ipsum *per te:* sin talis ordo sit, *precor te per patrium nomen*, quod sane præstet, *que* redundet, et forsan delendum; » Bauer. Conf. ad XXIII, 9, n. 1. — *Tanquam si, voce... mihi quiritanti intervenisses;* vide ad XXXV, 32, n. 6. Ante *voce* excidit forte *quum;* Bauer. An potius *et* post *intervenisses?* — *Nocte intempesta;* vide ad XXV, 9, n. 8.

6. *Comissantium in vicem*, in morem, more, modo, animo; vel loco, ut cap. 8, *in omnium vicem*, locum, *successit:* nisi excidit ipsum illud *more*, ut jungamus *comissantium in vicem*, ut alter ad alterum comissatum eat; Bauer. Conf. ad XXV, 38, n. 2. — *Vetustus Macedoniæ mos*, forte *Macedonum*, ut infra cap. 11 et 12. Duker.

7. *Hæc* (al. *Hoc*) *transcendere;* vide ad cap. 11, n. 5, et ad XXXII, 7, n. 5. — *Per meum sanguinem*, per meam cædem, ut XLII, 15, n. 1, al. Conf. ad II, 30, n. 8.

8. *In lustratione et decursu;* vide ad cap. 6, n. 1, 2. — *Et simulacro*, etc. forte *ex simulacro... prælium fecisti.*

Digitized by Google

« inter inermes convivas cœnaturum fuisse[9], ad quem « armati comissatum venerunt[10]? credis, nihil a gla- « diis nocte periculum fuisse, quem sudibus, te in- « spectante, prope occiderunt? Quid hoc noctis, quid « inimicus ad iratum, quid cum ferro succinctis ju- « venibus venis? Convivam me tibi committere ausus « non sum; comissatorem te cum armatis venientem « recipiam? Si aperta janua fuisset, funus meum pa- « rares hoc tempore, pater, quo querentem audis. « Nihil ego, tanquam accusator, criminose, nec dubia « argumentis colligendo, ago. Quid enim? negat[11] se « cum multitudine venisse ad januam meam? an ferro « succinctos secum fuisse? Quos nominavero, arcesse; « possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt; « non tamen audebunt negare. Si deprehensos intra « limen meum cum ferro ad te deducerem, rem pro « manifesto haberes[12]; fatentes pro deprehensis habe.

X. « Exsecrare nunc cupiditatem regni, et Furias « fraternas concita[1]. Sed ne sint cæcæ, pater, exse-

9. *Me inter inermes convivas cœnaturum fuisse*, scil. si, vocatus ad cœnam a fratre, ad eam venissem. Conf. cap. 7 pr.

10. *Comissatum venerunt;* vide ad cap. 7, n. 3. — *Credis nihil a gladiis nocte periculum fuisse*, immo *nihil.., periculi mihi* (aut *mi* scriptum erat) *fuisse;* Jac. Gronov. Recte: nam τὸ *quem*, quod sequitur, postulat in præcc. *mihi*, quod etiam in c. Victor. et Lov. 6 exstat, sed post verbum *fuisse;* Crever. Possis etiam legere *nihil... periculi fuisse ei*, vel *periculi ei fuisse, quem*, etc.—*Sudibus;* vide ad cap. 6, n. 3.

11. *Quid enim? negat*, forte *q. e. neget?* Gron. Sed *quid* et *quid enim* in interrogationibus acrioribus ita absolute usurpari, monent Drak. ad h. l. et ad XXVIII, 41, § 12, et Burm. ad Quintil. VII, 10. Conf. infra ad cap. 13, n. 3.

12. *Rem pro manifesto haberes;* vide ad I, 3, n. 3. Vocem *rem* restitui, quia in omnibus exstat MSS et edd. vett. ante Frob. a. 1535, quæ prima eam tacite omisit, errore forsan operarum. Ita ex præc. intelligi posse *hoc*, monet Gronov. et ex princ. cap. *facinus* Drak. Ille tamen, non hic, malebat *pro manifestis*. Conf. ad Tac. Ann. II, 85, n. 3.

Cap. X. 1. *Furias fraternas concita*, appella Furias vindices fratris ad necem petiti; Bauer. Malim: invoca Furias vindices discordiæ fratrum, h. e. exsecrare nos fratres discordes

Digitized by Google

« crationes tuæ, discerne et dispice insidiatorem et « petitum insidiis: noxium incesse caput [2]. Qui occi- « surus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos deos: « qui periturus fraterno scelere fuit, perfugium in pa- « tris misericordia et justitia habeat. Quo enim alio « confugiam, cui non solenne lustrale exercitus tui, « non decursus militum [3], non domus, non epulæ, « non nox, ad quietem data naturæ beneficio morta-

et insidiatores. Conf. ad I, 59, n. 8. — *Cæcæ exsecrationes*, temere et cæco quasi impetu affectuque animi editæ seu effusæ; vel vanæ, inanes, irritæ, sine effectu. Conf. Heyn. ad Virg. Æn. IV, 209.

2. *Noxium incesse caput*, scil. diris exsecrationibus (ut apud Suet. Claud. 12), e conj. Ruben. recepimus pro vulg. *noxium huic esse caput*, quæ corrupta esse patet, et quorum in locum quidam MSS *n. hinc esse c.* substituunt. *Noxium huic esto caput* conj. Grut. *noxium his* (exsecrationibus) *incesse caput* Crever. *in noxium exsecrare caput* Schel. ad Polyb. cap. 14, et *noxium puta* vel *judica esse caput* Bauer. — H. l. Doering. nota est: « Crever. et Drakenb. acquieverunt in emendatione Rubenii, qui, pro *noxium huic esse caput*, ingeniose legendum esse conjecit *noxium incesse caput*. Sed mihi alia in præcedente voce *dispice* objecta est difficultas, quam quidem remotam velim. Scilic. *dispicere* vel simpliciter, pro, intendere oculorum aciem ad videndum, sive diligenter considerare, vel *dispicere aliquid*, pro, intentis quasi oculis diligenter aliquid considerare, sæpius dicitur (vid. Ern. in Clav. Cic. sub voc. *dispicere*). Sed *dispicere aliquem*, vel *personam*, me uspiam legere haud memini. Vix igitur *discernere* et *dispicere* ita, uti hoc loco, inter se conjungi posse puto. Jam vero quum copula *et* post *discerne* in omnibus codd. apud Drak. exsulet, vocem *dispice* sede sua motam esse suspicor. Itaque hic locus mihi legendus videtur sic: *discerne insidiatorem et petitum insidiis; dispice, noxium huic esse caput. Noxium*, sceleri expiando obnoxium et obligatum; *huic*, oratorem digitum in fratrem, qui aderat, intendisse puta ». Walchius vero, Em. Liv. p. 104, unice sibi placere ait Rubenii emendationem, sed quæ sanationem incipiat, non perficiat. « Vestigia, ait, literarum vide. Anne suadent? *noxium tu incesse caput*. Nam *huic* quum nullo modo defendi possit, quia oblique spectans Demetrium Persei oratio directam hominis mentionem refugit, quanta vis accedat conjecturæ pronomine adjecto, nemo non sentit». Ed. — *Paternos deos*, adulatorie pro *patrem*, ut Crever. monuit, et simul Perseus respicit ad deos exactores pietatis filiorum in parentes. Ed.

3. *Non solenne lustrale* sacrificium *exercitus tui, non decursus militum*; vide ad cap. 6, n. 1 et 2. — *Non epulæ*, mensa hospitalis, quæ sacra est; vide ad XXIII, 9, n. 3. Manifestam in his imitationem Ciceronis, Cat. IV, 1, notavit Muretus in Var. Lection. XIX, 14.

Digitized by Google

« libus, tuta est? Si iero ad fratrem invitatus, morien-
« dum est : si recepero intra januam comissatum fra-
« trem, moriendum est. Nec eundo, nec manendo
« insidias evito. Quo me conferam? Nihil præter deos,
« pater, et te colui : non Romanos habeo, ad quos
« confugiam; perisse expetunt, quia tuis injuriis do-
« leo, quia tibi ademptas tot urbes, tot gentes, modo
« Thraciæ maritimam oram, indignor; nec me, nec te
« incolumi, Macedoniam suam futuram sperant. Si me
« scelus fratris, te senectus, absumpserit, aut ne ea
« quidem exspectata fuerit; regem regnumque Mace-
« doniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam
« tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum
« crederem receptaculum. At in Macedonibus satis
« præsidii est. Vidisti hesterno die impetum in me mi-
« litum. Quid illis defuit, nisi ferrum? Quod illis de-
« fuit interdiu, convivæ fratris noctu sumpserunt.
« Quid de magna parte principum loquar, qui in Ro-
« manis spem omnem dignitatis et fortunæ posuerunt,
« et in eo, qui omnia apud Romanos potest? Neque,
« Hercule, istum mihi tantum fratri majori, sed prope
« est, ut tibi quoque ipsi, regi et patri, præferant.
« Iste enim est, cujus beneficio pœnam tibi senatus
« remisit[4], qui nunc te ab armis romanis protegit, qui
« tuam senectutem obligatam et obnoxiam adolescen-
« tiæ suæ esse æquum censet. Pro isto Romani stant,
« pro isto omnes urbes tuo imperio liberatæ, pro isto
« Macedones, qui pace romana gaudent. Mihi præter
« te, pater, quid usquam aut spei, aut præsidii est?

XI. « Quo spectare illas literas ad te nunc missas

4. *Cujus beneficio pœnam tibi senatus remisit;* vide ad XXXIX, 47. — *Obnoxiam adolescentiæ*, adolescenti; vide ad III, 39, n. 1. — *Pro isto Romani stant, pro isto* stant *omnes urbes*, etc. vide ad VIII, 34, n. 1.

Digitized by Google

« T. Quintii credis, quibus, et bene te consuluisse re-
« bus tuis, ait, quod Demetrium Romam miseris, et
« hortatur, ut iterum et cum pluribus legatis et pri-
« moribus Macedonum remittas eum[1]? T. Quintius
« nunc est auctor omnium rerum isti et magister; eum
« sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit;
« illic ante omnia clandestina concocta sunt[2] consilia.
« Quæruntur adjutores consiliis, quum te plures et
« principes Macedonum cum isto mittere jubet. Qui
« hinc integri et sinceri Romam eunt, Philippum re-
« gem se habere credentes, imbuti illinc et infecti ro-
« manis delenimentis redeunt[3]. Demetrius iis unus
« omnia est: eum jam regem, vivo patre, appellant.
« Hæc si indignor, audiendum est statim, non ab aliis
« solum, sed etiam a te, pater, cupiditatis regni cri-
« men. Ego vero, si in medio ponitur[4], non agnosco.
« Quem enim suo loco moveo, ut ipse in ejus locum
« succedam? Unus ante me pater est, et, ut diu sit,
« deos rogo. Superstes (et ita sim, si merebor, ut

Cap. XI. 1. *Cum pluribus legatis et* iis quidem *primoribus M. remittas eum*, ut mox *plures et principes Macedonum*, nisi leg. *ex primoribus M. r. e.* vel e cod. Mogunt. *eum remittas Macedonum;* Drak. — *T. Quintius nunc est auctor omnium rerum isti*, etc. conf. Polyb. XXIV, 3, 7 sq.

2. *Concocta sunt consilia;* vide ad III, 36, n. 3.

3. *Imbuti illinc*, Roma, *et infecti romanis delenimentis redeunt;* vide ad IV, 51, n. 2, et IX, 16, n. 10.— *Indignor;* vide ad III, 3, n. 1.

4. *In medio ponitur*, ut apud Sen. Thyest. 203, *in medio est scelus positum occupanti:* ideo dixit, quia pater utrumque filium hujus criminis suspectum habebat: dixerat enim c. 8, *vivo et spirante me hereditatem meam ambo et spe et cupiditate improba crevistis;* Drak. *In medio positum* est id, quod controversum est et dubium; Turneb. Advers. XXX, 24. « *In medio ponitur*, i. e. sine nomine, nec in me, nec in fratrem (confertur regnum) quasi res, cujus dominus ignoretur, omnino, universe, infinite, simpliciter; vel quasi dicat: si omnino quæratur: *quis*, uter vestrum, est cupidus regni; vel, est *aliquis*, alter vestrum, cupidus regni; *non agnosco*, non sentio, non fateri cogor, me esse illum; pæne ut apud Hor. Ep. I, 16, 30, 31, *Quum pateris sapiens emendatusque vocari, Respondesne tuo nomine?* i. e. agnoscisne, te esse talem? » Bauer. Conf. ad VI, 6, n. 7.

Digitized by Google

« ipse, me esse, velit) hereditatem regni, si pater « tradet, accipiam. Cupit regnum, et quidem scele- « rate cupit, qui transcendere festinat ordinem æta- « tis[5], naturæ, moris Macedonum, juris gentium. Ob- « stat frater major[6], ad quem jure, voluntate etiam « patris, regnum pertinet. Tollatur: non primus re- « gnum fraterna cæde petiero. Pater senex et filio so- « lus orbatus[7] de se magis timebit, quam ut filii ne- « cem ulciscatur. Romani lætabuntur, probabunt, « defendent factum. Hæ spes incertæ[8], pater, sed non « inanes sunt. Ita enim se res habet: periculum vitæ « propellere a me potes, puniendo eos, qui ad me in- « terficiendum ferrum sumpserunt: si facinori eorum « successerit[9], mortem meam idem tu persequi non « poteris ».

XII. Postquam dicendi finem Perseus fecit, conjecti eorum, qui aderant, oculi in Demetrium sunt, velut confestim responsurus esset. Deinde diu fuit silentium, quum perfusum fletu appareret omnibus

5. *Transcendere ordinem ætatis*, etc. vide ad XXXII, 7, n. 5.

6. *Obstat frater major... defendent factum*, cogitationes et spes Demetrii, quarum tam invidiose eum audet insimulare frater.

7. *Pater senex et filio solus orbatus*, intell. transposite: *filio orbatus et solus*, i. e. in solitudine, ἔρημος, inops, sine præsidio relictus, ut c. 12, *solum, inopem*; Bauer. Minus disjectum videtur *pater senex et filio orbatus, solus*, vel *senex et solus, filio orbatus*; Duk.—Doer. nota est: « nisi vox *solus*, ut mihi videtur, ex margine in textum irrepsit, Duk. certe accesserim ». Ed. — *De se magis timebit*, cur? vide ad cap. 8, n. 7; *magis timebit, quam ut... ulciscatur* pro: timebit magis quam ulciscetur; etsi et *ut* intelligas: nimius timor erit nimio major, quam *qui* patiatur eum ulcisci; Bauer. Conf. ad XXXVII, 37, 3. *Quam filii necem ulciscetur* malebat Gron.

8. *Hæ spes incertæ*, incerti eventus, qui fallere possit, *sed non inanes sunt*, at non temere, non sine causa et conditione (*Möglichkeit*) ac specie sperandi susceptæ; Bauer.

9. *Si facinori eorum successerit* (vide ad VIII, 25, n. 6), *mortem meam idem tu persequi non poteris*, quia scil. et ipse mox interficieris. « *Mortem persequi* est ulcisci, ut apud Cic. pro domo, 19, et Philipp. XIII, 18; Cæs. Bell. Gall. VII, 38; vid. Broukh. ad Tibull. I, 9, vs. 28, et

Digitized by Google

loqui non posse. Tandem vicit dolorem ipsa necessitas, quum dicere juberent, atque ita orsus[1] est: « Omnia, quæ reorum antea fuerant auxilia, pater, « præoccupavit accusator. Simulatis lacrymis in alte- « rius perniciem veras meas lacrymas suspectas tibi « fecit. Quum ipse, ex quo ab Roma redii[2], per oc- « culta cum suis colloquia dies noctesque insidietur, « ultro mihi non insidiatoris modo, sed latronis ma- « nifesti et percussoris, speciem induit. Periculo suo « te exterret, ut innoxio fratri per eumdem te ma- « turet perniciem. Perfugium sibi nusquam gentium « esse ait, ut ego ne apud te quidem quidquam spei « reliquæ habeam. Circumventum, solum[3], inopem, « invidia gratiæ externæ, quæ obest potius, quam « prodest, onerat. Jam illud quam accusatorie, quod « noctis hujus crimen miscuit cum cætera insectatione « vitæ meæ, ut et hoc, quod jam, quale sit, scies, « suspectum alio vitæ nostræ tenore faceret, et illam « vanam criminationem spei, voluntatis, consiliorum

Cort. ad Sallustium, Catilin. 9, et Jugurth. 14. » Drakenb.

Cap. XII. 1. *Tandem ipsa necessitas, quum dicere juberent, vicit dolorem, atque*, et, *ita orsus est:* nisi ex cod. Thuan. et Hearnii L. 1 leg. *juberetur;* Drak. *Quæ dicere juberet*, vel: *Quum d. juberent, atque*, confestim (vide ad XXVI, 39, n. 13), *ita orsus est* malebat Gron.

2. *Quum ipse, ex quo ab Roma redii* (vide ad VIII, 1, n. 1),... *insidietur ultro, mihi*, etc. distinguebat Gron., at plerique *insidietur ultro mihi, non*, etc. prob. Bauero, cui verbum *insidietur* vix videtur carere hic posse dativo *mihi*, quem ad *induit* aut repetas, aut excidisse putes. At hæc ratio nobis potius cæteris durior videtur; saltem *insidietur* facilius dativo *mihi* carere potest, inprimis ob verba præced. *ex quo ab Roma redii*, quam *speciem induit*, quorum alia vis est, si tertio, alia, si primo junguntur casui. Nostra distinctio est optima, sententiaque plana, si eam mutatis verbis ita expresseris, quum ipse sit insidiator perpetuus, *ultro*, adeo (vide ad I, 5, n. 6), *mihi non insidiatoris modo, sed latronis* etiam *speciem induit*. Insidiatorem vero h. l. non alium quam fratrem esse, non opus erat moneri, quum tota Persei accusatio eum spectaret.

3. *Circumventum* me, *solum, inopem* (vide ad cap. 11, n. 7), *invidia gratiæ externæ*, romanæ, Romanorum,... *onerat*.

Digitized by Google

« meorum nocturno hoc ficto et composito[4] argumento « fulciret? Simul et illud quæsivit, ut repentina et mi- « nime præparata accusatio videretur, quippe ex no- « ctis hujus metu et tumultu repentino exorta. Opor- « tuit autem, Perseu, si proditor ego patris regnique « eram, si cum Romanis, si cum aliis inimicis patris « inieram consilia, non exspectatam fabulam noctis « hujus esse, sed proditionis meæ ante me accusa- « tum[5]; si illa, separata ab hac, vana accusatio erat, « invidiamque tuam adversus me magis, quam crimen « meum indicatura, hodie quoque eam aut præter- « mitti, aut in aliud tempus differri; ut perspiceretur, « utrum ego tibi, an tu mihi, novo quidem et singu- « lari genere odii, insidias fecisses. Ego tamen, quan- « tum in hac subita perturbatione potero, separabo « ea, quæ tu confudisti, et noctis hujus insidias, aut « tuas, aut meas, detegam. Occidendi sui consilium

4. *Nocturno hoc ficto et composito argumento*, quasi materia (*Stoff, sujet*) fabulæ ex nocturno casu, unde simul argumentum fidei strueretur; fabula, materia et causa petita ex casu nocturno; Bauer. Mox *fabula hujus noctis*, et cap. 15 pr. *nocturna fabula* dicitur; vide ad VII, 2, n. 7, et ad Tacit. Ann. XIII, 21, n. 5. Similiter *composita fabula* est ficta III, 10, n. 11, et apud Justin. XXXIX, 1, et *compositus* ac *fictus* apud Sen. Consol. ad Helv. 16 junguntur; Drak.

5. *Sed proditionis meæ ante*, antea jam, *me accusatum*, scil. oportuit. Verba *meæ ante* primus addidit Aldus e cod. Mogunt. Supervacuum τὸ *meæ* esse, monuit Gron. Forte leg. *impiæ*. Sed displicet etiam compositio verborum *ante me*, quæ disjungenda erant, ut planior redderetur oratio; et præstiterit certe *multo ante*.—*Si illa, separata ab hac, vana accusatio erat* ex emend. Gelen. *separata ac vana* cod. Mogunt. *criminosa ac vana* reliqui MSS et edd. antt. « Omnia vero ita potius cohærere credo: *oportuit proditionis ante me accusatum, aut hodie eam quoque prætermitti et in aliud tempus differri, nisi illa separata ab hac vana accusatio erat*. Demetrius enim probare intendit, se falso proditionis accusari. Dicit igitur, si crimen verum foret, vel ejus se ante a fratre accusari, vel id nunc ab eo non objici, nec cum altero crimine jungi debuisse: sed ideo Perseum noctis hujus crimen cum cætera insectatione vitæ miscuisse, ne, si alterum ab altero separasset, magis invidiam suam erga fratrem, quam crimen ejus, indicaret». Drak. Cf. Doer. qui Drak. h. sensum impugnat. En.—*Novo q. et singulari genere odii*, forte *quodam*; Ern.

Digitized by Google

« me inisse videri, vult; ut scilicet, majore fratre sub-
« lato, cujus jure gentium, more Macedonum, tuo
« etiam, ut ait, judicio, regnum est futurum, ego mi-
« nor in ejus, quem occidissem, succederem locum.
« Quid ergo illa sibi vult pars altera orationis, qua
« Romanos a me cultos ait, atque eorum fiducia in
« spem regni me venisse? Nam si et in Romanis tan-
« tum momenti esse credebam, ut, quem vellent, im-
« ponerent Macedoniæ regem, et meæ tantum apud
« eos gratiæ confidebam, quid opus parricidio fuit?
« An, ut cruentum fraterna cæde diadema gererem?
« ut illis ipsis, apud quos, aut vera aut certe simulata
« probitate, partam gratiam habeo, si quam forte ha-
« beo, exsecrabilis et invisus essem? nisi T. Quintium
« credis, cujus virtute[6] et consiliis me nunc arguis
« regi, quum et ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi
« fraternæ cædis fuisse auctorem. Idem non Romano-
« rum solum gratiam, sed Macedonum[7] judicia, ac
« pænè omnium deorum hominumque consensum col-
« legit, per quæ omnia se mihi parem in certamine
« non futurum crediderit. Idem, tanquam in aliis om-
« nibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ulti-
« mam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam
« cognitionis[8] esse, ut, uter timuerit, ne alter dignior

6. *T. Quintium, cujus virtute*, forte *auctoritate;* Crev. — Vulgatam defendit Walch. Emend. Liv. pag. 217. Hæc verba, ait, *virtute et consiliis regi*, i. e. fortibus consiliis regi, si εἰρωνικῶς intelligantur, eum exprimunt sensum, qui requiritur. Nam veneno grassari et occultis insidiis sane non est viriliter agere. Omnes autem virtutes pro flagitiis accipi posse, si sonus vultusque loquentis intelligentiam adjuvet, nota res est. En.—*Tali pietate* εἰρωνικῶς pro tali simultate.

7. *Sed Macedonum* quoque *judicia* bona, honorifica. Mox forte leg. *dein tanquam aliis omnibus*, etc. Gron.

8. *Hanc formulam cognitionis*, quæ et *judicii formula* dicitur, res, causa, quæstio verbis a judice vel arbitrio expressa, de qua quæratur in judicio: statum quæstionis, controversiæ, τὸ κρινόμενον, vocant, de quo

Digitized by Google

« videretur regno, is consilium opprimendi fratris ce-
« pisse judicetur?

XIII. « Exsequamur tamen quocumqne modo con-
« ficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum
« criminatus est, et omnes insidiarum vias [1] in unum
« diem contulit. Volui interdiu eum post lustratio-
« nem, quùm concurrimus [2], et quidem, si diis placet,
« lustrationum die, occidere: volui, quum ad cœnam
« invitavi, veneno scilicet, tollere: volui, quum co-
« missatum gladiis accincti me sequuti sunt, ferro in-
« terficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium
« electa, vides: lusus, convivii, comissationis. Quid?
« dies qualis [3]? quo lustratus exercitus, quo inter di-
« visam victimam [4], prælatis omnium, qui unquam
« fuere, Macedoniæ regum armis regiis, duo soli tua
« tegentes latera, pater, præfecti sumus, et sequu-
« tum est Macedonum agmen. Hoc ego, etiam si quid

agatur; Bauer. Conf. ad IV, 8, n. 4. — Hoc loco fratrem interrogat Demetrius, num velit ex ea formula litem inter eos dijudicari, hanc legem utrique dici, ut is fratrem opprimere voluisse credatur, qui timuerit ne videretur alter regno dignior. Quod si a Perseo admittatur, non dubitat Demetrius, quin sua sit victoria, et insidiarum crimen in accusatorem vertatur. Ed.

Cap. XIII. 1. *Omnes insidiarum vias;* vide ad IV, 48, n. 2.

2. *Post lustrationem, quum concurrimus;* vide ad cap. 6, n. 1, 2. — *Si diis placet;* vide ad IV, 3, n. 4. — *Volui, quum ad cœnam invitavi, veneno scilicet, tollere;* ob quem metum Perseum non ad cœnam venisse, suspicari videtur Demetrius, eoque etiam spectant extrema fere hujus cap. verba: *quoniam semel venenum paraveram.* Ipse Perseus in accusatione nullam facit veneni mentionem, neque etiam causam, cur vocatus ad cœnam a fratre abnuerit, vel hanc vel aliam aperte indicat. — *Gladiis accincti,* forte *succincti;* Ern. Nil interest.

3. *Quid? dies qualis?* edd. a Grut. ad Crever. *quis dies? qualis?* Hoc vigentius; neque *quid,* i. e. porro, primo statim membro præmittatur: sed leg. *qui dies;* Bauer. Enimvero *quis dies* et *qualis dies* vix differunt; et *quid?* non semper est *porro,* sed elliptice et in affectu refutationibusque, vel acrioribus interrogationibus dicitur, ut nostrum *was?* et *wie?* pro: quid aut quale est, quod dicis, aut quod dicitur? Conf. cap. 9, n. 10.

4. *Quo inter divisam victimam,* etc. cf. c. 6 pr. — *Duo soli tua tegentes latera;* similiter supra, cap. 6, *latera*

Digitized by Google

« ante admisissem piaculo dignum, lustratus et ex-
« piatus sacro, tum quum maxime in hostiam itineri
« nostro circumdatam[5] intuens, parricidium, venena,
« gladios, in comissationem præparatos, volutabam in
« animo? ut quibus aliis deinde sacris[6] contaminatam
« omni scelere mentem expiarem? Sed cæcus crimi-
« nandi cupiditate animus, dum omnia suspecta effi-
« cere vult, aliud alio confundit. Nam, si veneno te
« inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit,
« quam pertinaci certamine et concursu iratum te ef-
« ficere, ut merito, sicut fecisti, invitatus ad cœnam
« abnueres[7]? Quum autem iratus negasses, utrum, ut
« placarem te, danda opera fuit, ut aliam quærerem
« occasionem, quoniam semel venenum paraveram?
« an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit,
« ut ferro te, et quidem eo die, per speciem comissa-
« tionis, occiderem? Quo deinde modo, si te metu
« mortis credebam cœnam evitasse meam, non ab
« eodem metu[8] comissationem quoque evitaturum
« existimabam?

XIV. « Non est res, qua erubescam, pater, si die

regis duo filii juvenes cingebant. Ed.

5. *Tum* ut *quum maxime* (vide ad XXIX, 17, n. 6) *in hostiam itineri nostro circumdatam*, cujus duæ partes ad dextram lævamque viæ essent positæ. Conf. cap. 6 pr.

6. *Ut quibus aliis deinde sacris*, etc. Nota Gron. est: « Nulla hic potest fingi destinatio vel finalis causa, quam particula *ut* explicet. Neque enim unquam hac fini, ut expiaretur, proposuit sibi, se hominem occisurum, nedum parricidium commissurum. Lege: *Et quibus aliis*, etc. » At Baueri: « Ego *at* prætulerim, si quid utique mutandum sit: sed ingeniose implicat structuram interrogandi, sic evolvendam: *an, ut aliis sacris... mentem expiarem? At quibus illis?* » Ipse quoque Gron. in Addendis probavit τὸ *ut* (gr. ἵνα τί) firmavitque coll. simili loco inf. XLIV, 39, n. 5. — Vide notas ad Quintil. editionis nostræ vol. VI, pag. 330. Ed. — *Aliud alio*, alii, cum alio *confundit*, vel *confundere* sit turbare, evertere, arguere; Bauer.

7. *Invitatus ad cœnam abnueres*, sc. venire, ut mox et cap. 7 pr. *vocatus ad cœnam negat.*

8. *Ab eodem metu*, ob metum; vide ad I, 1, n. 5.

Digitized by Google

« festo inter æquales largiore vino sum usus. Tu quo-
« que, velim, inquiras, qua lætitia, quo lusu apud
« me celebratum hesternum convivium sit, illo etiam
« (pravo forsitan) gaudio provehente[1], quod in ju-
« venili armorum certamine pars nostra non inferior
« fuerat. Miseria hæc et metus[2] crapulam facile ex-
« cusserunt; quæ si non intervenissent, insidiatores
« nos sopiti jaceremus. Si domum tuam expugnatu-
« rus, capta domo, dominum interfecturus eram, non
« temperassem vino in unum diem? non milites absti-
« nuissem meos[3]? Et, ne ego me solus nimia simpli-
« citate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax
« frater, *Nihil aliud scio*, inquit, *nihil arguo*, *nisi*
« *quod cum ferro comissatum venerunt.* Si quæram,
« unde id ipsum scieris; necesse erit te fateri, aut
« speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam,
« aut illos ita aperte sumpsisse ferrum, ut omnes vi-
« derent. Et, ne quid ipse aut prius inquisisse, aut
« nunc criminose argumentari videretur, te quærere
« ex iis, quos nominasset, jubebat, an ferrum habuis-
« sent? ut, tanquam in re dubia, quum id quæsisses,
« quod ipsi fatentur[4], pro convictis haberentur. Quin
« tu illud quæri jubes, num tui occidendi causa fer-
« rum sumpserint? num me auctore et sciente? Hoc

Cap. XIV. 1. *Illo etiam... gaudio provehente;* vide ad II, 50, n. 3.

2. *Miseria hæc et metus,* misera conditio et periculum reorum; ut passim *miser* et *miseria* de reis, præsertim innocentibus. Conf. Gron. et Drak. ad h. l. et Ernesti Clav. Cic. — *Insidiatores nos* εἰρωνικῶς.

3. *Non milites abstinuissem meos,* sodales seu convivas, qui mecum et decurrerant, et post cœnam, me auctore, ad fratrem simul iverant comissatum, nonnulli etiam armati. Cf. cap. 6 et 7. *Comites* malebat Gron. — *Si quæram, unde id ipsum scieris;* vocula *si* abest ab omnibus scriptis nostris, Hearnii L. 1, et edd. antt. Mog. eam ex cod. suo addiderunt; Drak.

4. *Quod ipsi fatentur,* « an *fateren-tur?* Ambiguum tamen fuerit, quasi ad consilium Philippi pertineat, quærentis, ut fateantur. Quare aptior hic indicativus, ex Demetrii persona ». Bauer.

Digitized by Google

« enim videri[5] vis, non illud, quod fatentur et palam « est. At sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Recte, « an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem red- « dent: meam causam, quæ nihil eo facto contingi- « tur, ne miscueris : aut explica, utrum aperte, an « clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non om- « nes ferrum habuimus? cur nemo præter eos, qui « tuum speculatorem pulsarunt? Si clam, quis ordo « consilii fuit? Convivio soluto, quum comissator ego « discessissem[6], quatuor substitissent, ut sopitum te « aggrederentur? Quomodo fefellissent, et alieni, et « mei, et maxime suspecti, quia paulo ante in rixa « fuerant? quomodo autem, trucidato te, ipsi evasuri « fuerint? Quatuor gladiis domus tua capi et expu- « gnari potuit?

XV. « Quin tu, omissa ista nocturna fabula[1], ad « id, quod doles, quod invidiam urit[2], reverteris? Cur « usquam regni tui mentio fit, Demetri? cur dignior « patris fortunæ successor quibusdam videris, quam « ego? cur spem meam, quæ, si tu non esses, certa

5. *Hoc enim videri*, probabile esse, *vis, non illud, quod fatentur et palam est*, sc. eos ferrum habuisse. *At sui se tuendi causa sumpsisse dicunt.* Ita emendavi vulgatam eamque insulsam lect. *quod fatentur, et palam est, et sui... dicunt.* Plura et minus apte mutant alii. *Ut dicant* vel *quod dicunt* conj. Bauer. at Gron., Crev. et Drak. delenda putabant tum verba *et dicunt*, tum seqq. *sui facti.* Hæc et nobis displicent, adjectaque sunt e codice Mogunt.

6. *Quum comissator ego discessissem*, forte *comissatum.* Conf. ad c. 7, n. 3. — *Quatuor substitissent:* verbum non satis h. l. aptum. Non *substitere* quatuor Demetrii sodales, sed cum eo ad fratrem ivere; conf. cap. 7. Forte leg. *quatuor suffecissent* (satis fuissent), vel *suscepissent*, vel *succinxissem*, sc. ferro, vel *submisissem*, h. e. clanculum misissem, ut XLV, 34. Tum vero post *aggrederentur* non tollenda interrogandi nota, quæ displicebat Dukero et Drak. Mox *evasuri fuerunt* emend. Bauer.

Cap. XV. 1. *Ista nocturna fabula;* vide ad cap. 12, n. 4.

2. *Quod invidiam urit;* vide ad X, 17, n. 1. *Quod dolet* (tibi), *quod invidia urit* (sc. te) malebant Drak. et Bauer., moxque *regni ut tui* vel *in regno tui* Gron.

Digitized by Google

« erat, dubiam et sollicitam facis? Hæc sentit Perseus, « etsi non dicit : hæc istum inimicum, hæc accusato- « rem faciunt : hæc domum, hæc regnum tuum crimi- « nibus et suspicionibus replent. Ego autem, pater, « quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec am- « bigere unquam de eo[3] forsitan debeam, quia minor « sum, quia tu me majori cedere vis; sic illud nec de- « bui facere, nec debeo, ut indignus te patre, indi- « gnus omnibus videar[4]. Id enim vitiis meis, non

3. *Nec ambigere unquam de eo;* vide ad XXI, 31, n. 6.

4. *Ut indignus te patre, indignus omnibus videar;* « quid hoc *omnibus* sibi vult? utrum omnibus rebus? quænam ergo illæ erunt? an omnibus hominibus, dandi, scil. casu? quanam ergo re indignus? Aut del. alterum *indignus*, ut tertius casus sit *omnibus*, aut leg. *tibi patri*, scil. regno ». Bauer. *Ut te patre* (et successione in regnum) *indignus omnibus videar* cod. Lov. 2 et Naud. *Indignus ominibus*, (sc. regnum mihi haud dubia spe destinantium, et mei, ut regnaturi, mentionem facientium), conj. Schelius; quod durum contortumque videbatur Bauero, at verum aptumque Drakenb. (qui monet sensum esse, se, licet fratri majori cessurus sit, simul tamen operam daturum, ne a patre degeneret et regno indignus videatur) et acutum Gron., qui etiam tentabat: *indignus majoribus*, vel *indignus tibi, pater, indignus omnibus*, scil. regno. Forte leg. *indignus omni jure*, sc. regni seu successionis. Sed non esse videtur, quod displiceat vulg. lectio repetitioque vocis *indignus*, si *omnibus* tertio casu dictum accipiatur, hoc sensu: *ut indignus te patre*, et quidem *indignus* te *omnibus videar*, h. e. et tibi et amicis et inimicis. — Hujus loci difficultatem Doering. ita explanat: « nec nunc committere debeo, ut, non cedendo regnum fratri majori, indignus tuo paterno amore, indignus omnium aliorum favore videar ». Walch. Emend. Liv. pag. 120, legi jubet: *ut indignus te, patre indignus omnibus videar;* interpretatus, « ut omnibus indignus te *rege* et *patre* videar ». Hanc interpretationem Büttner, Obss. Liv. pag. 94, respuit ac contortam judicat, simpliciter ac, secundum nos, feliciter explicans, « ut indignus te patre, indignus quovis Macedonum videar ». Quæ sententia occurrit paulo inferius : *utroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem.* Ed.—« *Id enim*, scil. ut indignus te patre, i. o. videar, *vitiis meis*, nempe *non cedendo*, *cui jus fasque est*, *non modestia*, i. e. immodestia, *consequar;* vel potius *id enim*, sc. ut indignus... videar, *vitiis meis consequar, non* consequar *cedendo*, *non* consequar *modestia* (ita *cedendo* refertur ad id, quod præcesserat, se nec nunc sperare regnum, nec ambigere, etc. *modestia* ad id, quia pater eum majori cedere volebat): aut leg *id enim vitiis meis, non cedendi, cui jus fasque est, modestia consequar:* omnes certe MSS delent τὸ *non* ultimo

« cedendo, cui jus fasque est, non modestia, conse-
« quar. Romanos objicis mihi, et ea, quæ gloriæ esse
« debent, in crimen vertis. Ego, nec obses Romanis
« ut traderer, nec ut legatus mitterer Romam, petii.
« A te missus ire non recusavi. Utroque tempore ita
« me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti
« Macedonum essem. Itaque mihi cum Romanis ami-
« citiæ causa tu fuisti, pater. Quoad tecum illis pax
« manebit, mecum quoque gratia erit: si bellum esse
« cœperit, qui obses, qui legatus pro patre non inu-
« tilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie,
« ut prosit mihi gratia Romanorum, postulo; ne obsit,
« tantum deprecor: nec in bello cœpit, nec ad bellum
« reservatur. Pacis pignus fui; ad pacem retinendam
« legatus missus sum: neutra res mihi nec gloriæ, nec
« crimini sit. Ego, si quid impie in te, pater, si quid
« scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor pœ-
« nam [5]; si innocens sum, ne invidia conflagrem,
« quum crimine non possim, deprecor. Non hodie me
« primum frater accusat; sed hodie primum aperte,
« nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret,
« te majorem fratrem pro minore deprecari oporte-
« bat, te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In
« eo, ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium [6] est.

loco, et *cedendi* legunt Lov. 3, Med. 1, et Gaertn. » Drak. *Id enim citius non cedendo, cui jus fasque est, quam modestia consequar* conj. Gronov. — Ex Doering. sententia, Drak. contorta est explicatio; et aut particula *non* ante *modestia* delenda, aut particula *non* servata, vox quædam, quæ post *modestia* excidit, supplenda est, verbi causa, *utendo*. Ed.

5. *Nullam pœnam deprecor,* recuso; sed *deprecor* (ut supra *ne obsit, deprecor*), i. e. etiam etiamque peto, *ne invidia conflagrem;* vide ad XXII, 35, n. 3: et de duplici sensu verbi *deprecor* intpp. Justin. XI, 9 extr. *non mortem, sed dilationem mortis deprecantur.* — *Quum crimine non possim* conflagrare, quia nullum crimen commisi; Drak.

6. *In eo, ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium est:* aut *in eo* aut *ibi* redundat, et pro *in eo* forte leg. *nunc;* Bauer. An potius *enimvero?*

Digitized by Google

« E convivio et comissationibus prope semisomnus ra-
« ptus sum ad causam parricidii dicendam. Sine ad-
« vocatis, sine patronis[7], ipse pro me dicere cogor.
« Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum
« et componendam orationem sumpsissem, quum quid
« aliud, quam ingenii fama, periclitarer[8]? Ignarus,
« quid arcessitus essem, te iratum et jubentem dicere
« causam, fratrem accusantem audivi. Ille diu ante
« præparata, meditata in me oratione est usus: ego
« id tantum temporis, quo accusatus sum, ad cogno-
« scendum, quid ageretur, habui. Utrum momento
« illo horæ accusatorem audirem? an defensionem me-
« ditarer? Attonitus repentino atque inopinato malo,
« vix, quid objiceretur, intelligere potui; nedum satis
« sciam, quo modo me tuear. Quid mihi spei esset,
« nisi patrem judicem haberem? apud quem etiamsi
« caritate a fratre majore vincor, misericordia certe
« reus vinci non debeo. Ego enim, ut me mihi tibique
« serves precor: ille, ut me in securitatem suam oc-
« cidas, postulat. Quid eum, quum regnum ei tradi-
« deris, facturum credis in me esse, qui jam nunc
« sanguine meo sibi indulgeri æquum censet? »

Sed talis non tam negligentia, quam redundantia orationis, qua et dilucidior fit ea, et vividior, passim obvia est. *In eo*, sc. fratre majori, *ubi*, in quo... *ibi*, in eo, apud eum, ut II, 48; IV, 13; XLV, 35. *Sed* pro *in eo* Lov. 2, non improb. Drak. Τὸ *in* abest a c. Victor. Lov. 3 et 6. Voces *in eo* a glossatore τῷ *ubi* adscriptas fuisse, putabat Crev.

7. *Sine advocatis, sine patronis;* vide ad XXVI, 48, n. 4. — *Si pro alio dicendum esset;* hæc magis romanum decuisse Crev. observat, aut atheniensem civem, quam regis Macedonum filium. Neque enim hic mos fuit in regum aulis, ut eorum filii causas orarent. Ed.

8. *Quum quid aliud, quam ingenii fama, periclitarer;* nam *periclitari re*, dicitur pro *p. de re*, periculum rei facere seu subire, gall. *risquer*. Conf. Gron. et Drak. ad XXXVIII, 25, n. 4. Propter præc. *quid aliud* suspicari possis *famam periclitarer*, h. e. periculo exponerem. Conf. tamen ad II, 8, n. 9. — *Quid arcessitus essem;* vide ad V, 51, n. 2.

Digitized by Google

XVI. Dicenti hæc lacrymæ simul spiritum et vocem intercluserunt [1]. Philippus, submotis iis, paulisper colloquutus cum amicis, pronuntiavit : *Non verbis se, nec unius horæ disceptatione, causam eorum dijudicaturum, sed inquirendo in utriusque vitam, mores; et dicta factaque in magnis parvisque rebus observando :* ut omnibus appareret, noctis proximæ crimen facile revictum, suspectam nimiam cum Romanis Demetrii gratiam esse. Hæc, vivo Philippo, velut semina jacta sunt Macedonici belli, quod maxime cum Perseo gerendum erat. Consules ambo in Ligures, quæ tum una consularis provincia erat, proficiscuntur; et, quia prospere ibi res gesserunt, supplicatio in unum diem decreta est. Ligurum duo millia fere ad extremum finem provinciæ Galliæ [2], ubi castra Marcellus habebat, venerunt, uti reciperentur, orantes. Marcellus, opperiri eodem loco Liguribus jussis, senatum per literas consuluit. Senatus rescribere M. Ogulnium prætorem Marcello jussit : *Verius fuisse, consules* [3], *quorum provincia esset, quam se, quid e republica esset* [4], *decernere : tum quoque non placere, si per deditionem Ligures recipiet* [5], *receptis arma*

Cap. XVI. 1. *Spiritum et vocem intercluserunt;* vide ad XXIII, 7, n. 5. — *Vitam, mores* ἀσυνδέτως, nisi leg. *vitam ac mores*, ut mox *dicta factaque;* Duk.

2. *Ad extremum finem Galliæ;* vide ad II, 49, n. 10.

3. *Verius fuisse, consules... decernere;* vide ad II, 48, n. 2.

4. *Quid e republica esset;* vide ad I, 27, n. 5.

5. *Non placere, si per deditionem Ligures recipiet;* quidam MSS, alii et edd. antt. *non placere sibi, per d. L. recipi et receptis*, etc. forte rectius: saltem cum Gron. leg. *reciperet* (Marcellus) aut *reciperent* (consules), et deinde *eos ad consules* (nam uterque consul Ligures provinciam sortiti erant) *remitti;* vide ad II, 22, n. 4. Senatus hæc tria Marcello rescribi jussit : primo oportuisse, ut de omni negotio potius consules, quam se, consuluisset : secundo quoniam tamen ad se decurrerit, videri, Liguribus sponte se dedentibus arma non adimenda esse : tertio non Marcellum, sed consules cognoscere debere, utrum Ligures in deditionem accipiendi forent; Drakenb.

Digitized by Google

adimi; atque, eos ad consulem mitti, senatum æquum censere. Prætores eodem tempore, P. Manlius in ulteriorem Hispaniam, quam et priore prætura provinciam obtinuerat[6]; Q. Fulvius Flaccus in citeriorem pervenit, exercitumque a Terentio accepit. Nam ulterior morte P. Sempronii proconsulis sine imperio fuerat. Fulvium Flaccum oppidum hispanum, Urbicuam[7] nomine, oppugnantem Celtiberi adorti sunt. Dura ibi prælia aliquot facta: multi romani milites et vulnerati, et interfecti sunt. Victi perseverantia Fulvii, quod nulla vi abstrahi ab obsidione potuit, Celtiberi, fessi præliis variis, abscesserunt. Urbs, amoto auxilio eorum, intra paucos dies capta et direpta est: prædam militibus prætor concessit. Fulvius, hoc oppido capto, P. Manlius, exercitu tantum in unum coacto[8], qui dissipatus fuerat, nulla alia memorabili gesta re, exercitus in hiberna deduxerunt. Hæc ea æstate in Hispania gesta. Terentius, qui ex ea pro-

6. *P. Manlius in ulteriorem Hispaniam, quam et priore p. p. o.* sed olim *citeriorem* potius obtinuerat (vide ad XXXIII, 43; XXXIV, 10, 17), et nunc *iterum* prætor fuit; vide ad XXXIX, 56. Itaque τὸ *quam* ad solam *Hispaniam* referendum, aut Livius memoria lapsus est. « Quod autem Pighius et Sigon. conjiciunt, ei causam iterum petendæ præturæ potuisse esse, ut, quia forsitan senatu motus fuerat a censoribus, jure magistratus in eum venire posset, satis incertum est: nam hoc tempore non insolens fuisse, præturam repeti, ostendunt exempla multorum, XLI, 8, 28; XLII, 9 al. quos omnes ob eam causam iterum præturam petiisse, non verisimile est. » Duker. — *P. Sempronii proconsulis;* vide ad XXVIII, 38, n. 4.

7. *Oppidum hispanum Urbicuam,* edd. priores *Urbicnam*, et MSS *Uthicemam, Uthienam, Uthicnam, Uthicam, Athicam, Uticernam, Veicam, Vehicam.* In nummo Augusti legitur *Urbuica* (vid. Ortel. Thes. geogr.), et *Urbica* in Antonini Itin. pag. 447, ubi vid. Wessel. — *Dura ibi prælia,* forte *dubia;* Gron. An *dira?* Sed et *dura prælia, pugnæ, bella* dicuntur, in quibus utrimque pugnatur acerrime, et multæ cædes eduntur. Conf. intpp. Horat. Od. III, 20, v. 3, et Burm. ad Valer. Flacc. III, 710; VI, 298, 545. — *Victi perseverantia Fulvii* c. Victor. et Lov. 1 et 6. Alii MSS et edd. vett. *vicit p. F.* aut *Fulvius.* — *Quod nulla vi,* potius *qui nulla vi;* Gronov.

8. *In unum coacto;* vid. XXVII, 39, n. 2, et XXXII, 2, n. 4. — *Ar-*

Digitized by Google

vincia decesserat, ovans Urbem iniit. Translatum, argenti pondo novem millia trecenta viginti, auri octoginta pondo, et duæ coronæ aureæ pondo sexaginta septem.

XVII. Eodem anno inter populum carthaginiensem et regem Masinissam in re præsenti[1] disceptatores Romani de agro fuerunt. Ceperat eum ab Carthaginiensibus, pater Masinissæ, Gala: Galam Syphax inde expulerat: postea in gratiam soceri Hasdrubalis, Carthaginiensibus dono dederat. Carthaginienses eo anno Masinissa expulerat. Haud minore certamine animorum, quam quum ferro et acie dimicarunt, res acta apud Romanos. Carthaginienses, quod primo majorum suorum fuisset, deinde ab Syphace ad se pervenisset, repetebant. Masinissa, *paterni regni agrum se et recepisse, et habere jure gentium*, aiebat, *et causa, et possessione superiorem esse: nihil aliud se in ea disceptatione metuere, quam ne pudor Romanorum, dum vereantur, ne quid socio atque amico regi adversus communes suos atque illius hostes indulsisse videantur, damno sit*[2]. Legati possessionis jus non mutarunt: causam integram Romam ad senatum rejecerunt. In Liguribus nihil postea gestum.

genti pondo novem millia trecenta viginti; marcæ nostrates, ait Crev., 14,562, cum unciis 4; *auri octoginta pondo;* marcæ 125. Mox *duæ coronæ aureæ pondo sexaginta septem;* « sexaginta septem pondo, ait idem, efficiunt marcas nostrates 104, uncias 5, semunciam 1: nimium profecto pondus, quod in duas coronas impendatur. Itaque vitiosa procul dubio hæc lectio est, a Gelenio invecta: et revocanda potius ea quam ille eliminavit: *auri octoginta et duo pondo, coronæ aureæ sexaginta septem.* Pondus coronarum non semper exprimit Livius, ut sup. lib. XXXIX, cap. 29. » Conf. ad h. l. Drak., qui etsi testetur omnes pæne codd. pro Gelenii emendatione stare, non omnino tamen a Crever. sententia videtur abhorrere Ed.

Cap. XVII. 1. *In re præsenti;* vide ad XXXIV, 62, n. 7. — *De agro*, ut de alio XXXIV, 62.

2. *Damno sit,* forte *damno sibi sit;* Duk. — *Romam ad senatum rejecerunt;* vide ad II, 22, n. 4.

Digitized by Google

Recesserant primum in devios saltus : deinde, dimisso exercitu, passim in vicos castellaque sua dilapsi sunt. Consules quoque dimittere exercitum voluerunt, ac de ea re Patres consuluerunt. Alterum ex his, dimisso exercitu, ad magistratus in annum creandos venire Romam jusserunt; alterum cum legionibus suis Pisis hiemare[3]. Fama erat, Gallos Transalpinos juventutem armare; nec, in quam regionem Italiæ effusura se multitudo esset, sciebatur. Ita inter se consules compararunt[4], ut Cn. Bæbius ad comitia iret, quia M. Bæbius frater ejus consulatum petebat.

XVIII. Comitia consulibus rogandis[1] fuere. Creati P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Tamphilus. Prætores inde facti, duo Q. Fabii, Maximus et Buteo, Ti. Claudius Nero, Q. Petillius Spurinus, M. Pinarius Posca, L. Duronius. His, inito magistratu, provinciæ ita sorte evenerunt. Ligures consulibus; prætoribus, Q. Petillio urbana, Q. Fabio Maximo peregrina, Q. Fabio Buteoni Gallia, Ti. Claudio Neroni Sicilia, M. Pinario Sardinia, L. Duronio Apulia; et Istri adjecti, quod

3. *Alterum cum legionibus suis Pisis hiemare*, scil. L. Æmilium; quod ex verbis extremis hujus cap. probabile fit. Sed Cn. Bæbium Pisis hiemasse, legimus cap. 9 et 25. « Hæc forte ita ex sententia Dukeri conciliari possunt, si dicamus, Ligures, altero exercitu e finibus suis abducto, ad arma rediisse, atque in eos L. Æmilium movisse; eo vero tumultu Romæ audito, quum duobus exercitibus contra eos opus esse videretur, Cn. Bæbium, perfectis comitiis, Pisas remissum, milites, quos dimiserat, ad signa revocasse, vel legiones urbanas eo secum assumpsisse. Neutrum e coss. exercitum dimisisse, putat Crev.; mutatis enim temporibus mutatam esse senatus et consulum sententiam. » Drakenb.

4. *Inter se consules compararunt;* vide ad III, 2, n. 1.

Cap. XVIII. 1. *Comitia consulibus rogandis;* vide ad III, 35, n. 1, et III, 64, n. 5. — *Creati P. Cornelius Cethegus*, etc. conf. Plin. XIII, 13, seu 27; Valer. Max. II, 5, § 1, et tabulæ consul. Capitol. *Pamphilum*, non *Tamphilum*, fuisse cognomen Bæbiæ gentis, monet Hard. ad Plin. l. c. Sed conf. Ind., et Duk. ac Drak. ad h. l. In fastis Capit. scribitur *Tamphilus*, in nummo gentis Bæbiæ *Tampilus*. Pro *Cethegus* omnes MSS et edd. antt. *Lentulus*, ut et Valer. Max. l. l. At *Cethegus* dicitur Plinio l. c. et Nep. Han. 13, videturque notius Cornelio-

Digitized by Google

Tarentini Brundisinique nuntiabant, maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse. Eadem Massilienses de Ligurum navibus querebantur. Exercitus inde decreti: quatuor legiones consulibus (quina millia ducenos romanos pedites [2], trecenos haberent equites), et quindecim millia socium ac latini nominis, octingenti equites. In Hispaniis prorogatum veteribus prætoribus imperium est cum exercitibus, quos haberent; et in supplementum decreta tria millia civium romanorum, ducenti equites, et socium latini nominis sex millia peditum, trecenti equites. Nec rei navalis cura omissa. Duumviros [3] in eam rem consules creare jussi, per quos naves viginti deductæ navalibus sociis civibus romanis, qui servitutem servissent, complerentur; ingenui tantum ut iis præessent. Inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervæ [4], velut cardo, in medio esset: alter in dextram partem usque ad Massiliam, lævam alter usque ad Barium tueretur.

XIX. Prodigia multa [1] fœda et Romæ eo anno visa, et nuntiata peregre. In area Vulcani [2] et Concordiæ

rum cognomen *Lentulus* minus frequenti substitutum esse; Drak.

2. *Romanos pedites;* prior vox supervacua, sed passim addita; vid. Drakenb. ad cap. 26.—*Et quindecim millia*, etc. forte *et quina dena millia s. ac l. n., octingeni equites;* Drak. qui tamen vulgatum quoque locis, a se XL, 1, n. 5 laudatis, firmari posse monet. Idem parenthesin h. l. adjecit, et *octingenti* reposuit pro *octingentos.*

3. *Duumviros* navales. Conf. c. 26. —*Naves XX deductæ navalibus sociis civibus rom.*, etc. vide ad VIII, 26, n. 1, et IX, 38, n. 1.

4. *Promontorium Minervæ* terminus Campaniæ in ora adversus Picentinos, hod. *Capo della Minerva* (sive *Campanella.* Ed.) De eo et *Bario* (hodie *terra di Bari.* Ed.), vid. Cluver. Ital. Ant. IV, 3 et 11, pag. 1162 et 1210. Mox τὸ *in* ante *dextram partem* delendum auctore Gron., an *ut* reponendum pro *in?*

Cap. XIX. 1. *Prodigia multa*, etc. vide ad I, 31, n. 1.

2. *In area Vulcani et Concordiæ:* « quam non duplicem, sed eamdem fuisse credo, quia ædes Concordiæ in area Vulcani erat; vide ad IX, 46.

Digitized by Google

sanguinem pluit; et pontifices hastas motas nuntiavere, et Lanuvii simulacrum Junonis Sospitæ lacrymasse[3]: et pestilentia in agris forisque et conciliabulis[4] et in Urbe tanta erat, ut Libitina[5] tunc vix sufficeret. His prodigiis cladibusque anxii Patres decreverunt, ut et consules, quibus diis videretur, hostiis majoribus sacrificarent, et decemviri libros adirent[6]. Eorum decreto supplicatio circa omnia pulvinaria Romæ in diem unum indicta est. Iisdem auctoribus, et senatus censuit, et consules edixerunt, ut per totam Italiam triduum supplicatio et feriæ essent. Pestilentiæ tanta vis erat, ut, quum propter defectionem Corsorum, bellumque ab Iliensibus concitatum in Sardinia[7], octo millia peditum ex sociis latini nominis scribi placuisset et trecentos equites, quos M. Pinarius prætor secum in Sardiniam trajiceret, tantum hominum demortuum esse, tantum ubique ægrorum consules renuntiaverint, ut is numerus effici militum non potuerit. Quod deerat militum[8], sumere a

Obseq. de Prod. c. 59, scribit *in area Vulcani per biduum, in area Concordiæ totidem diebus sanguinem pluit*, et duo prodigia, a Livio, XXXIX, 46 et 59, relata, conjungit, non ut significet, aliam fuisse aream Vulcani, aliam Concordiæ, sed quia utrumque eodem anno acciderat ». Duk. — *Pontifices hastas motas nuntiavere;* vide ad XXI, 62, n. 2.

3. *Lanuvii simulacrum Junonis Sospitæ lacrymasse;* vide ad I, 31, n. 1, VIII, 14, n. 4, et Steger. de Prodigiis, pag. 111 sq.

4. *Forisque et conciliabulis;* vide ad XXV, 5, n. 3.

5. *Ut* Venus *Libitina,* libitinarii aut apparatus funebris, in hujus deæ templo servatus, *tunc vix sufficeret*, sc. funeribus faciendis. Conf. ad XLI, 21, n. 3, et Juven. XII, 122. *Pestilentiam* hanc in tertium annum Romæ et in Italia sævisse, neque per sex menses pluisse, tradit Obseq. de Prod. cap. 60.

6. *Decemviri libros adirent;* vide ad III, 10, n. 6. — *Circa omnia Pulvinaria,* h. e. circa omnia templa, ubi nempe supplicationis diebus lecti vel pulvinaria diis sterni solebant. Cf. supra ad XXI, 62, n. 12. Ed.

7. *Ab Iliensibus in Sardinia:* in qua et Ἰλεῖς et Ἰολαεῖς seu Ἰολάειοι fuere; vid. Drak. ad h. l. et ad Sil. XII, 364.

8. *Ut is numerus effici militum... Quod deerat militum,* etc. posterius *militum* delendum putabat Gronov.,

Digitized by Google

Cn. Bæbio proconsule, qui Pisis hibernabat, jussus prætor, atque inde Sardiniam trajicere. L. Duronio prætori, cui provincia Apulia evenerat, adjecta de Bacchanalibus quæstio est: cujus residua quædam velut semina ex prioribus malis jam priore anno apparuerant: sed magis inchoatæ apud L. Pupium prætorem quæstiones erant, quam ad exitum ullum perductæ. Id persecare[9] novum prætorem, ne serperet iterum latius, Patres jusserunt. Et leges de ambitu consules ex auctoritate senatus ad populum tulerunt.

XX. Legationes deinde in senatum introduxerunt: regum primas, Eumenis et Ariarathis Cappadocis et Pharnacis Pontici; nec ultra quidquam eis responsum est, quam missuros, qui de controversiis eorum cognoscerent statuerentque. Lacedæmoniorum deinde exsulum[1] et Achæorum legati introducti sunt; et spes data exsulibus est, scripturum senatum Achæis, ut restituerentur. Achæi de Messene recepta, compositisque ibi rebus, cum assensu Patrum exposuerunt. Et a Philippo rege Macedonum duo legati venerunt, Philocles et Apelles[2], nulla super re, quæ ab senatu petenda esset: speculatum magis inquisitumque missi de iis, quorum Perseus Demetrium insimulasset sermonum, cum Romanis, maxime cum T. Quintio, adver-

prius Drak. Cf. tamen ad I, 3, n. 8. — *Bæbio proc. qui Pisis hibernabat;* vide ad cap. 17, n. 3. — *Cujus residua quædam*, etc. forte *quorum* leg. pro *cujus*, et mox *jam superiore anno* pro *jam priore a.*, ne *prioribus* et *priore* jungantur. — *L. Pupium prætorem;* vide ad XXVIII, 39, n. 1.

9. *Id persecare*, resecare, conficere rem, seu quod mali hujus residuum erat. Conf. Cic. ad Attic. XIII, 23. — *Leges de ambitu*, quarum sententia quæ fuerit, non constat; Duk. Sigon. de Jud. II, 30. *Legem* plures MSS et edd. ante Ald. forte rectius, judice etiam Drak.

Cap. XX. 1. *Lacedæmon. exsulum*, etc. vide ad XXXVI, 35, n. 4.

2. *Philocles et Apelles:* de illo vide ad XXXI, 16, n. 1, de hoc Polyb. XXIII, 14, XXIV, 1.—*De iis, quorum Perseus Demetrium insimulasset sermonum cum Romanis*, etc. cf. Polyb. XXIV, 3. *Sermonum* pro *sermo-*

Digitized by Google

sus fratrem de regno habitorum. Hos, tanquam medios, nec in alterius favorem inclinatos, miserat rex. Erant autem et hi Persei fraudis in fratrem ministri et participes. Demetrius, omnium, præterquam fraterni sceleris[3], quod nuper eruperat, ignarus, primo neque magnam, neque nullam spem habebat, patrem sibi placari posse. Minus deinde in dies patris animo fidebat, quum obsideri aures a fratre[4] cerneret. Itaque, circumspiciens dicta factaque sua, ne cujus suspiciones augeret, maxime ab omni mentione et contagione Romanorum[5] abstinebat; ut neque scribi sibi vellet, quia hoc præcipue criminum genere exasperari animum sentiebat.

XXI. Philippus, simul ne otio miles deterior fieret, simul avertendæ suspicionis causa quidquam a se agitari de romano bello, Stobos Pæoniæ exercitu indicto[1], in Mædicam ducere pergit. Cupido eum ceperat in verticem Hæmi montis ascendendi, quia vulgatæ opinioni crediderat[2], Ponticum simul et Hadriaticum mare et Istrum amnem et Alpes conspici posse : sub-

nibus: quam metabasin sive enallagen casus exemplis illustrat Drak. Conf. ad II, 57, n. 3; XXIII, 10, n. 2; XLV, 44, n. 4, et al. Eadem loquendi ratio Græcis est solennis. — *Medios;* vide ad I, 32, n. 5.

3. *Præterquam fraterni sceleris* ex ed. Froben. 1531 et 1535. In MSS et edd. antt. *præterquam fraterno scelere*, prob. Drak. Eo significatur, omnium, quæ de se patrem, fratrem, totam aulam agitare posset suspicari, inscium fuisse, præterquam quantum ex scelere fraternæ accusationis colligeret; Gron. — *Neque magnam, neque nullam spem habebat;* non sperabat quidem multum, non omnino tamen desperabat. Ed.

4. *Quum obsideri aures a fratre;* vide ad XXIV, 4, n. 2. Τὸ *quum* tolerari potest: sed forte malis *cujus;* Gronov.

5. *Contagione Romanorum;* vide ad II, 5, n. 3.

Cap. XXI. 1. *Stobos P. exercitu indicto;* vide ad IV, 25, n. 4.

2. *Quia vulgatæ opinioni crediderat*, ex eo *Ponticum*, etc. conf. Strab. VII, 5, n. 1, pag. 313 (ubi hanc quoque Polybii, sed falsam fuisse opinionem dicit, quod etiam Livius, cap. 22, monet), et Mela, II, 2, ubi vid. Voss. *Hæmo* seu Æmo monti, qui Thraciam dividit, excelsitatem 6,000 passuum tribuunt Plin. IV, 11 seu 18; Solin. 10; Martianus, lib. VI.

Digitized by Google

jecta oculis ea haud parvi sibi momenti futura ad cogitationem romani belli. Percunctatus regionis peritos de ascensu Hæmi, quum satis inter omnes constaret, viam exercitui nullam esse, paucis et expeditis perdifficillimum aditum [3], ut sermone familiari minorem filium permulceret, quem statuerat non ducere secum, primum quærit ab eo, *Quum tanta difficultas itineris proponatur, utrum perseverandum sit in incœpto, an abstinendum? Si pergat tamen ire, non posse oblivisci se in talibus rebus Antigoni, qui, sæva tempestate jactatus, quum in eadem nave secum suos omnes habuisset, præcepisse liberis diceretur, ut et ipsi meminissent, et ita posteris proderent, ne quis cum tota gente simul in rebus dubiis periclitari auderet. Memorem ergo se præcepti ejus, duos simul filios non commissurum in aleam ejus, qui proponeretur, casus* [4]*; et, quoniam majorem filium secum duceret, minorem ad subsidia spei et custodiam regni remissurum in Macedoniam esse.* Non fallebat Demetrium ablegari se, ne adesset consilio, quum in conspectu locorum consultaret, qua proxime itinera ad mare

— *Istrum amnem:* Drak. *Histrum*, quod passim exhibent præcipui codd. Sed pravam hanc esse serioris ævi adspirationem, jam monuit Heyn. ad Virg. Georg. III, 350.

3. *Perdifficillimum aditum*, ut *perdulcissimus*, *permaximus*, *perminimus*, *perpaucissimi*, *perplurimus*. Cf. Drak. et ad XLI, 23, n. 3. *Per difficillimum a.* quædam edd. ante et post Aldum. *Per difficillima a.* conj. Gron. — *Primum quærit ab eo;* sed nemo respondet, unde quidam suspicantur, defectam esse orationem; Glar. Quum postea addatur, Demetrio assentiendum patri fuisse, ne invitum parere suspicio foret, Livius aperte indicat, Demetrium ad singula capita a patre proposita respondisse eadem approbando; Drak.

4. *Commissurum in aleam casus;* vide ad XXVIII, 42, n. 11. — *Ad subsidia spei;* exponit Doeringius: ut, si forte in itinere ~~illo periculoso~~ cum filio majore periret, in spem stirpis regiæ propagandæ restaret quasi surculus. Sic filius, in quo solo spes gentis propagandæ est posita, *subsidium generis*, vocatur apud Ciceronem in Orat. pro Cluent. cap. 11. Sc. *subsidium* vel *subsidia* dicuntur ea, ad quæ tanquam ad ultima, quæ no-

Digitized by Google

Hadriaticum atque Italiam ducerent[5], quæque belli ratio esset futura. Sed non solum parendum patri tum, sed etiam assentiendum erat, ne invitum parere suspicionem faceret. Ut tamen iter ei tutum in Macedoniam esset, Didas, ex prætoribus regiis[6] unus, qui Pæoniæ præerat, jussus est prosequi eum cum modico præsidio. Hunc quoque Perseus, sicut plerosque patris amicorum, ex quo haud dubium cuiquam esse cœperat, ad quem, ita inclinato regis animo, hereditas regni pertineret, inter conjuratos in fratris perniciem habuit. In præsentia dat ei mandata, ut per omne obsequium insinuaret se in quam maxime familiarem usum, ut elicere omnia arcana, specularique abditos ejus sensus posset. Ita digreditur Demetrius cum infestioribus, quam si solus iret, præsidiis.

XXII. Philippus, Mædicam primum, deinde solitudines interjacentes Mædicæ atque Hæmo transgressus, septimis demum castris ad radices montis pervenit. Ibi unum moratus diem ad deligendos, quos duceret secum, tertio die[1] iter est ingressus. Modicus primo labor in imis collibus fuit. Quantum in altitudinem egrediebantur, magis magisque silvestria et pleraque invia loca excipiebant. Pervenere deinde in tam opacum iter, ut, præ densitate arborum immissorumque

bis restant, confugimus. Sic supra ad XXII, 32, *aurum*, ut haberent posteri, ad quod in fortuna adversa, tanquam ad ultimam spem confugerent, *ad subsidium fortunæ a majoribus relictum*, dicitur. Ed.

5. *Qua proxime itinera... ducerent:* Gron. et Crev. *quæ;* non male. Sed *qua* retineri potest, modo suppleas *parte*, non *via*.

6. *Didas, ex prætoribus regiis*, etc. vide ad VI, 42, n. 7.

Cap. XXII. 1. *Tertio die;* leg. non *III*, sed *II*, h. e. *secundo* vel *postero die;* Sigon. Sed numerus trium dierum sic iniri potest, ut septimus, quo Philippus ad radices montis pervenit, primus trium sit; quo ibi moratus est, secundus; quo iter in montem ingressus, tertius; Duk. et Crev. Cf. XLIV, 3 extr. — *Invia loca excipiebant*, non interrupta, continua serie sequebantur; Drak. Conf. ad I, 53, n. 5, et II, 61, n. 1.

Digitized by Google

aliorum in alios ramorum, perspici cælum vix posset[2]: ut vero jugis appropinquabant, quod rarum in aliis locis esset, adeo omnia contecta nebula, ut haud secus quam nocturno itinere impedirentur: tertio demum die ad verticem perventum. Nihil vulgatæ opinioni[3], degressi inde, detraxerunt; magis, credo, ne vanitas itineris ludibrio esset, quam quod diversa inter se maria montesque et amnes ex uno loco conspici potuerint. Vexati omnes et ante alios rex ipse, quo gravior ætate erat, difficultate viæ est. Duabus aris ibi Jovi et Soli sacratis quum immolasset, qua triduo ascenderat, biduo est degressus, frigora nocturna maxime metuens, quæ caniculæ ortu similia brumalibus erant. Multis per eos dies difficultatibus conflictatus, nihilo lætiora in castris invenit; ubi summa penuria erat, ut in regione, quam ab omni parte solitudines clauderent. Itaque unum tantum moratus diem, quietis eorum causa, quos habuerat secum, itinere inde simili fugæ in Dentheletos transcurrit[4]. Socii erant; sed propter inopiam haud secus quam hostium fines Macedones populati sunt. Rapiendo enim passim villas primum, dein quosdam vicos etiam evastarunt, non sine magno pudore regis, quum sociorum voces, nequidquam deos sociales nomenque suum implorantes[5], audiret. Frumento inde sublato, in Mædicam regressus, urbem, quam Petram appellant,

2. *Perspici cælum vix posset*, conspici per densos armorum ramos; Drakenb. Conf. ad XXII, 6, n. 4. *Prospici* Lov. 1 et 3. — *Tertio demum die ad verticem perventum:* Sigon. primum diem adscensus in montem eum putat, quo rex ad radices illius moratus est: sed hic inter tres dies, quibus montem adscendit, numerari non potest: et mox Livius regem *triduo adscendisse, biduo degressum* dicit; Duk.

3. *Nihil vulgatæ opinioni*, etc. vide ad cap. 21, n. 2.

4. *In Dentheletos transcurrit;* vide ad XXXIX, 53, n. 5.

5. *Deos sociales n. s. implorantes;* vide ad I, 45, n. 3.

Digitized by Google

oppugnare est adortus. Ipse a campestri aditu[6] castra posuit. Perseum filium cum modica manu circummisit, ut a superioribus locis urbem aggrederetur. Oppidani, quum terror undique instaret, obsidibus datis, in præsentia dediderunt sese. Iidem, postquam exercitus recessit, obliti obsidum, relicta urbe, in loca munita et montes refugerunt. Philippus, omni genere laboris sine ullo effectu fatigatis militibus, et fraude prætoris Didæ auctis in filium suspicionibus, in Macedoniam rediit.

XXIII. Missus hic comes (ut ante dictum est[1]), quum simplicitatem juvenis incauti et suis haud immerito succensentis, assentando indignandoque et ipse vicem ejus, captaret[2], in omnia ultro suam offerens operam, fide data, arcana ejus elicuit. Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur. Cui consilio adjutor deum beneficio oblatus videbatur Pæoniæ[3] prætor, per cujus provinciam spem ceperat elabi tuto posse. Hoc consilium extemplo et fratri proditur, et, auctore eo, indicatur patri. Literæ primum ad obsidentem Petram allatæ sunt. Inde Herodorus (princeps hic amicorum Demetrii erat) in custodiam est conjectus, et Demetrius dissimulanter asservari jussus. Hæc super cætera tristem adventum in Macedoniam regi fecerunt. Movebant eum et præsentia crimina : exspectandos tamen, quos ad exploranda omnia Romam miserat[4], censebat. His anxius curis quum aliquot menses egisset, tandem legati, jam ante præmedita-

6. *A campestri aditu*, etc. vide ad VIII, 17, n. 5; XXXVI, 10, n. 3.

Cap. XXIII. 1. *Ut ante d. est* c. 21.

2. *Simplicitatem juvenis... captaret;* vide ad XXII, 28, n. 1.

3. *Pæoniæ prætor*, Didas; vide ad cap. 21, n. 5. — *Dissimulanter asservari*, h. e. ita asservari, ut Demetrius, se asservari ne animadverteret quidem. Ed.

4. *Quos ad exploranda o. R. m.*; conf. cap. 20.

Digitized by Google

tis[5] in Macedonia, quæ ab Roma renuntiarent, venerunt: qui, super cætera scelera, falsas etiam literas, signo adulterino T. Quintii signatas, reddiderunt regi. Deprecatio erat in literis, si quid adolescens, cupiditate regni prolapsus, secum egisset. *Nihil eum adversus suorum quemquam facturum; neque eum sese esse, qui ullius impii consilii auctor futurus videri possit.* Hæ literæ fidem Persei criminibus fecerunt. Itaque Herodorus, extemplo diu excruciatus, sine indicio rei ullius in tormentis moritur.

XXIV. Demetrium iterum ad patrem accusavit Perseus[1]. Fuga per Pæoniam præparata arguebatur, et corrupti quidam, ut comites itineris essent; maxime falsæ literæ T. Quintii urgebant. Nihil tamen palam gravius pronuntiatum de eo est, ut dolo potius interficeretur; nec id cura ipsius[2], sed ne pœna ejus consilia adversus Romanos nudaret. Ab Thessalonico Demetriadem ipsi[3] quum iter esset, Astræum Pæoniæ Demetrium mittit cum eodem comite Dida, Perseum Amphipolim, ad obsides Thracum accipiendos. Digredienti ab se Didæ mandata dedisse dicitur de filio occidendo. Sacrificium ab Dida seu institutum, seu simulatum est. Ad quod celebrandum invitatus Demetrius ab Astræo Heracleam venit. In ea cœna dicitur

5. *Jam ante* iis *præmeditatis* passive (ut Quint. Inst. Orat. V, 13, 3, *accusator præmeditata pleraque domo affert.* Ed.); nisi cum Gron. ex Voss. et Lov. 2. leg. *præmeditati.* Conf. ad IX, 23, n. 1.

Cap. XXIV. 1. *Demetrium i. ad p. accusavit Perseus* proditionis et affectati per Romanos regni: argumenta erant *fuga,* et sollicitati *comites,* et *literæ T. Quintii,* adolescentem egisse secum de successione confessi; Gron.

2. *Nec id cura ipsius,* ob curam, i. e. et reverentiam, vel dignitatis respectum. — *Nudaret;* vide ad XXIV, 27, n. 1.

3. *Demetriadem ipsi,* Philippo... *Astræum Pæoniæ* opp. Αἴστραιον Ptol. et Ἀστραία Steph. unde *Æstræum* vel *Astræam* suspicari possis. *Asterium* ex vet. libro Sigon. et Gronov. Αστέριον πόλις Θετταλίας Steph. et Strab. Sed Thessalia satis remota est a Pæonia; Drak. — *Heracleam venit:*

Digitized by Google

venenum datum. Poculo epoto, extemplo sensit: et mox coortis doloribus, relicto convivio, quum in cubiculum recepisset sese, crudelitatem patris conquerens, parricidium fratris[4] ac Didæ scelus incusans, torquebatur. Intromissi deinde Thyrsis quidam Stuberæus et Berœæus Alexander, injectis tapetibus in caput faucesque, spiritum intercluserunt[5]. Ita innoxius adolescens, quum in eo ne simplici quidem genere mortis contenti inimici fuissent, interficitur.

XXV. Dum hæc in Macedonia geruntur, L. Æmilius Paullus, prorogato ex consulatu[1] imperio, principio veris in Ligures Ingaunos exercitum introduxit. Ubi primum in hostium finibus castra posuit, legati ad eum, per speciem pacis petendæ, speculatum venerunt. Negante Paullo, nisi cum deditis pacisci se pacem, non tam id recusabant, quam tempore opus esse aiebant, ut generi agresti hominum persuaderetur. Ad hoc decem dierum induciæ quum darentur, petierunt deinde, *ne trans montes proximos castris pabulatum lignatumque milites irent: culta ea loca suorum finium esse.* Id ubi impetravere, post eos ipsos montes, unde averterant hostem, exercitu omni coacto, repente multitudine ingenti castra Romanorum oppugnare simul omnibus portis aggressi sunt. Summa vi totum diem oppugnarunt, ita ut ne effe-

intellige cum Glar. *Heracleam* Lyncestidos, quæ est ad Erigonem amnem.

4. *Parricidium fratris;* vide ad XXVIII, 29, n. 1, et XL, 8, n. 2.

5. *Spiritum intercluserunt;* vide ad XXIII, 7, n. 5.

Cap. XXV. 1. *Ex consulatu;* vide ad IV, 31, n. 1, et Drak. — *Exercitum introduxit;* pro *introduxit* malebat Drakenb. *induxit*, observans in *fines* quidem populi exercitum *introduci* (sicut dixit Livius, XLI, 10, princ. *in fines Istrorum exercitum introduxerunt*), sed in populum *induci;* quum locutionem multis tuetur exemplis. Doering. vero pro *exercitum introduxit* mallet, *duxit*, idque non ideo tantum, quod *ducere* sexcenties apud Nostrum, pro *exercitum ducere*, dicitur, sed quod vox *exercitum* in omnibus codd. apud Drak. uno cod. Lov. 5 excepto, omissa est. Ed.

Digitized by Google

rendi quidem signa[2] Romanis spatium, nec ad explicandam aciem locus esset. Conferti in portis, obstando magis, quam pugnando, castra tutabantur. Sub occasum solis quum recessissent hostes, duos equites ad Cn. Bæbium proconsulem cum literis Pisas mittit[3], ut obsesso sibi per inducias[4] quam primum subsidio veniret. Bæbius exercitum M. Pinario prætori, eunti in Sardiniam, tradiderat. Cæterum et senatum literis certiorem fecit, obsideri a Liguribus L. Æmilium, et M. Claudio Marcello, cujus proxima inde provincia erat, scripsit, ut, si videretur ei, exercitum ex Gallia traduceret in Ligures, et L. Æmilium liberaret obsidione. Hæc sera futura auxilia erant. Ligures postero die ad castra redeunt. Æmilius, quum et venturos scisset, et educere in aciem[5] potuisset, intra vallum suos tenuit, ut extraheret rem in id tempus, quo Bæbius cum exercitu venire a Pisis posset.

XXVI. Romæ magnam trepidationem[1] literæ Bæbii fecerunt; eo majorem, quod paucos post dies Marcellus, tradito exercitu Fabio, Romam quum venisset, spem ademit, eum, qui in Gallia esset, exercitum in Ligures traduci posse, quia bellum cum Istris esset, prohibentibus coloniam Aquileiam deduci: eo profectum Fabium, neque inde regredi, bello inchoato, posse. Una et ea ipsa tardior, quam tempus postulabat, subsidii spes erat, si consules maturassent in

2. *Ne efferendi quidem signa* (vide ad XXV, 41, n. 2) *Romanis*, etc. lege *nec efferendi signa*, etc. vel deinde *nedum ad explicandam*; Gron. Sed similiter I, 3, dicitur *ne morte quidem Æneæ, nec deinde*, etc. Drak.

3. *Cum literis Pisas mittit*, scil. Æmilius Paullus, nisi *Paullus* leg. pro *Pisas*. Sed conf. cap. 19.

4. *Obsesso sibi per inducias*; vide ad II, 18, n. 1.

5. *Educere in aciem*; vide ad I, 23, n. 4.

Cap. XXVI. 1. *Magnam trepidationem*, etc. τὸ *magnam* inficetum omnino, et sine dubitatione delendum putabat Gronovius cum distinctione post *fecerunt*.

Digitized by Google

provinciam ire. Id ut facerent, pro se quisque Patrum vociferari. Consules, nisi confecto delectu, negare se ituros, nec suam segnitiem, sed vim morbi[2], in causa esse, quo serius perficeretur. Non tamen potuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati exirent, et militibus, quos conscriptos haberent, diem edicerent, quo Pisas convenirent: permissum [ut], qua irent, protenus subitarios milites scriberent ducerentque secum. Et prætoribus, Q. Petillio et Q. Fabio, imperatum est, ut Petillius duas legiones civium romanorum tumultuarias scriberet, et omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret[3]: Fabio, ut sociis latini nominis quindecim millia peditum, octingentos equites imperaret. Duumviri navales[4] creati C. Matienus et C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt; Matienoque, cujus ad Gallicum sinum provincia erat, imperatum est, ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo usui esse L. Æmilio atque ejus exercitui posset[5].

XXVII. Æmilius, postquam nihil usquam auxilii ostendebatur, interceptos credens equites, non ultra

2. *Vim morbi*, pestilentiæ; conf. cap. 19. — *Quo serius perficeretur*, sc. delectus. *Quod* malebat Gronov. sed *quo* passim vel pro *ut* poni (vide ad VI, 24, n. 2; XXX, 16 al.), et *causa ut* pro *causa cur* V, 55, n. 4, vel pro *quod* aut *quare*, eodemque modo *causa quo* apud Plaut. Pœn. III, 1, v. 30, et Aulul. I, 2, v. 14, monent Duker. et Drak. *Perficeretur* cod. Mogunt. *proficiscerentur* et *proficiscuntur* cæteri MSS et edd. antt.— *Diem edicerent*, etc. vide ad XXII, 12, n. 1.—*Permissum (ut) qua irent*, etc. tantum in cod. Mog. illud *ut* reperiri testantur Gron. et Drak. Ed.

3. *Omnes m. q. a. sacramento rogaret;* vide ad II, 24, n. 7.

4. *Duumviri navales c.*, etc. conf. cap. 18. — *Navesque* ab *iis ornatæ sunt* (h. e. navalibus sociis completæ; conf. ad cap. 18 extr. et ad IX, 40, n. 12); *Matienoque, cujus*, etc. ita Gelen. forsan e cod. Mogunt. *ornatæ sunt, cujusque ad G. s. p. erat* (ei), *imperatum* cæteri MSS et edd. antt. prob. Gron. et Drak. qui hoc loquendi genus antiquum et doctum esse monet ad XXIII, 15, n. 4. Conf. cap. 18 extr. et 28.

5. *Si quo usui esse Æmilio posset;* vide ad XXVI, 9, n. 5.

Digitized by Google

differendum ratus, quin per se fortunam tentaret, prius quam hostes venirent, qui jam segnius socordiusque oppugnabant, ad quatuor portas[1] exercitum instruxit, ut, signo dato, simul ex omnibus partibus eruptionem facerent. Quatuor extraordinariis cohortibus duas adjunxit, præposito M. Valerio legato: erumpere extraordinaria porta jussit. Ad dexteram principalem hastatos legionis primæ instruxit; principes ex eadem legione in subsidiis posuit: M. Servilius et L. Sulpicius[2], tribuni militum, his præpositi. Tertia legio adversus principalem sinistram portam instructa est. Id tantum mutatum; principes primi, et hastati in subsidiis locati: Sex. Julius Cæsar et L. Aurelius Cotta, tribuni militum, huic legioni præpositi sunt. Q. Fulvius Flaccus legatus cum dextera ala ad quæstoriam portam positus. Duæ cohortes et triarii duarum legionum[3] in præsidio castrorum manere jussi. Omnes portas concionabundus ipse imperator circumiit,

Cap. XXVII. 1. *Ad quatuor portas* castrorum... *quatuor extraordinariis cohortibus... extraordinaria porta... ad dextram principalem... principalem sinistram portam... ad quæstoriam portam;* vide ad III, 5, n. 3, et XLII, 58, n. 5. *Quatuor extraordinarias cohortes duabus adjunctis, p. M. V. l., erumpere e. p. jussit* malebat Gron. qui etiam contra Lips. de Mil. Rom. II, 7, monuit *duas* cohortes omnino esse alares seu sociorum, non legionarias, quoniam, quidquid in legionibus fuerit, ad reliquas portas instructum fuisse, mox dicatur. Sed oratio hians minore mole expleri potest copula *et* post *adjunxit* addenda; Duk. Immo ante *erumpere* supple *eas* vel *eum*, quod pron. Livius more suo omisit; Drak.

2. *L. Sulpicius*, forte *C. Sulp.*, ut cap. 28; ubi vid. Drak.

3. *Duæ cohortes et triarii duarum legionum*, etc. nota Drak. est: « *Duas cohortes* sinistræ alæ intelligit Crever. dextram enim alam et ambas legiones alibi occupatas esse. Ejusdem sinistræ alæ fuisse duas cohortes quatuor extraordinariis junctas, quæ superius memorantur, existimat. Ita tamen scrupulum remanere recte monet, quod quatuor tantum sinistræ alæ cohortes memorentur, quum tamen quælibet ala socialis, eodem modo ac legio rom., in decem cohortes fuerit divisa. Huic difficultati quid respondeam nescio, nisi dicere velimus, in numero cohortium alariarum vel sup. § 3, vel hoc loco, aut etiam utroque erratum, et pro *II*, vel *duas* aut *duæ*

Digitized by Google

et, quibuscumque irritamentis poterat, iras militum acuebat, nunc fraudem hostium incusans, qui, pace petita, induciis datis, per ipsum induciarum tempus contra jus gentium ad castra oppugnanda venissent; nunc, quantus pudor esset, edocens, ab Liguribus, latronibus verius, quam hostibus justis, romanum exercitum obsideri. « Quo ore quisquam vestrum, si « hinc alieno præsidio, non vestra virtute, evaseritis, « occurret, non dico eis militibus, qui Hannibalem, « qui Philippum, qui Antiochum, maximos nostræ « ætatis reges ducesque, vicerunt, sed iis, qui hos « ipsos Ligures aliquoties, pecorum modo fugientes, « per saltus invios consectati ceciderunt? Quod Hi- « spani, quod Galli, quod Macedones Pœnive non au- « deant, Ligustinus hostis vallum romanum subit, ob- « sidet ultro et oppugnat! quem, scrutantes antea « devios saltus, abditum et latentem vix invenieba- « mus. » Ad hæc consentiens reddebatur militum clamor[4], *nullam militum culpam esse, quibus nemo ad erumpendum signum dedisset. Daret signum; intellecturum, eosdem, qui antea fuerint, et Romanos et Ligures esse.*

XXVIII. Bina cis montes castra Ligurum erant. Ex iis, primis diebus, sole orto, pariter omnes compositi et instructi procedebant: tum, nisi exsatiati cibo vinoque, arma non capiebant; dispersi, inordinati exibant, ut quibus pro spe certum[1] esset, hostes extra vallum signa non elaturos. Adversus ita incompositos eos venientes, clamore pariter omnium, qui in castris

altero loco *IV*, altero *VI*, vel utroque *VI* legendum esse. Videndum etiam, an sex, quarum nulla mentio fit, alibi occupatæ ac relictæ esse potuerint ».

4. *Consentiens reddebatur militum clamor*: vox *militum*, e cod. Mogunt. ab Aldo inserta, mox repetitur, ut et *signum*; Drak. Conf. ad I, 3, n. 8.

Cap. XXVIII. 1. *Pro spe certum*, leg. *prope certum* Mur. et Crev.

Digitized by Google

erant, calonum quoque et lixarum, sublato, simul omnibus portis Romani eruperunt. Liguribus adeo improvisa res fuit, ut perinde, ac si insidiis circumventi forent, trepidarent. Exiguum temporis aliqua forma pugnæ fuit. Fuga deinde effusa, et fugientium passim cædes erat. Equitibus dato signo, ut conscenderent equos, nec effugere quemquam sinerent, in castra omnes trepida fuga compulsi sunt; deinde ipsis exsuti castris. Supra quindecim millia Ligurum eo die occisa, capta duo millia et quingenti[2]. Triduo post Ligurum Ingaunorum omne nomen, obsidibus datis, in ditionem venit. Gubernatores nautæque conquisiti, qui prædatores fuissent navibus, atque omnes in custodiam conjecti. Et a C. Matieno duumviro naves ejus generis in Ligustina ora triginta duæ captæ sunt. Hæc qui nuntiarent literasque ad senatum ferrent, L. Aurelius Cotta, C. Sulpicius Gallus Romam missi; simulque peterent, ut L. Æmilio confecta provincia decedere[3], et deducere secum milites liceret atque dimittere. Utrumque permissum ab senatu, et supplicatio ad omnia pulvinaria per triduum decreta; jussique prætores, Petillius urbanas dimittere legiones, Fabius sociis atque nomini latino remittere delectum; et uti prætor urbanus consulibus scriberet, senatum æquum censere, subitarios milites, tumultus causa conscriptos[4], primo quoque tempore dimitti.

2. *Capta duo millia et quingenti;* in cod. Mogunt. *capti duo millia et trecenti tres*, quod a Drak. haud receptum fuisse mireris. — *In ditionem venit* Romanorum: *deditionem* alii, forte et Mog. prob. Crev. — *Qui prædatores fuissent navibus;* conf. c. 18. *In prædatoriis fuissent navibus* emend. Crev., et probari hoc putat verbis sequentibus *naves ejus generis*, quibus indicatur, navium certi cujusdam generis prius mentionem factam fuisse.

3. *Confecta provincia decedere;* vide ad II, 40, n. 9. — *Ad omnia pulvinaria;* cf. sup. c. 19, n. 6. Ed.

4. *Subitarios milites, tumultus causa conscriptos;* vide ad I, 37, n. 4, et II, 26, n. 1.

Digitized by Google

XXIX. Colonia Graviscæ eo anno deducta est in agrum Etruscum, de Tarquiniensibus quondam captum. Quina jugera agri data. Tresviri deduxerunt, C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Istra. Siccitate et inopia frugum insignis annus fuit. Sex menses nunquam pluisse, memoriæ proditum est. Eodem anno in agro L. Petillii scribæ [1] sub Janiculo, dum cultores agri altius moliuntur [2] terram, duæ lapideæ arcæ, octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ sunt, operculis plumbo devinctis. Literis latinis græcisque utraque arca inscripta erat; in altera, Numam Pompilium, Pomponis filium, regem Romanorum, sepultum esse; in altera, libros

Cap. XXIX. 1. *L. Petillii scribæ*, etc. alii a Cn. Terentio scriba *arcas* illas fuisse inventas tradunt, omnes vero eas, auctore Q. Petillio seu Petilio prætore, combustas. Conf. et seqq. n. 10, ad I, 20; Antias apud Plut. in Numa, pag. 74; Varro apud Augustin. de Civ. Dei, VII, 34; Valer. Max. I, 1, § 12; Lactant. Inst. I, 22; Festus voc. *Numa*, et inpr. loc. class. Plin. XIII, 13, seu 27, qui sua hausit ex Cassio Hemina, L. Pisone, Tuditano, Varrone et Valerio Antiate. Quos si comparaveris, videbis, eos et in numero et in argumento librorum Numæ variare. Multa, quibus historia hæc dubia redditur, notavit Marc. Donatus.—Nardinus quoque in Rom. Vet. VII, 11, de hoc haud leves dubitationes movit, quarum, jam ab Hearnio ad h. l. allatarum, partem juvat transcribere, Crev. et Doering. præeuntibus. « Multa hic mihi dubia, inquit Nardinus, animum torquent. Ac primum, quo pacto tam præclari carique regis monumentum per tot sæcula ita ignotum esse populo romano potuerit, ut et ipse situs ejus ignoratus sit. Ad hæc, quo pacto intra paulo plus quingentorum annorum decursum corpus humanum ita consumi potuerit, ut ne vestigium quidem ejus ossium, immo nec pulvis superfuerit. Item, quo pacto libri chartacei, tametsi omni cura custoditi, recenti specie esse potuerint. Ut et, unde chartæ tunc usus, quam Plinius, XIII, 11, post Alexandrum Magnum inventam in Ægypto dicit, annis plusquam trecentis post Numam: et, licet inventa jam tum et in usu fuerit, unde rudi illo ac paupere sæculo charta Romam ex Ægypto delata sit. Denique quomodo lingua græca tam familiaris tum temporis Latio fuerit.. .. hæc et plura alia forsan me inducerent, ut fraudem atque imposturam hanc recentioris alicujus hominis fuisse suspicarer, nisi tam graves et antiquos scriptores nimiæ et inconsultæ credulitatis damnare nefas existimarem ». Ed.

2. *Altius moliuntur terram;* vide ad VI, 11, n. 5.

Digitized by Google

Numæ Pompilii inesse. Eas arcas quum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quæ titulum sepulti regis habuerat, inanis inventa, sine ullo vestigio corporis humani, aut ullius rei, per tabem tot[3] annorum omnibus absumptis: in altera duo fasces, candelis involuti, septenos habuere libros, non integros modo, sed recentissima specie. Septem Latini de jure pontificio erant; septem Græci de disciplina sapientiæ, quæ illius ætatis esse potuit. Adjicit Antias[4] Valerius, Pythagoricos fuisse, vulgatæ opinioni, qua creditur, Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide. Primo ab amicis, qui in re præsenti fuerunt, libri lecti. Mox pluribus legentibus quum vulgarentur, Q. Petillius prætor urbanus, studiosus legendi, eos libros a L. Petillio sumpsit. Et erat familiaris usus, quod scribam eum[5] quæstor Q. Petillius in decuriam legerat. Lectis rerum summis, quum animadvertisset, pleraque dissolvendarum

3. *Per tabem tot annorum*, per putrefactionem exedentem corpus; Ern. Conf. IV, 30, n. 4. — Pro *omnibus abs.* conj. Sigon. *ossibus abs.* collat. Plut. in Numa, p. 74. Ed. — *Duo f.* librorum, *candelis involuti*, i. e. funiculis pice vel cera illitis, ut apud Plin. XXXIII, 7, seu 40, *candelis subigi;* Gron. *Candelæ* quidem primo videntur dictæ, quæ e funiculis, stirpis aliave materia igni concipiendo et alendo apta, et pice cerave delibuta, ad usum nocturni luminis parabantur: sed deinde etiam funiculi pice illiti ad vinciendum; Duk. *Scandulis* conj. Pigh. in Ann. ad a. 572, p. 329. Sed et Hemina apud Plin. XIII, 13, § 27, *lapidem fuisse* dicit *quadratum circiter in media arca vinctum candelis quoquo versus: in eo lapide insuper libros impositos fuisse; propterea arbitrari eos non computruisse: et libros citratos* (al. *cedratos*) *fuisse; propterea arbitrarier tineas non tetigisse.* Alii putant, *candelas* fuisse faces cereas, e corylo seu papyro italico, h. e. scirpis, cera circumdatis, aut ex cedri resina seu palimpissa confectas, quæ cariem ac tineas arcuerint.

4. *Adjicit Antias Valerius* (vide ad III, 1, n. 1, et III, 5, n. 9.), *Pythagoricos fuisse* septem Græcos. Idem tradunt Cassius Hemina, L. Piso et Antias apud Plin. l. l. librosque propterea fuisse combustos. — *Vulgatæ opinioni, qua creditur, Pythagoræ auditorem*, etc. vide ad I, 18, n. 4.

5. *Quod scribam eum quæstor*, quum quæstor fuisset, *Q. Petillius in decuriam legerat;* vid. IX, 46, n. 6.

Digitized by Google

religionum esse[6], L. Petillio dixit, *sese eos libros in ignem conjecturum esse : prius quam id faceret, se ei permittere, uti, si quod seu jus, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur : id integra sua gratia eum facturum.* Scriba tribunos plebis adit; ab tribunis ad senatum res est rejecta. Prætor se jusjurandum dare paratum esse aiebat, libros eos legi servarique non oportere. Senatus censuit, *Satis habendum, quod prætor jusjurandum polliceretur. Libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse. Pretium pro libris, quantum Q. Petillio prætori majorique parti tribunorum plebis videretur, domino esse solvendum.* Id scriba non accepit. Libri in comitio, igne a victimariis facto, in conspectu populi cremati sunt.

XXX. Magnum bellum ea æstate coortum in Hispania citeriore. Ad quinque et triginta millia hominum, quantum nunquam ferme antea, Celtiberi comparaverant. Q. Fulvius Flaccus eam obtinebat provinciam. Is, quia armare juventutem Celtiberos audierat, et ipse, quanta poterat, a sociis auxilia contraxerat, sed nequaquam numero militem hostem æquabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, et castra locavit ad oppidum Æburam[1], modico præsidio in urbe posito. Paucis post diebus Celtiberi, millia duo ferme inde[2], sub colle posuerunt castra. Quos ubi adesse prætor romanus sensit, M. Fulvium fratrem cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quam proxime succedere ad vallum

6. *Pleraque dissolvendarum relig. e;* vide ad III, 24, n. 1.

Cap. XXX. 1. *Ad opp. Æburam* prope Tagum; vid. Steph. et Ptol. II, 6, ubi forte Αἴβουρα leg. pro Αἰβώρα. Drak.

2. *Millia duo ferme inde;* vide ad IX, 24, n. 2.

Digitized by Google

jussum, ut viseret, quanta essent; pugna[3] abstineret, reciperetque sese, si hostium equitatum exeuntem vidisset. Ita, ut præceptum erat, fecit. Per dies aliquot nihil ultra motum, quam ut hæ duæ turmæ ostenderentur; dein subducerentur[4], ubi equitatus hostium castris procucurrissent. Postremo Celtiberi[5], omnibus simul peditum equitumque copiis castris egressi, acie directa medio ferme spatio inter bina castra constiterunt. Campus erat planus omnis et aptus pugnæ. Ibi stetere Hispani hostem exspectantes. Romanus intra vallum suos continuit per quatriduum continuum; et illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. Ab Romanis nihil motum. Inde quievere in castris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat: equites tantum in stationem egrediebantur, ut parati essent, si quid ab hoste moveretur. Pone castra utrique pabulatum et lignatum ibant, neutri alteros impedientes.

XXXI. Prætor romanus, ubi satis tot dierum quiete credidit[1] spem factam hosti, nihil se priorem moturum, L. Acilium cum ala sinistra[2] et sex millibus provincialium auxiliorum circumire montem jubet, qui ab tergo hostibus erat; inde, ubi clamorem audisset, decurrere ad castra eorum: nocte profecti sunt, ne possent conspici. Flaccus luce prima C. Scribonium,

3. *Succedere ad vallum jussum... pugna abstineret*, etc. ita Liv. constructionis variandæ causa etiam XXXVI, 1, extr. verbum *jubere* primum infinitivo, deinde τῷ *ut* junxisse, monent Duk. et Drak. Conf. ad XXXIX, 14, n. 8. *Abstinere recipereque* conj. Gron.

4. *Ostenderentur, dein subducerentur;* vide ad XXXVI, 18, n. 6.

5. *Postremo Celtiberi*; ante *Celtiberi* voculam *et*, quæ a præcedd. editt. aberat, primus addiderat Aldus. Hanc; ex Aldo in omnibus edd. propagatam, delevit Drakenb., non locum habere posse recte judicans: non enim præcessit, Romanos omnibus copiis ex castris egressos esse (duas tantum equitum turmas quotidie ostendisse Livius narrat), ut nunc *et Celtiberi* fecisse dicantur. Ed.

Cap. XXXI. 1. *Ubi satis... credidit:* hæc jungenda; Drak.

2. *Cum ala sinistra;* vide ad XXV, 21, n. 4.

Digitized by Google

præfectum socium, ad vallum hostium cum equitibus extraordinariis[3] sinistræ alæ mittit. Quos ubi et propius accedere, et plures, quam soliti erant, Celtiberi conspexerunt, omnis equitatus effunditur castris : simul et peditibus signum ad exeundum datur. Scribonius, uti præceptum erat, ubi primum fremitum equestrium[4] audivit, avertit equos, et castra repetit: eo effusius sequi hostes; primo equites, mox et peditum acies aderat, haud dubia spe, castra eo die se oppugnaturos. Quingentos passus, non plus, a vallo aberant. Itaque, ubi Flaccus satis abstractos eos a præsidio castrorum suorum ratus est, intra vallum exercitu instructo, tribus partibus simul erumpit, clamore non tantum ad ardorem pugnæ excitandum sublato, sed etiam ut, qui in montibus erant, exaudirent. Nec morati sunt, quin decurrerent, sicut imperatum erat, ad castra; ubi quinque millium armatorum[5], non amplius, relictum erat præsidium. Quos quum et paucitas sua, et multitudo hostium, et improvisa res terruisset, prope sine certamine capiuntur castra. Castris[6],

3. *Equitibus extraordinariis;* vide ad III, 5, n. 3.

4. *Fremitum equestrium*, immo *equestrem*, ut dicitur *procella equestris, terror equestris, auxilium equestre;* vide supra ad lib. X, 5, n. 4. Mox *castra eo die se expugnaturos;* Gron. et Drak. — Doering. quoque *expugnaturos* probare videtur, etsi *oppugnaturos* ediderit. « Sc., inquit, quum a Romanis, per plures dies intra castra se continentibus, nulla adhuc pugnæ facta esset copia, spes sane et facultas eorum castra *oppugnandi* Celtiberis haud defuit. At nunc, facta pugnæ copia, se hostium, in pugna victorum, castra fortasse *expugnaturos* esse sperare poterant ». Gronovio vero, ipso Drak. teste, nulli favent codices. Ed.

5. *Quinque millium armatorum:* « Non est quod *quingentorum armatorum* emendes cum Glar. et aliis: nam cum L. Acilio non tantum missa sunt sex millia auxiliorum, sed et alia sinistra sociorum, i. e. pedites ejus et pars equitum. Ala vero socialis si non major, certe haud minor est, quam legio romana, quæ circa hæc tempora quinque admodum millium peditum et *CCC* equitum fuit. Recte igitur Livius Celtiberos præ hostibus ut paucos consideravit ». Drak.

6. *Castris, quæ pars*, etc. pro: et quidem ei parti, quæ, etc. vel *castrorum parti, quæ maxime*, etc.

Digitized by Google

quæ pars maxime a pugnantibus conspici poterat, injecit Acilius ignem.

XXXII. Postremi Celtiberorum, qui in acie erant, primi flammam conspexere. Deinde per totam aciem vulgatum est, castra amissa esse, et tum quum maxime ardere [1]; unde illis terror, inde Romanis animus crevit. Jam clamor suorum vincentium accidebat [2], jam ardentia hostium castra apparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati sunt. Cæterum, postquam receptus pulsis nullus erat, nec usquam, nisi in certamine, spes, pertinacius de integro capessunt pugnam. Acie media urgebantur acriter a quinta legione. Adversus lævum cornu, in quo sui generis provincialia auxilia instruxisse Romanos cernebant, cum majore fiducia intulerunt signa. Jam prope erat, ut sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset: simul ab oppido Æbura, qui in præsidio relicti erant, in medio ardore pugnæ advenerunt, et Acilius ab tergo erat. Diu in medio cæsi Celtiberi; qui supererant, in omnes passim partes capessunt fugam. Equites, bipartito in eos emissi [3], magnam cædem edidere. Ad viginti tria millia hostium eo die cæsa; capta quatuor millia et septingenti, cum equis plus quingentis, et signa militaria octoginta octo. Magna victoria, non tamen incruenta fuit. Romani de duabus legionibus milites paulo plus ducenti, socium latini nominis octingenti triginta, externorum auxiliarium duo millia ferme et quadringenti ceciderunt. Prætor

Cap. XXXII. 1. *Tum quum maxime ardere;* vide ad XXIX, 17, n. 6.

2. *Cl. suorum accidebat;* pro *accidebat* omnes pæne codd. habent *accendebat;* vide ad XXI, 10, n. 15. Ed.

3. *Equites bipartito in eos emissi;* vide ad II, 56, n. 1. Mox *capta quatuor millia ducenti cum equitibus quingentis* cod. Mogunt. Sed librarius cc pro ıɔcc dedisse videtur, et sæpe equi, nunquam equites capti memorantur; Drak.

Digitized by Google

in castra victorem exercitum reduxit. Acilius manere in castris ab se captis jussus: postero die spolia de hostibus lecta, et pro concione donati, quorum virtus insignis fuerat.

XXXIII. Sauciis deinde in oppidum Æburam devectis, per Carpetaniam ad Contrebiam[1] ductæ legiones. Ea urbs circumsessa, quum a Celtiberis auxilia arcessisset, morantibus iis, non quia ipsi cunctati sunt, sed quia profectos a domo inexplicabiles continuis imbribus viæ et inflati amnes tenebant, desperato auxilio suorum, in deditionem venit. Flaccus quoque, tempestatibus fœdis coactus, exercitum omnem in urbem introduxit. Celtiberi, qui a domo profecti erant, deditionis ignari, quum tandem, superatis, ubi primum remiserunt imbres[2], amnibus, Contrebiam venissent, postquam castra nulla extra mœnia viderunt, aut in alteram partem translata rati, aut recessisse hostes, per negligentiam effusi ad oppidum accesserunt. In eos duabus portis Romani eruptionem fecerunt, et incompositos adorti fuderunt. Quæ res ad resistendum eos et ad capessendam pugnam impediit, quod non uno agmine, nec ad signa frequentes veniebant, eadem magnæ parti ad fugam saluti fuit. Sparsi enim toto passim campo se diffuderunt; nec usquam confertos eos hostis circumvenit. Tamen ad duodecim millia sunt cæsa; capta plus quinque millia hominum, equi quadringenti, signa militaria sexa-

Cap. XXXIII. 1. *Ad Contrebiam* urbem Celtiberorum, aut in finibus eorum sitam, quæ et memoratur Floro, II, 17; Velleio, II, 5; Valer. Max. II, 7, § 10, VII, 4, § 5. Conf. Appian. Hisp. 42, qui eam Κομπλέγαν seu Κομπλεγὸν appellat. — *Inexplicabiles continuis imbribus viæ;* dicuntur *inexplicabiles,* quod luto, per continuos imbres collecto, ita oppletæ erant, ut pedes in eo impliciti vix deinde possent expediri. Ed.

2. *Ubi primum remiserunt imbres;* vide ad II, 34, n. 7.

Digitized by Google

ginta duo. Qui palati e fuga domum se recipiebant, alterum agmen Celtiberorum venientium, deditionem Contrebiæ et suam cladem narrando, averterunt. Extemplo in vicos castellaque sua omnes dilapsi. Flaccus, a Contrebia profectus, per Celtiberiam populabundus ducit legiones : multa castella[3] oppugnavit, donec maxima pars Celtiberorum in deditionem venit.

XXXIV. Hæc in citeriore Hispania eo anno gesta: et in ulteriore Manlius prætor[1] secunda aliquot prælia cum Lusitanis fecit. Aquileia colonia latina eodem anno in agro Gallorum est deducta. Tria millia peditum quinquagena jugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. Tresviri deduxerunt, P. Cornelius Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Ædes duæ eo anno dedicatæ sunt: una Veneris Erycinæ ad portam Collinam; dedicavit L. Porcius L. F. Licinus duumvir; vota erat ab consule L. Porcio, Ligustino bello[2] : altera, in foro olitorio, Pietatis. Eam ædem dedicavit M'. Acilius Glabrio duumvir[3]; statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eam ædem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset; locaveratque idem

3. *Multa castella oppugnavit :* lege *expugnavit;* Gron.

Cap. XXXIV. 1. *Manlius prætor;* vide ad XXVIII, 39, n. 1.

2. *Vota erat ab consule L. Porcio Ligustino bello :* quem nihil memorabile gessisse scribit Livius, XXIX, 44 extr. Ex h. l. demum intelligitur, eum cum Liguribus pugnasse : nam in discrimine pugnæ diis ædes voveri solebant; Duk.

3. *Ædem dedicavit M'. Acilius Glabrio duumvir;* vide ad I, 53, n. 3, et XXIII, 30, n. 8. — *Quæ prima omnium in Italia statua aurata est;* conf. Valer. Max. II, 5, § 1. Enimvero signa aurata jam XXXVIII, 35, et XXXIX, 37 commemorantur; Ern. *Statuta* malebat Gron. — *Patri Glabrioni* ex emend. Sigon. ut apud Valer. Max. *patris Glabrionis* omnes MSS et edd. antt. non improb. Drak. qui ita dictum monet *legatorum statuæ positæ* IV, 17, et *dedicare ædem dei* V, 23, al. — *Depugnasset;* id verbum monet Drakenb. sæpe cum

Digitized by Google

ex senatusconsulto. Per eosdem dies, quibus hæ ædes dedicatæ sunt, L. Æmilius Paullus proconsul ex Liguribus Ingaunis triumphavit[4]. Transtulit coronas aureas quinque et viginti[5] : nec præterea quidquam auri argentique in eo triumpho latum. Captivi multi principes Ligurum ante currum ducti. Æris trecenos militibus divisit. Auxerunt ejus triumphi famam legati Ligurum, pacem perpetuam orantes : *ita in animum induxisse Ligurum gentem, nulla unquam arma, nisi imperata a populo romano, sumere.* Responsum a Q. Fabio prætore est Liguribus jussu senatus, *Orationem eam non novam Liguribus esse : mens vero ut nova et orationi conveniens esset, ipsorum id plurimum referre. Ad consules irent, et, quæ ab iis imperata essent, facerent. Nulli alii, quam consulibus, senatum crediturum esse, sincera fide in pace Ligures esse.* Pax in Liguribus fuit. In Corsica pugnatum est cum Corsis. Ad duo millia eorum M. Pinarius prætor in acie occidit: qua clade compulsi obsides dederunt, et ceræ centum millia pondo[6]. Inde in Sardiniam exercitus ductus, et cum Iliensibus, gente ne nunc quidem omni parte pacata, secunda prælia facta. Carthaginiensibus eodem anno centum obsides redditi, pacemque tum iis populus[7] romanus, non ab se tantum, sed ab

emphasi usurpari de gladiatoribus, qui non antea a pugnando cessabant, quam adversarium, cum quo comparati erant, interfecissent. Hinc *depugnare* vel simpliciter pro pugnare, vel fortiter pugnare, vel ita pugnare, ut victoria reportetur, poni solet. Vide exempla quæ affert Drak. ad h. l. Consule quoque Burm. ad Phædr. V, 11, v. 5. Ed.

4. *Proconsul ex Liguribus triumphavit;* vide ad XXVI, 21, n. 1.

5. *Transtulit coronas aureas XXV:* numerum paupertati hujus triumphi convenire, non vero *mille et viginti* cod. Mogunt. monet Drak. — *Æris trecenos;* qui, ex Crev. rationibus, æquant uncias argenti nostrates ternas, cum senis, ut vocant, grossis. Ed.

6. *Et ceræ centum millia pondo;* conf. XLII, 7 pr. — Libræ romanæ 100,000 æquiparantur a Crev. libris parisiensibus 78,125. Ed.

7. *Pacemque tum iis populus... præ*

Digitized by Google

rege etiam Masinissa, præstitit; qui cum præsidio armato agrum, qui in controversia erat[8], obtinebat.

XXXV. Otiosam provinciam consules habuerunt. M. Bæbius, comitiorum causa Romam revocatus, consules creavit[1] A. Postumium Albinum Luscum et C. Calpurnium Pisonem. Prætores exinde facti Ti. Sempronius Gracchus, L. Postumius Albinus, P. Cornelius Mammula, Ti. Minucius Molliculus, A. Hostilius Mancinus, C. Mænius. Ii omnes magistratum Idibus Martiis inierunt. Principio ejus anni, quo A. Postumius Albinus et C. Calpurnius Piso consules fuerunt, ab A. Postumio consule in senatum introducti, qui ex Hispania citeriore venerant a Q. Fulvio Flacco, L. Minucius legatus, et duo tribuni militum, T. Mænius et L. Terentius Massiliota. Hi, quum duo secunda prælia, deditionem Celtiberiæ, confectam provinciam nuntiassent[2], nec stipendio, quod mitti soleret, nec frumento portato ad exercitum in eum annum opus esse, petierunt ab senatu primum, *ut ob res prospere gestas diis immortalibus honos haberetur:* deinde, *ut Q. Fulvio decedenti de provincia deportare inde exercitum, cujus forti opera et ipse et multi ante eum prætores usi essent, liceret. Quod fieri, præterquam quod ita deberet, etiam prope necessarium esset*[3]. *Ita enim obstinatos esse milites, ut non ultra retineri posse in provincia viderentur, injussuque abituri inde essent,*

stitit pro *cum iis* recepi ex MS Harl. et mox ex eodem et cod. Victor. *cum præsidio* pro *tum p.*

8. *Agrum, qui in controversia erat;* conf. cap. 17.

Cap. XXXV. 1. *Bæbius... consules creavit;* vide ad VII, 16, n. 6. — *A. Postumium Albinum Luscum:* de quo agnomine vid. Drak.

2. *Confectam provinciam nuntiassent;* vide ad II, 40, n. 9.

3. *Quod fieri, præterquam... necessarium esset;* nisi cum Doeringio hoc impeditius loquendi genus ita expedias, ut dictum sit pro: quum, id fieri, præterquam quod ita deberet, etiam prope necessarium esset, assentiendum sane videtur J. Fr. Gronovio,

Digitized by Google

si non dimitterentur, aut in perniciosam, si quis impense retineret, seditionem exarsuri. Consulibus ambobus provinciam Ligures esse senatus jussit. Prætores inde sortiti sunt. A. Hostilio urbana, Ti. Minucio peregrina obvenit. P. Cornelio Sicilia, C. Mænio Sardinia. Hispanias sortiti, L. Postumius ulteriorem, Ti. Sempronius citeriorem. Is quia successurus Q. Fulvio Flacco erat, ne vetere exercitu provincia spoliaretur, « Quæro, inquit, de te, L. Minuci, quum con« fectam provinçiam nunties, existimesne, Celtiberos « perpetuo in fide mansuros, ita ut sine exercitu ea « provincia obtineri possit? Si neque de fide Barbaro« rum quidquam recipere[4] aut affirmare nobis potes, « et habendum illic utique exercitum censes; utrum « tandem auctor senatui sis supplementum in Hispa« niam mittendi, ut ii modo, quibus emerita stipen« dia sint, milites dimittantur, veteribus militibus ti« rones immisceantur? an, deductis de provincia ve« teribus legionibus, novas conscribendi et mittendi; « quum contemptum tirocinium[5] etiam mitiores Bar« baros excitare ad rebellandum possit? Dictu, quam « re, facilius sit, provinciam ingenio ferocem[6], rebel« latricem, confecisse? Paucæ civitates, ut quidem ego « audio, quas vicina maxime hiberna premebant, in « jus ditionemque venerunt[7]; ulteriores in armis sunt. « Quæ quum ita sint, ego jam hinc[8] prædico, Patres

qui *esse* pro *esset* legendum esse suspicatus est. Ed.

4. *L. Post. ult., Ti. Sempr. citer.*; perperam vett. edd. et quidam codd. *L. Post. cit., Ti. Sempr. ulter.* Ed. — *De fide Barbar. quidquam recipere*; vide ad VII, 14, n. 1.

5. *Contemptum tirocinium*, contemptus tironum.

6. *Provinciam ingenio ferocem* (provinciales natura feroces)... *confecisse*; vide ad II, 40, n. 9.

7. *In jus ditionemque venerunt*; vide ad XXXV, 16, n. 4.

8. *Ego jam hinc* (forte *hic* e quibusdam MSS) *prædico, me... rempublicam administraturum*; vide ad II, 64, n. 3.

Digitized by Google

« conscripti, me exercitu eo, qui nunc est, rempubli-
« cam administraturum : si deducat secum Flaccus le-
« giones, loca pacata me ad hibernacula lecturum, ne-
« que novum militem ferocissimo hosti objecturum ».

XXXVI. Legatus ad ea, quæ interrogatus erat, respondit : *Neque se, neque quemquam alium divinare posse, quid in animo Celtiberi haberent, aut porro habituri essent. Itaque negare non posse, quin rectius sit, etiam ad pacatos Barbaros, nondum satis assuetos imperio, exercitum mitti. Novo autem, an vetere exercitu opus sit, ejus esse dicere, qui scire possit, qua fide Celtiberi in pace mansuri sint; simul et qui illud exploratum habeat, quieturos milites, si diutius in provincia retineantur. Si ex eo, quod aut inter se loquantur, aut subclamationibus apud concionantem imperatorem significent, quid sentiant, conjectandum sit; palam vociferatos esse, aut imperatorem in provincia retenturos, aut cum eo in Italiam venturos esse.* Disceptationem inter prætorem legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari[1] provincias, prius quam de prætoris exercitu ageretur, æquum censebant. Novus omnis exercitus consulibus est decretus : binæ legiones romanæ cum suo equitatu, et socium latini nominis, quantus semper[2] numerus, quindecim millia peditum et octingenti equites. Cum hoc exercitu Apuanis Liguribus ut bellum inferrent, mandatum est. P. Cornelio et M. Bæbio prorogatum imperium[3], jussique provincias obtinere, donec con-

Cap. XXXVI. 1. *Suas ornari provincias ;* vide ad IX, 40, n. 12.

2. *Quantus semper numerus,* forte *q. tum fere numerus.* Conf. cap. 1, 18, 26. Vox *semper* defendi nequit (vide ad XXII, 36, n. 4), neque satis apte *tum semper* conj. Lips. Mil. Rom. II, 7, ubi et sine necessitate mox emend. *XV millia peditum et mille ducenti equites.* Conf. Duker. et Drakenb.

3. *P. Cornelio et M. Bæbio proro-*

sules venissent. Tum imperatum, ut, dimisso, quem haberent, exercitu, reverterentur Romam. De Ti. Sempronii deinde exercitu actum est. Novam legionem ei quinque millium et ducentorum peditum cum equitibus quadringentis[4] consules scribere jussi, et mille præterea peditum civium romanorum, quinquaginta equites; et sociis e nomine latino imperare septem millia peditum, trecentos equites. Cum hoc exercitu placuit ire in Hispaniam citeriorem Ti. Sempronium. Q. Fulvio permissum, ut, qui milites, ante Sp. Postumium, Q. Marcium consules, cives romani sociive, in Hispaniam transportati essent, et præterea, supplemento adducto, quot amplius duabus legionibus, quam decem millia et quadringenti pedites, sexcenti equites essent, et socium latini nominis duodecim millia[5], sexcenti equites, quorum forti opera duobus adversus Celtiberos præliis usus Q. Fulvius esset, eos, si videretur, secum deportaret. Et supplicationes decretæ, quod is prospere rempublicam gessisset[6]: et cæteri prætores in provincias missi. Q. Fabio Buteoni prorogatum in Gallia imperium est[7]. Octo legiones, præter exercitum veterem, qui in Liguribus in spe

gatum imperium; vide ad XXXV, 1, n. 2. — *Provincias obtinere*, tenere, habere, aut retinere; vide ad III, 36, n. 12, et XXIII, 24, n. 2.

4. *Cum equitibus quadringentis;* vide ad XXIII, 34, n. 7. — *Et sociis e nomine latino:* « Livius non alibi ita loquutus est, et, si lectio genuina est, ordo verborum erit *imperare* (plerique MSS *imperari*) sociis septem *millia peditum e nomine latino.* Nullus tamen codicum vulgatum firmat, nisi Lov. 5 perpetuus editionum assecla, neque assentitur Pighio in Ann. ad a. 573, pag. 334, legenti *e sociis et nomine latino.* Multæ edd. habent *et sociis a n. l.*, plerique MSS *et sociis n. l.* quidam *et s. nom. l.*, quæ ordinaria ac solennis formula est ». Drak.

5. *Socium latini nominis XII millia*, sc. peditum; quæ vox passim omittitur; verbi causa, XL, 18, 44; XLI, 15; Drak.

6. *Prospere rempublicam gessisset;* vide ad II, 64, n. 3.

7. *Buteoni prorogatum in Gallia imperium est;* al. *in Galliam*, prob. Sigon. qui in suis veteribus libris se hanc lect. reperisse dicit: sed vid. XXVI, 18, n. 3. Ed.

Digitized by Google

propinqua missionis erat [8], eo anno esse placuit. Et is ipse exercitus ægre explebatur propter pestilentiam, quæ jam tertium annum urbem Romam atque Italiam vastabat.

XXXVII. Prætor Ti. Minucius, et haud ita multo post consul C. Calpurnius moritur, multique alii omnium ordinum illustres viri : postremo prodigii loco ea clades[1] haberi cœpta est. C. Servilius pontifex maximus piacula iræ deum conquirere jussus, decemviri libros inspicere, consul Apollini, Æsculapio, Saluti dona vovere et dare signa inaurata; quæ vovit deditque. Decemviris supplicationem in biduum valetudinis causa in Urbe et per omnia fora conciliabulaque edixerunt : majores duodecim annis, omnes coronati et lauream [2] in manu tenentes, supplicaverunt. Fraudis quoque humanæ insinuaverat suspicio animis [3]; et veneficii quæstio ex senatusconsulto, quod in Urbe propiusve Urbem decem millibus passuum esset commissum, C. Claudio prætori, qui in locum Ti. Minucii erat suffectus; ultra decimum lapidem per fora conciliabulaque [4] C. Mænio, prius quam in Sardiniam provinciam trajiceret, decreta. Suspecta consulis erat mors maxime. Necatus a Quarta Hostilia uxore dicebatur. Ut quidem filius ejus Q. Fulvius Flaccus in locum vitrici consul est declaratus, aliquanto magis in-

8. *Præter exercitum veterem, qui ...erat,* forte *exercitus veteres, qui erant.* Sed etiam supra hoc cap. et inf. cap. 38, dici *exercitum,* scil. qui cuique consuli esset, monet Drak.

Cap. XXXVII. 1. *Ea clades,* ea calamitas per pestilentiam illata. Sic VI, 20 fin. clades dicitur de pestilentia, aut calamitosis pestilentiæ effectibus : *Pestilentia etiam brevi consequuta, nullis occurrentibus tantæ cladis causis.* Ed. — *Decemviri libros inspicere;* vide ad III, 10, n. 6. — *Consul,* qui superstes erat, altero mortuo.

2. *Coronati et lauream,* etc. vide ad XXIII, 11, n. 7.

3. *Insinuaverat suspicio animis;* vide ad II, 3, n. 2.

4. *Fora conciliabulaque;* vide ad XXV, 5, n. 3.

Digitized by Google

famis mors Pisonis cœpit esse; et testes exsistebant, qui post declaratos consules Albinum et Pisonem, quibus comitiis Flaccus tulerat repulsam, et exprobratum ei a matre dicerent, quod jam ei tertium negatus consulatus petenti esset, et adjecisse, *pararet se ad petendum; intra duos menses effecturam, ut consul fieret.* Inter multa alia testimonia, ad causam pertinentia, hæc quoque vox, nimis vero eventu comprobata, valuit, cur Hostilia damnaretur. Veris principio hujus, dum consules novos delectus Romæ tenet, mors deinde alterius, et creandi comitia consulis in locum ejus, omnia tardiora fecerunt: interim P. Cornelius et M. Bæbius, qui in consulatu nihil memorabile gesserant, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt.

XXXVIII. Ligures, qui ante adventum in provinciam consulum non exspectassent bellum, improviso oppressi, ad duodecim millia hominum dediderunt se. Eos, consulto per literas prius senatu, deducere ex montibus in agros campestres[1] procul ab domo, ne reditus spes esset, Cornelius et Bæbius statuerunt, nullum alium ante finem rati fore Ligustini[2] belli. Ager publicus populi romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum [fuerat. In eum quum] traducere Li-

Cap. XXXVIII. 1. *In agros campestres;* vide ad X, 2, n. 3.

2. *Nullum alium ante finem rati fore L. belli,* vel *alium* vel *ante* superest, sed potius *ante;* Gron. Sed similiter *unquam* et *nunquàm ante alias* I, 28; XXII, 58; XXXI, 7; XXXII, 5 dicitur; Duk. — *Taurasinorum* non alibi fit mentio; et conjecturas Cluverii in Ital. Ant. IV, 8, pag. 1200 (ubi Ligures, qui Corneliani et Bæbiani Plin. III, 11, et Front. de Col. pag. 106 dicantur, traductos putat in Hirpinos, Samnitium conterminos, citra Apenninum ad Calorem fl., ad cujus dextram ripam fuisse contendit, non probat, oppid. *Taurasium*, nunc *Taurasi* dictum), jam refutavit Cellar. Geogr. Ant. II, 9, pag. 556. Ταυρασία opp. Galliæ Transpad. apud Appian. Hann. 5 ab h. l. alienum. Forte leg. *Taurianorum*, aut *Caudinorum:* ἡ Ταυριανὴ χώρα apud Strab. VI, 1, § 3, pag. 254, ubi conf. Ca-

Digitized by Google

gures Apuanos vellent, edixerunt, Ligures ab Anido montibus descendere[3] cum liberis conjugibusque; sua omnia secum portarent. Ligures, sæpe per legatos deprecati, ne penates, sedem, in qua geniti essent, sepulcra majorum, cogerentur relinquere, arma, obsides pollicebantur. Postquam nihil impetrabant, neque vires ad bellandum erant, edicto paruerunt. Traducti sunt publico sumptu ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque. Argenti data centum et quinquaginta millia[4], unde, in novas

saub. *Tauraninorum* conj. Sigon. et Camill. Peregr. de Capua, II, 23. Ταυρανίη πόλις Ἰταλίας apud Steph. et *Taurania* urbs Campaniæ apud Plin. III, 5 seu 9. Sed *Samnitum* h. l. oppidum memoratur. Verba seqq. (*fuerat. In eum quum*) adjecit Sigon., ut expleret lacunam MSS.

3. *Edixerunt, Ligures ab Anido montibus descendere* verba corrupta, *ut Ligures Apuani de montibus descenderent* conj. Muretus, et *ab Anido monte ut descenderent* Cluv. Ital. Ant. I, 10, pag. 76, ubi suspicabatur, Anidum montem esse eum, qui, Macram effundens flumen, nunc dicitur *monte Borgada* seu *Borgalla*. Cf. XXXIX, 32, n. 1. Neutrum satisfacit; diplicetque tum repetitio verborum *Ligures Apuani*, tum nomen unius montis. Sufficiebat: *edixerunt, eos montibus descendere:* neque est quod offendamur hac dictione; vide ad XXXVII, 49, n. 1.

4. *Argenti data CL millia*, summa nimis magna, si pondo intelligamus, nimis exigua, si denarios; multo magis, si cum Glar. adjiciamus *sestertium*, cui voci etiam Latini non addunt *argenti*, quia nulli alii fuere sestertii, quam argenti; Drak. — Fusius, quæ observat Drak. ad h. l., jam exposuit Creverius, cujus nota est: « Glareanus dubitanter: *adjiciendum puto, sestertium*. Hoc velut ex oraculo profectum arripuerunt editores omnes, et in contextum inseruerunt, quum tamen nihil sit minus probabile. Primo enim, non existimamus ex usu fuisse Latinorum, ut, quum per sestertios numerarent, apponerent vocem *argenti*, quæ quidem omnino supervacanea erat, quum nulli essent sestertii alii quam argentei. Secundo, centum et quinquaginta millia sestertium æquant marcas argenti nostrates 586 fere: summa perridicule exigua, quæ in quadraginta hominum millia dividatur. Resecandum ergo duximus inconcinnum additamentum. Rursus si vel intelligamus vel adjiciamus *pondo*, immane pondus argenti exsurget: marcæ nostrates 234,375, præterquam quod verisimile non est argentum non signatum Liguribus datum esse. Suspicamur potius per τὸ *argenti* hic indicari denarios, quemadmodum in compluribus aliis locis hæ voces argenti *bigati* vel *quadrigati*, junctæ cum numero *millia*, exprimunt bigatos vel quadrigatos denarios. Sed quum denarii 150,000 efficiant tantummodo

Digitized by Google

ædes, compararent, quæ opus essent. Agro dividendo dandoque iidem, qui traduxerant, Cornelius et Bæbius præpositi. Postulantibus tamen ipsis, quinqueviri ab senatu dati, quorum ex consilio agerent. Transacta re, quum veterem exercitum Romam deduxissent, triumphus ab senatu est decretus. Hi omnium primi nullo bello gesto triumpharunt. Tantum hostes ducti ante currum[5]; quia, nec quid ferretur, neque quid duceretur captum, neque quid militibus daretur, quidquam in triumphis eorum fuerat.

XXXIX. Eodem anno in Hispania Fulvius Flaccus proconsul[1], quia successor in provinciam tardius veniebat, educto exercitu ex hibernis, ulteriorem Celtiberiæ agrum, unde ad deditionem non[2] venerant, institit vastare. Qua re irritavit magis, quam conterruit, animos Barbarorum; et, clam comparatis copiis, saltum Manlianum, per quem transiturum exercitum romanum satis sciebant, obsederunt. In Hispaniam ulteriorem eunti L. Postumio Albino collegæ Gracchus mandaverat, ut Q. Fulvium certiorem faceret, Tarraconem exercitum adduceret[3]. *Ibi dimitti veteranos, supplementaque distribuere, et ordinare omnem*

pondus marcarum argenti Parisiensium fere 2,344, facile crediderimus numerum hoc loco esse depravatum, et minorem eo quem Livius dederat. Ed. — *In novas ædes*, immo *sedes;* Crever.

5. *Tantum hostes ducti ante currum;* sed nulli fuerunt: nisi intelligas *XII* millia Ligurum, qui se initio cap. dedidisse dicuntur, improviso oppressi; Crev. Forte leg. *obsides*, certe mox ter *quod* pro *quid;* Gronov. Malim: *Non tum hostes ducti ante currum; quin nec quod*, etc. De simili triumpho vide ad XXXI, 49 pr.

Cap. XXXIX. 1. *Fulvius Flaccus proconsul;* Aldus edidit *proprætor*, et inde Sigon. *pro prætore*. At Mogunt. vulgarant ex unico cod. suo *proconsul* quod revocavit Drak. Cæterum vid. XXVIII, 38, n. 4. Ed.

2. *Ad deditionem non venerant*, sc. Celtiberi. — *Institit vastare;* vide ad XXIV, 26, n. 7.

3. *Ut Q. Fulvium certiorem faceret, Tarraconem exercitum adduceret*, id est, ut eum juberet adducere: sed locutio vix satis congrua et latina; Crever. — Suspicatur Doering. ante *Tarraconem* voces quasdam, v. c. *opus*

Digitized by Google

exercitum sese velle. Dies quoque, et ea propinqua, edita Flacco est, qua successor esset venturus. Hæc nova allata res, omissis, quæ agere instituerat, Flaccum raptim deducere exercitum ex Celtiberia quum coegisset, Barbari, causæ ignari, suam defectionem et clam comparata arma sensisse eum et pertimuisse rati, eo ferocius saltum insederunt. Ubi eum saltum prima luce agmen romanum intravit, repente ex duabus partibus simul exorti hostes Romanos invaserunt. Quod ubi vidit Flaccus, primos tumultus, in agmine per centuriones stare omnes, suo quemque loco, et arma expedire jubendo, sedavit; et, sarcinis jumentisque in unum locum coactis, copias omnes partim ipse, partim per legatos tribunosque militum, ut tempus, ut locus postulabat[4], sine ulla trepidatione instruxit; *cum bis deditis rem esse* admonens. *Scelus et perfidiam illis, non virtutem, nec animum accessisse. Reditum ignobilem in patriam, clarum ac memorabilem eos sibi fecisse: cruentos ex recenti cæde hostium gladios, et manantia sanguine spolia, Romam ad triumphum delaturos.* Plura dici tempus non patiebatur. Invehebant se hostes, et in partibus extremis jam pugnabatur. Deinde acies concurrerunt.

esse ut, vel simile quid in hanc sententiam, excidisse. Ed. — *Dimitti*, forte *dimittere*; Gron.

4. *Ut t., ut locus p.;* Basil. a. 1554 ediderant *ut tempus et locus postulabat;* quod anno sequenti, teste Drakenb., Sigonius recepit, et post eum omnes editores servarunt. Mog. vero usque ad Basilienses vulgarunt, *ut tempus, ut*, etc. quod Drakenb. revocavit. Supra ad IV, 4 fin. *ut hominum, ut civium numero simus;* XXV, 6 fin. *ut virorum, ut militum officio fungamur.* Conf. Drakenb. ad V, 35, § 4. Ed. — *Cum bis ded. rem esse* cod. Mogunt. *cum vim deditis remisisset* cæteri MSS. At quomodo *bis dediti?* nisi imperator deditionem Contrebiæ et maximæ partis Celtiberorum (vide ad cap. 33) pro duplici voluerit numerari; Drak. — *Animum accessisse illis;* vide ad XXIV, 27, n. 5. — *Reditum ignobilem* vocat, quum milites, qui ex provincia Romam deducuntur, in itinere ab hostibus non infestantur; Drak. *Nobilem* MSS et edd.

Digitized by Google

XL. Atrox ubique prælium, sed varia fortuna erat. Egregie legiones, nec segnius duæ alæ[1] pugnabant; externa auxilia ab simili armatura, meliore aliquantum militum genere, urgebantur, nec locum tueri poterant. Celtiberi, ubi ordinata acie et signis collatis se non esse pares legionibus senserunt, cuneo impressionem fecerunt. Quo tantum valent genere pugnæ, ut, quacumque parte perculere impetu suo[2], sustineri nequeant. Tunc quoque turbatæ legiones sunt, prope interrupta acies. Quam trepidationem ubi Flaccus conspexit, equo advehitur ad legionarios equites, et, « Ecquid auxilii in vobis est? Actum jam de hoc exer« citu erit? » Quum undique acclamassent, *quin ederet*[3], *quid fieri velit; non segniter imperium exsequuturos :* « Duplicate turmas, inquit, duarum legionum « equites, et permittite equos[4] in cuneum hostium, « quo nostros urgent. Id cum majore vi equorum fa« cietis, si effrenatos in eos equos immittitis; quod « sæpe romanos equites[5] cum magna laude fecisse « sua, memoriæ proditum est ». Dicto paruerunt, detractisque frenis bis ultro citroque cum magna strage hostium, infractis omnibus hastis, transcurrerunt.

ante Frob. qui a. 1535 *ignobilem* substituit, forte e cod. Mogunt.

Cap. XL. 1. *Duæ alæ pugnabant;* vide ad XXV, 21, n. 4. — Clare hoc loco tria distingui militum genera in romano exercitu Crev. observat; *legiones* e civibus romanis; *alæ*, e sociis et nomine latino *externa auxilia*, ex aliis gentibus. Ed.

2. *Perculere impetu suo*, sc. legiones, vel hostem, ut II, 65; XXIII, 44; XXXIV, 15 pr. Duk. Conf. ad II, 14, n. 2. *Pertulere impetum suum* vel *impetus suos* conj. Faber et Crev. — *Equo advehitur ad legionarios equites, et* inquit (quod passim omittitur, vel ex seqq. supplendum est): *Ecquid auxilii*, etc. vide ad I, 9, n. 3. *Et ni quid auxilii in vobis est, actum jam de hoc e. erit* emend. Gronov. et paulo ante *prope interrupta acie* Duk. et Drak.

3. *Quin ederet;* vide ad I, 18, n. 2, et XLVII, 49, n. 5.

4. *Permittite equos in c. h.* vide ad II, 56, n. 1. Mox τὸ *equorum* vel τὸ *equos* forte glossatori debetur.

5. *Si effrenatos*, infrenos, *in eos* hostes *equos immittitis, quod sæpe romanos equites*, etc. conf. IV, 33,

Digitized by Google

Dissipato cuneo, in quo omnis spes fuerat, Celtiberi trepidare, et, prope omissa pugna, locum fugæ circumspicere. Et alarii equites[6], postquam romanorum equitum tam memorabile facinus videre, et ipsi, virtute eorum accensi, sine ullius imperio in perturbatos jam hostes equos immittunt. Tunc vero Celtiberi omnes in fugam effunduntur, et imperator romanus, aversos hostes contemplatus, ædem Fortunæ Equestri[7], Jovique Optimo Maximo ludos vovit. Cæduntur Celtiberi per totum saltum dissipati fuga. Decem et septem millia hostium cæsa eo die traduntur; vivi capti plus quatuor millia, ducentis septuaginta septem cum signis militaribus, equis prope mille centum. Nullis castris eo die victor exercitus mansit[8]. Victoria non sine jactura militum fuit. Quadringenti septuaginta duo milites romani, socium ac latini nominis mille decem et novem, cum his tria millia militum auxiliariorum perierunt. Ita victor exercitus, renovata priore gloria, Tarraconem est perductus. Venienti Fulvio Ti. Sempronius prætor, qui biduo ante venerat, obviam processit, gratulatusque est, quod rempublicam egregie gessisset[9]. Cum summa concordia, quos dimitterent, quosque retinerent milites, composuerunt. Inde Fulvius, exauctoratis militibus in naves imposi-

et VIII, 80. — *Infractis*, fractis, diffractis, *omnibus hastis* equitum rom., cum hoste congressorum; Drak.

6. *Al. equites;* vid. XXV, 21, n. 4.

7. *Ædem Fortunæ Equestri*, quoniam virtuti equitum secundam debebat fortunam. Conf. XLII, 3, n. 10, et ad Tac. Ann. III, 71, n. 2; Donat. Urb. Rom. III, 22; Nardin. Rom. IV, 3.

8. *Nullis castris eo die victor exercitus mansit*, quia iter facientem Celtiberi ex insidiis in saltu invaserunt: unde non potuit in sua castra regredi, quæ, si proxima nocte ea munierant, inde moventes diruerant; neque etiam in castris hostium manere, qui tantum variis locis saltum Manlianum obsederant; Drak.

9. *Rempublicam egregie gessisset;* vide ad II, 64, n. 3. — *Cum summa concordia..... composuerunt;* vide ad III, 53, n. 2. — *Exauctoratis mil.;* perperam ed. Mog. *ex authoritate.* Ed.

Digitized by Google

tis, Romam est profectus. Sempronius in Celtiberiam legiones duxit.

XLI. Consules ambo in Ligures exercitus induxerunt diversis partibus. Postumius prima et tertia legione Balistam Suismontiumque montes obsedit, et premendo præsidiis angustos saltus eorum, commeatus interclusit, inopiaque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius, secunda et quarta legione adortus a Pisis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditionem acceptos[1], ad septem millia hominum in naves impositos, præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit. Inde in Samnium traducti, agerque his inter populares datus est. Montanorum Ligurum ab A. Postumio vineæ cæsæ, frumentaque deusta, donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Navibus inde Postumius ad visendam oram Ingaunorum Intemeliorumque Ligurum processit. Prius quam hi consules venirent ad exercitum, qui Pisas[2] indictus erat, præerant A. Postumius et frater Q. Fulvii M. Fulvius Nobilior. Secundæ legionis Fulvius tribunus militum erat. Is mensibus suis dimisit legionem[3], jurejurando adactis centurionibus, æs in ærarium ad quæstores esse delaturos. Hoc ubi Placentiam (nam

Cap. XLI. 1. *In deditionem acceptos;* vide ad VIII, 20, n. 7.—*Agerque his inter populares datus est*, a P. Cornelio et M. Bæbio in Samnium traductos; vide ad cap. 38., ubi agro dividendo illi præponuntur. Ed.

2. *Pisas indictus exercitus;* vide ad IV, 25, n. 4.

3. *Præerant* exercitui *A. Postumius et M. Fulvius Nobilior... is mensibus suis dimisit legionem;* nam sex tribuni militum cujusque legionis ita dividebant imperium, in castris certe, ut bini illud, alternis forte diebus, obtinerent per binos menses semestris spatii (æstatis, ni fallor), et, altero ægro aut impedito aut absente, alter ejus expleret vicem; vid. Polyb. VI, 34, et Lips. de Mil. Rom. V, 10. — *Æs in ærarium ad quæstores esse delaturos*, stipendium, puto, militare, jam a quæstoribus numeratum, et nihil pertinens ad eos milites, qui dimittebantur; Crever.

Digitized by Google

eo forte erat profectus) Aulo nuntiatum est[4], cum equitibus expeditis sequutus dimissos, quos eorum potuit assequi, deduxit castigatos Pisas[5]. De cæteris consulem certiorem fecit[6]. Eo referente, senatusconsultum factum est, ut M. Fulvius in Hispaniam relegaretur[7] ultra novam Carthaginem: literæque ei datæ sunt a consule ad P. Manlium in Hispaniam ulteriorem deferendæ. Milites jussi ad signa redire. Causa ignominiæ, uti semestre stipendium in eum annum esset ei legioni, decretum[8]: qui miles ad exercitum non redisset, eum ipsum bonaque ejus vendere consul jussus.

XLII. Eodem anno L. Duronius, qui prætor anno superiore ex Illyrico cum decem navibus Brundisium

4. *Aulo nuntiatum est*, sc. A. Postumio, alteri tribuno militum. *Aulo* ex emend. Sigon. pro vulg. *Fulvio:* nam Fulvius consul tum Romæ adhuc erat, certe nondum *venerat ad exercitum*, Pisas indictum, adeoque inde non *Placentiam profectus erat.*

5. *Deduxit castigatos Pisas*, lege *reduxit;* Gron.

6. *Consulem certiorem fecit*, Q. Fulvium.

7. *Ut M. Fulvius* Nobilior *in Hispaniam relegaretur:* is primum dictus Cn. Fulvius Flaccus, et post adoptionem M. Fulvius Nobilior; fuitque frater patruelis Q. Fulvii Flacci cos. a. 570, cujus legionem dimisit, et frater germanus Q. Fulvii Flacci cos. a. 571, et censoris a. 576, a quo postea illam ob causam senatu motus est. Conf. XLI, 27 pr. Vell. I, 10; Cic. Verr. I, 41; Valer. Max. II, 7, § 5; Frontin. Strat. IV, 1, § 32. *M. Fulvius* autem Velleio *Cn.* dicitur, et infra ad XLI, 27 in edd. antt. *L.*, in recentt. ex emend. Sigonii *Cn.* sed ibi potius leg. *M.* « Velleius potuit non habere rationem adoptionis; quam cur Livius, qui eum hoc cap. bis *M.* appellat, XLI, 27, aliquot post annis, quam hic a M. Fulvio Nobiliore adoptatum fuisse significaverat, habere non voluerit, dici non potest ». Duk. Conf. Oudend. ad Front. l. l. — *Literæque* e cod. Mog. *remitteretque* edd. antt. unde Gronov. conj. *SC. literæque*, ut XXVI, 15; XXXVII, 57; XLI, 12, et forte XXII, 26. Sed hæc exempla agunt de tali SCto, quod exsequi debebat, ad quem mittebatur: hic contra Fulvius SCto relegatur, et literæ tantum dantur ad P. Manlium, ex quibus cognosceret, quare in provinciam, cui præesset, venerit Fulvius; Drakenb.

8. *Causa ignominiæ... decretum;* vide ad II, 31, n. 2. Qua ignominia affecti milites dicebantur *ære diruti;* Sigon. ex Non., Varrone et Festo. Conf. Ernesti Clav. Cic. voc. *æs*, et Schel. post notas in Hygin. Grom. et Polyb. de Castram. Rom. cap. 3.

Digitized by Google

redierat, inde, in portu relictis navibus, quum venisset Romam, inter exponendas res, quas ibi gessisset, haud dubie in regem Illyriorum Gentium[1] latrocinii omnis maritimi causam avertit. *Ex regno ejus omnes naves esse, quæ superi maris oram depopulatæ essent: de his rebus se legatos misisse, nec conveniendi regis potestatem factam.* Venerant Romam legati a Gentio, qui, *quo tempore Romani conveniendi regis causa venissent, ægrum forte eum in ultimis partibus fuisse regni* dicerent. *Petere Gentium ab senatu, ne crederent confictis criminibus in se, quæ inimici detulissent.* Ad ea Duronius adjecit, multis civibus romanis et sociis latini nominis injurias factas in regno ejus, et cives romanos dici Corcyræ retineri[2]. Eos omnes Romam adduci placuit; C. Claudium prætorem cognoscere; neque ante Gentio regi legatisve ejus responsum reddi. Inter multos alios, quos pestilentia ejus anni absumpsit, sacerdotes quoque aliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus pontifex mortuus est: in ejus locum suffectus est Q. Fabius Labeo. P. Manlius, qui nuper ex ulteriore Hispania redierat, triumvir epulo[3]: Q. Fulvius M. F. in locum ejus triumvir cooptatus; tum prætextatus erat. De rege sacrifico[4] sufficiendo in locum Cn. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium pontificem maxi-

Cap. XLII. 1. *In regem Illyriorum Gentium;* vide ad XXII, 33, n. 3.— *Causam avertit;* vide ad XXVI, 30, n. 1. Mox τὸ *se* ante *legatos misisse* primus addidit Frob. a. 1535, sed forte e cod. Mogunt. Conf. ad IV, 57, n. 1.

2. *Corcyræ retineri*, quæ forte est Corcyra Nigra, sinus Hadriatici insula, Plinio et aliis memorata; Drak. *Detineri* recte, puto, emend. Jac. Periz.

3. *Triumvir epulo;* vide ad XXIII, 30, n. 8, et XXV, 2, n. 7. — *Q. Fulvius M. F. cooptatus;* vide ad III, 64, n. 5. — *Prætextatus;* vide ad XXII, 57, n. 10.

4. *De rege sacrifico;* forte *sacrificulo;* Drak.—*Cn. Cornelii Dolabellæ* regis sacrorum (vide ad XXVII, 36),

Digitized by Google

mum fuit et L. Cornelium Dolabellam duumvirum navalem. Quem, ut inauguraret, pontifex magistratu sese abdicare jubebat: recusantique id facere ob eam rem mulcta duumviro dicta a pontifice; deque ea, quum provocasset, certatum ad populum. Quum plures jam tribus intro vocatæ [5], dicto esse audientem pontifici duumvirum, juberent, mulctamque remitti, si magistratu se abdicasset; ultimum de cælo, quod comitia turbaret, intervenit [6]. Religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellæ [7]. P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus [8] erat. Exitu anni et C. Servilius Geminus pontifex maximus

qui mortuus erat. — *Magistratu sese abdicare jubebat;* quia nempe non licebat regem sacrorum ullum gerere magistratum. Ed.

5. *Tribus intro vocatæ;* vide ad X, 13, n. 9.

6. *Ultimum de cælo, quod comitia turbaret, intervenit,* postremo (*ultimum*, ut *ad ultimum* I, 53; V, 10; XXVI, 27; XLII, 43, 44, n. 4), vitium (vide ad V, 17, n. 4), fulgur aut tonitru *intervenit* in medio negotio, quasi ex insidiis supervenit (gall. *venir à la traverse*), ut apud Terent. in prol. Hec. *intervenit vitium et calamitas;* Guther. de Jur. Pont. I, 11, *ultimum*, ad ultimum, ultimo, ut *postremum* XXXIV, 23, et *summum* XXXI, 42, pro ad summum; Drak. Conf. ad I, 29, n. 3, et XLV, 19, n. 11. *Portentum* vel *monstrum* vel *fulmen* pro *ultimum* conj. Glar. et *vitium* Sigon. probb. Duk. et Jac. Periz. Possis et tentare *fulmen jactum de cœlo;* conf. ad XXVIII, 27 extr. Sed nil mutandum esse, recte, opinor, judicarunt Ant. Periz. et Drakenb. ad h. l. Gron. ad XLV, 19, et Snakenb. ad Curt. III, 1, n. 7.

7. *Religio inde fuit p. i. D.* vide ad II, 5, n. 4.

8. *P. Clœlium Siculum inaugurarunt*, scil. regem sacrorum, *qui secundo loco inauguratus fuerat*, sc. pontifex; Gron. Quomodo talis vir hæc ita explicare, atque profiteri potuerit, sibi videri nihil hic esse difficultatis, vix assequor. Nota Dukeri est: « Primum probandum fuerat, eumdem simul regem sacrificulum et pontificem esse potuisse, deinde Clœlium ante una cum alio pontificem factum, denique eum secundo, alterum primo loco pontificem inauguratum fuisse. Quanta etiam obscuritate verborum ita Livius mentem suam involvisset? Non magis probanda sententia Gruchii de Com. Rom. I, 4, pag. 613, ubi putat, quemadmodum in comitiis centuriatis magistratuum plures candidati fuerint, sic in comitiis centuriatis regis sacrorum pro candidatis fuisse duos tresve, quos pontifex max. inauguraverit, et ex iis populum suffragiis suis, quem vellet, regem sacrorum creasse; adeoque Dolabellam primo, Clœlium secundo loco inauguratum, hunc vero, comitiis illius di

Digitized by Google

decessit : idem decemvir sacrorum fuit[9]. Pontifex in locum ejus a collegio cooptatus est Q. Fulvius Flaccus; factus autem pontifex maximus M. Æmilius Lepidus, quum multi clari viri petissent: et decemvir sacrorum Q. Marcius Philippus in ejusdem locum est cooptatus. Et augur Sp. Postumius Albinus decessit.

remptis vitio, a populo creatum fuisse. Enimvero regem sacrorum statim post exactos reges a pontificibus et auguribus creatum fuisse, Dionys. Halicarn. V, 1, auctor est; et h. l. non memorantur comitia regis sacrorum creandi, neque centuriata, sed tributa, quibus de *mulcta* certabatur. Præterea ex h. l. evidens est, Dolabellam nondum inauguratum fuisse, quum hæc comitia haberentur. Neque etiam sacerdotes usquam *inaugurari* dicuntur ante, sed postquam a collegio cooptati, aut ab iis, quibus id jus erat, creati fuerant. Denique ea ratio unum e pluribus regem sacrorum faciendi fuisse, quam sibi Gruchius finxit, probari non potest. Nihilo plus ad intelligendum hunc locum me juvant, quæ scripsere Turneb. Advers. XXX, 24; Guther. de Jure Pont. I, 11, et, qui cum Gron. sentit, Græv. in Præfat. t. V, Ant. Rom. Ipse quidem nihil melius habeo dicere. Sed mihi in mentem venit, si pro *erat* legi liceret *est*, hunc paulo tolerabiliorem sensum futurum. Quum pontifex max. primo inaugurare voluisset Dolabellam, deinde, injecta religione ex vitio comitiorum, loco illius Clœlium velut in subsidium et secundo loco inauguratum fuisse. At vel sic ineptum aliquid in importuna hac lacinia est. Nam fortassis nec recte *secundo loco* inauguratus dicitur, ante quem alius primo loco inauguratus non fuerat; nec opus erat addi, quod ex iis, quæ jam dicta erant, satis intelligi poterat ». Vel hæc verba vitiata, vel illa *qui secundo loco inauguratus erat* a mala manu inserta esse, vel breviter et obscure hic indicari morem aliquem Romanorum nobis incognitum, monent Crev. et Drak. *Qui secundo loco*, secundum Dolabellam, *creatus erat* (quod verbum de rege sacrorum dicitur II, 2 pr. VI, 41; IX, 34), non male conj. Ern. putans, verbum *inaugurare* male repetitum esse a librariis.

9. *Pontifex max. decessit: idem decemvir sacr. fuit;* vide ad XXVII, 6, n. 8. — *Pontifex in locum ejus a collegio cooptatus est Q. Fulvius Flaccus; factus autem pontifex max. Lepidus;* vide ad XXV, 5, n. 1. MS Mog. *in* et edd. antt. *ante pontificem maximum Æmilius Lepidus.* Sigon. emend. *at pontifex maximus* (quod recepere editores recentt.), et Gronov. *creato ante pontifice maximo M. Æmilio Lepido.* Nihil horum probandum: nam vitiose dicitur *in pontificem max. cooptari*, et pontifex max. neque a collegio *cooptatur*, neque ante cooptationem novi pontificis creatur a populo; vide ad XXV, 5, n. 1. Sigonii conjecturam probat Drakenb. putatque, non ex præcc. vel seqq. repetendum esse *cooptatus est*, sed intelligendum *creatus est;* vide ad I, 33, n. 7. Quis vero sibi persuadeat, Livium tam obscure et ambigue h. l. loquutum esse? Nos levi mutatione lectionis manifesto corruptæ reposui-

Digitized by Google

In locum ejus P. Scipionem, filium Africani[10], augures cooptarunt. Cumanis eo anno petentibus permissum, ut publice latine loquerentur, et præconibus latine vendendi jus esset[11].

XLIII. Pisanis agrum pollicentibus, quo latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ. Triumviri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, M. et P. Popillii Lænates. A C. Mænio prætore (cui[1], provincia Sardinia quum evenisset, additum erat, ut quæreret de veneficiis longius ab Urbe decem millibus passuum) literæ allatæ, *Se jam tria millia hominum damnasse, et crescere sibi quæstionem indiciis. Aut eam sibi esse*

mus *cooptatus est Q. Fulvius Flaccus; factus autem pont. max. Lepidus.* Forte et *Flaccus* e margine irrepsit (nam passim simpl. *Q. Fulvius* dicitur), et extrusit vocem *factus*, aut hæc mutata est in *Flaccus*. Facile *factus* etiam post *Flaccus* excidere, *autem* in *ante* mutari, et *pont. max.* vel per se vel propter *ante* legi *pontificem maximum* potuit.

10. *P. Scipionem, filium Africani, a. c.* vide ad XXXVII, 34, n. 2. — Hunc P. Scipionem qui augur nunc cooptatur, ædilem curulem fuisse L. Anicio, M. Cornelio consulibus, existimat Drakenb. Scriptum est nempe in indice Adelphorum Terentii: *Acta ludis Q. Fabio Maximo, P. Cornelio Africano ~~ædilibus~~ curulibus, L. Anicio, M. Cornelio consulibus:* nec de alio potest intelligi. Ed.

11. *Cumanis eo anno petentibus permissum, ut publice latine loquerentur, et præconibus latine vendendi jus esset:* hæc Lips. de Rect. Pronunc. lat. ling. cap. 3, et alii de scriptis et decretis actisque publicis accipiunt, et colligunt hinc, sermonem latinum non omnibus olim Romanis promiscuum, aut certe a Romanis aliquandiu linguam suam non cum finitimis communicatam fuisse. « Mihi hic adhuc tenebræ sunt. Primum enim verba *publice latine loqui* illam interpretationem vix possunt recipere. Deinde, si hic eorum sensus est (nam de publico omnium usu sermonis latini ea intelligi non patiuntur illa, quæ de *præconibus* addit Livius), cur Cumani *præconibus* præcipue *jus latine vendendi* a senatu petere voluerint. Denique, quam causam habuerint Romani, Cumanis municipibus (vide ad VIII, 14) usum sermonis latini negandi ». Duk. Cf. *C. H. Schmid über das Privilegium Lateinisch zu reden* Giess 1786, 8 (*in d. neven Literatur- und Völkerkunde* I, 1, n. 1, et V, pag. 67 seq. 373 seq.). « Lucem mutuam dat et accipit Vell. I, 4. *Cumanos Osca mutavit vicinia*, scilic. jam antea sermonem græcum cum barbaro commutaverat; nunc in romanum abiit. Tandem ab Augusto colonia deducta ». Heyne, Opusc. Acad. t. II, pag. 268; conf. id. t. V, pag. 437.

Cap. XLIII. 1. *A. C. Mænio prætore, cui*, etc. conf. cap. 37. — *De-*

Digitized by Google

deserendam, aut provinciam dimittendam. Q. Fulvius Flaccus ex Hispania rediit Romam cum magna fama gestarum rerum. Qui quum extra Urbem triumphi causa[2] esset, consul est creatus cum L. Manlio Acidino[3]; et post paucos dies cum militibus, quos secum deduxerat, triumphans Urbem est invectus. Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor; præterea auri pondo triginta unum, et signati Oscensis[4] nummum centum septuaginta tria millia ducentos. Militibus de præda quinquagenos denarios dedit, duplex centurionibus, triplex equiti, tantumdem sociis latini nominis, et stipendium omnibus duplex[5].

XLIV. Eo anno rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos[1] nati quemque magistratum peterent caperentque. Inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur. Prætores quatuor post multos annos lege Bæbia creati[2], quæ alternis

serendam ex emend. Sigon. pro *defendendam.*

2. *Extra Urbem triumphi causa*, etc. vide ad XXVI, 21, n. 1. Tempore Jul. Cæsaris id non licebat; Drakenb. Conf. Suet. Cæs. 18, et lex apud Plut. Cæs. pag. 713.

3. *Consul est creatus* Q. Fulvius Flaccus *cum L. Manlio Acidino*, fra-fre germano; vid. Vell. Paterc. II, 8, et Fasti Capitolini.

4. *Signati Oscensis* argenti (vide ad XXXIV, 10, n. 2), nisi *argenti* leg. pro *signati.* — *Nummi*, sive sestertii 173,200 marcis argenti 675 a Crever. æquiparantur. Paulo ante *auri pondo triginta unum* idem æstimat marcis nostratibus 48, unciis 3, semuncia 1. Mox vero *quinquagenos denarios* ait efficere uncias argenti 6 cum binis, ut vocant, grossis. Ed.

5. *Stipendium omnibus duplex*; vid. XXXIX, 7, n. 2.

Cap. XLIV. 1. *Eo anno rogatio primum lata est ab L. Villio trib. pl., quot annos*, etc. vid. XXV, 2, n. 4.

2. *Prætores quatuor post multos annos lege Bæbia* (al. *Bæbia*) *creati* (sed hoc tantum anno: nam proximis annis sex creatos fuisse legimus), *quæ alternis* annis *quatuor jubebat creari*, forte quod post a. 560 duobus prætoribus Hispaniarum semper, excepto triennio belli cum Perseo gesti (vide ad XLV, 16), in annum prorogatum est imperium: ob quam causam satis erat alternis annis tantum quatuor prætores creari; Duker. Lex ipsa a M. Bæbio prætore a. Urb. 560 lata fuisse putatur, sed statim obsolevisse (nam ab illo anno ad hunc semper sex prætores creati sunt),

Digitized by Google

quaternos jubebat creari. Hi facti, Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Lævinus, Q. et P. Mucii Q. F. Scævolæ. Q. Fulvio et L. Manlio consulibus eadem provincia, quæ superioribus, pari numero copiæ peditum, equitum, civium, sociorum decretæ. In Hispaniis duabus Ti. Sempronio et L. Postumio cum iisdem exercitibus, quos haberent, prorogatum imperium est: et in supplementum consules scribere jussi ad tria millia peditum romanorum, trecentos equites, quinque millia sociorum latini nominis, et quadringentos equites. P. Mucius Scævola urbanam sortitus provinciam est[3], et ut idem quæreret de veneficiis in Urbe et propius Urbem decem millia passuum; Cn. Cornelius Scipio peregrinam, Q. Mucius Scævola Siciliam, C. Valerius Lævinus Sardiniam. Q. Fulvius consul, *prius, quam ullam rempublicam ageret, liberare et se et rempublicam religione*[4] *votis solvendis*, dixit, *velle: vovisse, quo die postremum cum Celtiberis pugnasset, ludos Jovi Optimo Maximo et ædem Equestri Fortunæ sese facturum: in eam rem sibi pecuniam collatam esse ab Hispanis*[5]. Ludi decreti, et ut duumviri ad ædem locandam crearentur. De pecunia finitur, *Ne major causa ludorum*[6] *consumeretur, quam quanta Fulvio Nobiliori, post Ætolicum bel-*

quamvis M. Catonem suasisse eam colligatur ex Festo voc. *Rogat:* quem tamen locum, ut et illum Nonii voc. *Largi* (*Cato lege Bæbia: pecuniam illargibo tibi*), ad leges de ambitu a P. Cornelio Cethego et M. Bæbio Tamphilo a. Urb. 572 latas (vide ad XL, 19 extr.) refert Sigon. de Jud. II, 30. Conf. Duk. ad h. l. et Pigh. Ann. ad a. 387 et 574. *Quæ* pro *qui* primus dedit Vascos. — *Q. et P. Mucii* fratres germani.

3. *Urbanam sortitus provinciam est;* vide ad II, 40, n. 9.

4. *Liberare et se et remp. religione;* vide ad V, 23, n. 8.

5. *In eam rem sibi pecuniam collatam ab Hispanis;* conf. n. 7. — *Ludi decreti, et ut duumviri ad ædem locandam crearentur;* vide ad V, 23, n. 6; VII, 28, n. 2; XXVI, 28, n. 2.

6. *Causa ludorum;* vide ad II, 31, n. 2. — *Quanta Fulvio Nobiliori*, etc. conf. XXXIX, 22. — *Adversus id*

Digitized by Google

lum ludos facienti, decreta esset; neve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id senatusconsultum, quod L. Æmilio, Cn. Bæbio consulibus de ludis factum esset. Decreverat id senatus propter effusos sumptus, factos in ludos Ti. Sempronii ædilis, qui graves non modo Italiæ ac sociis latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant[7].

XLV. Hiems eo anno nive sæva et omni tempestatum genere fuit: arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deusserat[1] cunctas; et ea tum aliquanto, quam alias, longior fuit. Itaque Latinas mox subito coorta et intolerabilis tempestas in monte turbavit; instauratæque sunt ex decreto pontificum. Eadem tempestas et in Capitolio aliquot signa constravit[2], fulminibusque complura loca deformavit; ædem Jovis Tarracinæ, ædem Albam Capuæ, portamque romanam: muri pinnæ aliquot locis decussæ erant. Hæc inter prodigia nuntiatum et ab Reate, tripedem natum mulum. Ob ea decemviri, jussi adire libros, edidere[3], quibus diis

senatusconsultum, quod, etc. de hoc senatusconsulto nihil Livium suo loco dixisse annotant Creverius et Doering. Ed.

7. *Propter effusos sumptus, factos in ludos Ti. Sempronii ædilis, qui graves Italiæ ac sociis et provinciis externis fuerant:* nam magistratus romani, inpr. provinciales, multas res, bestias pecuniasque a sociis provincialibus exigebant ad ludos Romæ edendos. Conf. n. 5, sup. ad XXXIX, 5 et 22; Cic. ad Quint. fr. I, 1, n. 9; Ernesti Clav. Cic. voc. *ædilibus* et *vectigal;* Burm. de Vectigal. cap. 12, pag. 213.

Cap. XLV. 1. *Arbores, quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deusserat hiems;* vide ad III, 39, n. 1, et XXI, 32, n. 5.—*Latinas;* vide ad I, 45, n. 2. —*Mox*, paulo post hiemem exactam; nisi potius leg. *nox*, sc. atris nubibus cælum obscurantibus; Crever. — *In monte* Albano.—*Instauratæque sunt;* nempe de integro, quod, si forte feriæ vel non recte factæ, vel turbatæ essent re infausta, fieri solebat *ex pontificum decreto.* Conf. II, cap. 36, n. 1. Ed.

2. *Aliquot signa constravit*, ut *dejecit* apud Obseq. cap. 41. *Prostravit* conj. Drak. Sed vide ad IV, 4, n. 6. — *Ædem Albam Capuæ;* conf. ad XXXII, 9.

3. *Decemviri, jussi adire libros, edidere;* vide ad I, 18, n. 2, et III, 10, 6. De illis *prodigiis* vide ad I, 31, n. 1.

Digitized by Google

et quot hostiis sacrificaretur; et ob fulminibus complura loca deformata ad ædem Jovis ut supplicatio diem unum esset. Ludi deinde votivi Q. Fulvii consulis per dies decem magno apparatu facti. Censorum inde comitia habita: creati M. Æmilius Lepidus pontifex maximus, et M. Fulvius Nobilior, qui ex Ætolis triumphaverat. Inter hos viros nobiles inimicitiæ erant, sæpe[4] multis et in senatu et ad populum atrocibus celebratæ certaminibus. Comitiis confectis, ut traditum antiquitus est, censores in Campo[5] ad aram Martis sellis curulibus consederunt; quo repente principes senatorum cum agmine venerunt civitatis: inter quos Q. Cæcilius Metellus verba fecit:

XLVI. « Non obliti sumus, censores, vos paulo ante « ab universo populo romano moribus nostris præpo- « sitos esse; et nos a vobis et admoneri, et regi, non « vos a nobis debere. Indicandum tamen est, quid « omnes bonos in vobis aut offendat, aut certe mu- « tatum malint[1]. Singulos quum intuemur, M. Æmili, « M. Fulvi, neminem hodie in civitate habemus, quem, « si revocemur in suffragium, velimus vobis prælatum « esse. Ambo quum simul adspicimus, non possumus « non vereri, ne male comparati sitis, nec tantum rei- « publicæ prosit, quod omnibus nobis egregie place- « tis, quam, quod alter alteri displicetis, noceat. Ini- « micitias per annos multos vobis ipsis graves et atroces

4. *Inter hos viros nobiles inimicitiæ* (vide ad XXVII, 35, n. 5) *erant, sæpe*, etc. conf. ad XXXVII, 47; XXXVIII, 43, 44; XXXIX, 4. De eorum reconciliatione conf. Cic. de Prov. Cons. 4; Valer. Max. IV, 2, § 1, et Gell. XII, 8.

5. *In Campo*, sc. Martio, *ad aram Martis*; vide ad XXXV, 10, n. 6.

Cap. XLVI. 1. *Aut* quid *certe mutatum malint* hi boni. Casuum regimen non bene in verbis commutatum; Glar. *Malint* pro *malit* substituit Frob. a. 1531, *Malimus* conj. Gron. et mox *te, M. Æmilii, te, M. Fulvi* vir doctus ad marg. ed. Cur. — *Ne male comparati sitis*; vide supra ad librum X, cap. 15, n. 11.

Digitized by Google

« geritis; quæ periculum est, ne ex hac die nobis et « reipublicæ, quam vobis, graviores fiant. De quibus « causis hoc timeamus, multa succurrunt, quæ dicere « veremur[2], ne, si forte jam placabiles fueritis, impli- « caverint animos vestros. Has ut hodie, ut in isto tem- « plo[3] finiatis simultates, quæsumus vos universi, et, « quos conjunxit suffragiis suis populus romanus, hac « etiam reconciliatione gratiæ conjungi a nobis sinatis. « Uno animo, uno consilio legatis senatum, equites « recenseatis, agatis censum, lustrum condatis : quod « in omnibus fere precationibus nuncupabitis verbis, « *Ut ea res mihi*[4] *collegæque meo bene et feliciter* « *eveniat*, id ita ut vere, ut ex animo velitis evenire :

2. *Multa succurrunt* (vide ad V, 54, n. 2), *quæ dicere veremur*, etc. Vulgo *quæ dicerentur, nisi forte implacabiles vestræ iræ implicaverint animos vestros* legitur ex emend. Glar. *implacabiles fueritis, implicaverint* cod. unicus et edd. pr. *nisi forte* vel *forsitan placabiles gravius implicarent* vel *irritarent a. v.* emend. Gronov. hoc sensu : nisi verendum foret, ne ista relata et repetita animos vestros, nunc forte placabiles, dum ea quodammodo obliterata silentur, acrius irritarent recrudescentibusque odiis facem subjicerent. Idem conj. *si forte implacabiles furiæ irarum implicarent a. v.* et *si forte implacabilis furor iris implicaret a. v.*, h. e. nisi sperarem, facile hoc vos daturos precibus nostris, ut bona fide in concordiam redeatis. Doujatius : *et quæ, nisi implacabiles fueritis, placaverint a. v.* (Sed cur tum ea non dicit ?) Clericus : *nisi forte implacabiles fieretis in placandis animis vestris.*—Doering. vestigiis corruptæ lectionis insistens, dubitanter tentat : *nisi forte implacabiles furores inflammarent*, sc. quæ dicerentur; aut *nisi forte, nunc implacabiles, fueritis in posterum placabiles.* Ed. — Pro desperatis hæc verba reliquerunt Sigon. Crev. et Drak. Neque ego deseruissem vulgatam lectionem, nisi sola Glareani conjectura, eaque neutiquam probabili, ne dicam inepta, niteretur. Quæ ego reposui, si non vera, certe verisimiliora videbuntur, excepto forsan verbo *implicaverint*, cui varia, sed minore probabilitate, substitui posse videt quivis.

3. *In isto templo*, in Campo ad aram Martis. Conf. cap. 45 extr. et ad I, 6, n. 6. — *Hac etiam reconcil.*, ed. Mog. *hos*, forte rectius. — *Legatis senatum;* vid. XXIII, 22, n. 1, *equites recenseatis;* vide ad IX, 46, n. 20. — *Lustrum condatis;* vide ad I, 44, n. 3.

4. *Quod in omnibus fere precationibus nuncupabitis verbis : Ut ea res mihi*, etc. conf. Varr. Ling. lat. V, 9. — *Id ita ut vere, ut ex animo velitis evenire*, sc. quæsumus. Sed forte

Digitized by Google

« efficiatisque, ut, quod deos precati eritis, id vos velle « etiam homines credamus. T. Tatius et Romulus, in « cujus urbis medio foro acie hostes concurrerant, ibi « concordes regnarunt. Non modo simultates, sed bella « quoque finiuntur: ex infestis hostibus plerumque so- « cii fideles, interdum etiam cives fiunt. Albani, di- « ruta Alba, Romam traducti sunt: Latini, Sabini in « civitatem accepti. Vulgatum illud, quia verum erat, « in proverbium venit: Amicitias immortales, inimici- « tias mortales debere esse[5]. » Fremitus ortus cum assensu, deinde universorum voces idem petentium, confusæ in unum, orationem interpellarunt. Inde Æmilius questus quum alia, tum bis a M. Fulvio se certo consulatu dejectum[6]. Fulvius contra queri, se ab eo semper lacessitum, et in probrum suum sponsionem factam. Tamen ambo significare, si alter vellet, se in potestate tot principum civitatis[7] futuros. Omnibus instantibus, qui aderant, dexteras fidemque dedere, mittere vere ac finire odium[8]. Deinde, collaudantibus cunctis, deducti sunt in Capitolium[9]; et cura super tali re principum, et facilitas censorum egregie comprobata ab senatu et laudata est. Censo-

legendum credas: *et vere et ex animo.*

5. *Amicitias immortales, mortales inimicitias debere esse:* sic verba forte transponenda, quia vox *mortales* ab edd. ante Frob. a. 1531 abest, quæ ita facilius excidere potuit; Drakenb. Cf. Aristot. Rhet. II, 21, et Erasm. Adag. tit. *Amicitia.* — Notus est versus ille gallicus, e Græcis desumptus: « Mortel, ne garde pas une haine immortelle ». Ed.

6. *Bis a M. Fulvio se certo consulatu dejectum;* vid. III, 35, n. 10, et conf. XXXVIII, 35, 42; XXXIX, 56. — *Sponsionem factam,* de qua nihil in superioribus dixit libris; Glar.

7. *Se in potestate tot p. c. futuros;* vide ad II, 56, n. 16.

8. *Dexteras fidemque dedere, mittere vere ac finire odium* se velle; vide ad XXV, 16, n. 8, et XXX, 3, n. 3.

9. *Deducti sunt in Capitolium*, ut inituri magistratum ejus caperent insignia et in leges jurarent, forte et, ut consules diis ibi gratias agerent pro accepto honore, et vota susciperent. Conf. Drak. ad h. l. et Gruch. de Com. I, 6. — *Facilitas censorum;* vide ad III, 70, n. 1.

Digitized by Google

ribus deinde postulantibus, ut pecuniæ summa sibi, qua in opera publica uterentur, attribueretur[10], vectigal annuum decretum est.

XLVII. Eodem anno in Hispania L. Postumius et Ti. Sempronius proprætores comparaverunt ita inter se, ut in Vaccæos per Lusitaniam iret Albinus, in Celtiberiam inde reverteretur; Gracchus, si majus ibi bellum esset, in ultima Celtiberiæ penetraret. Mundam urbem[1] primum vi cepit, nocte ex improviso aggressus. Acceptis deinde obsidibus, præsidioque imposito, castella oppugnare, agros urere, donec ad prævalidam aliam urbem (Certimam appellant Celtiberi) pervenit. Ubi quum jam opera admoveret, veniunt legati ex oppido, quorum sermo antiquæ simplicitatis fuit, non dissimulantium bellaturos[2], si vires essent. Petierunt enim, ut sibi in castra Celtiberorum ire liceret ad auxilia accipienda: si non[3] impetrassent,

10. *Ut pecuniæ summa sibi...attribueretur;* vide ad XXIV, 18, n. 12. —*Vectigal annuum* aliquod, quod in eam rem uno tantum anno penderetur, quodque pluribus verbis non explicatur, quia res pervulgata erat et omnibus nota; Crev. Immo integrum vectigal, sive omnia vectigalia hujus anni; Drak. Conf. ad XLIV, 16, n. 7.

Cap. XLVII. 1. *Mundam urbem* (vide ad XXIV, 42, n. 1) *primum vi cepit*, sc. Sempronius Gracchus.— *Oppugnare*, forte *expugnare;* Gron. — *Prævalidam aliam urbem Certimam:* quæ aliis *Cartama* et *Cartima* dicitur, nec longe abfuit a Munda. Pulcherrima antiquitatis monumenta, a. 1752 ibi reperta, præclare descripsit Carter. *Reise von Gibraltar nach Malaga*, pag. 204 sq. Cartimam vero aliud esse oppidum, docet Lud. Nonius in Hisp. cap. 25. Mox *cui* pro *ubi* conj. Crev.

2. *Non dissimulantium bellaturos*, cod. Mog. *rebellaturos* (*repugnaturos* edd. ante Frob. a. 1585).—*Ad auxilia accipienda*, immo *accienda;* Fab.

3. *Si non impetrassent*, sc. auxilia, *tum se consulturos eos* Celtiberos *separatim ab illis* oppidanis: an *eos* oppidanos *separatim ab illis* Celtiberis? Hoc aptius; sed utrumque male expressum, *tum s. oppidanos sibi consulturos* conj. Gron. *tum s. ab illis sibi c.* Crever. et *tum s. sibi ab illis se c.* Drak. An leg. *tum separatim suos ab illis* (Celtiberis) *sibi* vel *rem consulturos?* Ita apud Cæs. Bell. civ. I, 76, *sibi separatim a reliquis consilium capturos.* — Simpliciter legendum *tum separatim eos ab illis consulturos*, putat Walchius, qui monet, Emend.

Digitized by Google

tum separatim eos ab illis se consulturos. Permittente Graccho, ierunt, et post paucis diebus[4] alios decem legatos secum adduxerunt. Meridianum tempus erat. Nihil prius petierunt a prætore, quam ut bibere sibi juberet dari. Epotis primis poculis, iterum poposcerunt; magno risu circumstantium in tam rudibus et moris omnis ignaris ingeniis. Tum maximus natu ex iis, « Missi sumus, inquit, a gente nostra, qui scisci-« taremur, qua tandem re fretus arma nobis inferres? » Ad hanc percunctationem Gracchus, *Exercitu se egregio fidentem venisse*, respondit; *quem si ipsi visere velint, quo certiora ad suos referant, potestatem se eis facturum esse:* tribunisque militum imperat, ut[5] ornari omnes copias peditum equitumque, et decurrere jubeant armatas. Ab hoc spectaculo legati missi deterruerunt suos ab auxilio circumsessæ urbi ferendo. Oppidani, quum ignes nocte turribus nequidquam (quod signum convenerat) sustulissent, destituti ab unica spe auxilii, in deditionem venerunt. Sestertium

pag. 220, sensum flagitare *suos*, ut legitur Cæs. Bell. Gall. IV, 9, et conjecit editor Gotting. *eos* vero dictum esse e persona scriptoris. Sic supra XXI, 59, *venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quæstores romani C. Fulvius et L. Lucretius, quo magis ratam fore cum his pacem societatemque crederet, traduntur. Cum his?*..... an Fulvio et Lucretio? Immo cum Liguribus, et exspectabas potius alia verborum collocatione *secum*, aut *cum ipsis*. At dixit *his* e sua persona scriptor. Memorabilis inprimis locus XXXI, 11, propter duplicem mixtam constructionem, *jussique polliceri* (legati) *si quid ei ad firmandum regnum opus esse indicasset*. Vide ad hunc locum editionis nostræ notas, vol. VI, pag. 111. Ed.

4. *Post paucis diebus;* vide ad II, 31, n. 2. — *Quam ut bibere sibi juberet dari*, pro, ut potum sibi juberet dari; vide ad XXXVII, 33, n. 2; et Hadrian. Cardin. de Serm. Lat. p. 129. Ed.

5. *Tribunisque militum imperat, ut*, etc. ita Froben., teste Drakenb., publicavit anno 1535. Priores præferunt *tribunoque*, ut mox dant *jubeat*, quod etiam Frob. in *jubeant* mutavit. Ed. — *Ornari omnes copias... et decurrere;* vide ad IX, 40, n. 12, et XXIII, 35, n. 3. — *Ab hoc spectaculo* (vide ad I, 1, n. 5) *legati missi*, forte *dimissi*, et mox *nocte e turribus... sustulissent* (ut apud Cic. Verr. V, 35); Duk.

Digitized by Google

quater et vicies[6] ab iis est exactum, quadraginta nobilissimi equites: nec obsidum nomine (nam militare jussi sunt), et tamen re ipsa, ut pignus fidei essent.

XLVIII. Inde jam duxit[1] ad Alcen urbem, ubi castra Celtiberorum erant, a quibus venerant nuper legati. Eos quum per aliquot dies, armaturam levem immittendo in stationes, lacessisset parvis præliis, in dies majora certamina serebat[2], ut omnes extra munitiones eliceret. Ubi, quod petebatur, sensit effectum, auxiliorum præfectis imperat, ut, contracto certamine, tanquam multitudine superarentur, repente tergis datis, ad castra effuse fugerent. Ipse intra vallum ad omnes portas instruxit copias. Haud multum temporis intercessit, quum ex composito refugientium suorum agmen, post effuse sequentes Barbaros conspexit. Instructam ad hoc ipsum intra vallum habebat aciem: itaque tantum moratus, ut suos refugere in castra libero introitu sineret, clamore sublato, simul omnibus portis erupit. Non sustinuere impetum necopinatum hostes: qui ad castra oppugnanda venerant, ne sua quidem tueri potuerunt; nam extemplo fusi, fugati, mox intra vallum paventes compulsi, postremo exsuuntur castris. Eo die novem millia hostium cæsa: capti vivi trecenti viginti, equi centum duodecim, signa militaria triginta septem. De exercitu romano centum novem ceciderunt.

6. *Sestertium quater et vicies;* male edd. vett. *Nummum* et *Sestertium nummum q. et v.* Conf. Gronov. de Pec. Vet. II, 4, pag. 75. — *Sestertium quater et vicies*, sunt, ex Creverio, bis mille et quadringenta sestertia, sive, quod idem est, sestertii 2,400,000, libræ romanæ pondo 6,000, marcæ argenti nostrates 9,375. Ed.

Cap. XLVIII. 1. *Inde jam duxit* Gracchus; vide supra ad librum I, cap. 23, n. 4. — *Ad Alcen urbem;* videatur Wessel. ad Antonini Itiner. pag. 445.

2. *Majora certamina serebat;* vide II, 1, n. 6. — *Certamine contracto*, inito, commisso; de locutione *certamen* vel *certamina contrahere*, exem-

Digitized by Google

XLIX. Ab hoc prælio[1] Gracchus duxit ad depopulandum Celtiberiam legiones, et, quum ferret passim cuncta atque ageret, populique alii voluntate, alii metu jugum acciperent, centum tria oppida intra paucos dies in deditionem accepit[2]; præda potitus ingenti est. Convertit inde agmen retro, unde venerat, ad Alcen, atque eam urbem oppugnare institit[3]. Oppidani primum impetum hostium sustinuerunt; deinde, quum jam non armis modo, sed etiam operibus oppugnarentur, diffisi præsidio urbis, in arcem universi concesserunt: postremo et inde, præmissis oratoribus, in deditionem se suaque omnia Romanis permiserunt. Magna inde præda facta est. Multi captivi nobiles in potestatem venerunt; inter quos et Thurri filii[4] duo et filia. Regulus hic earum gentium erat, longe potentissimus omnium Hispanorum. Audita suorum clade, missis, qui fidem venienti in castra ad Gracchum peterent, venit; et primum quæsivit ab eo, *ne sibi liceret ac suis vivere*[5]? Quum prætor *victurum* respondisset; quæsivit iterum, *si cum Romanis militare liceret?* Id quoque Graccho permittente, « Sequar, « inquit, vos adversus veteres socios meos, quoniam « illos ad me propiunt suspicere[6] ». Sequutus est inde

pla Liviana congessit Drak. ad XXII, 28, § 4. Ed.

Cap. XLIX. 1. *Ab hoc prælio* (vid. I, 1, n. 5) *Gracchus duxit legiones ad depopulandum Celtiberiam;* sic Drak. edidit e cod. Mogunt. pro *depopulandam* et *populandam;* vid. XXVI, 43, n. 1. — *Quum ferret passim cuncta et ageret;* vide ad III, 37, n. 4.

2. *In deditionem accepit;* vide ad VIII, 20, n. 7.

3. *Eam urbem oppugnare institit;* vide ad XXIV, 26, n. 7.

4. *Thurri filii* edd. ante Gron., qui *Turri* dedit. — *Fidem venienti in castra peterent;* vid. sup. ad XXIII, 19, n. 10.

5. *Quæsivit ab eo, ne sibi liceret ac suis vivere;* forte leg. *num* aut *an* aut *anne* pro *ne*. Glar. conj. *liceretne sibi ac suis v.* Clericus et Crev. *ähne sibi*, etc. Gron. *sibine liceret*, vel *num sibi*, vel *quæsivit, pacatone* vel *liberone sibi liceret*, etc.

6. *Quoniam illos ad me propiunt suspicere;* quædam edd. *prodeunt s.*,

Digitized by Google

Romanos, fortique ac fideli opera multis locis rem romanam adjuvit.

L. Ergavia inde, nobilis et potens civitas [1], aliorum circa populorum cladibus territa, portas aperuit Romanis. Eam deditionem oppidorum [2] haud cum fide factam, quidam auctores sunt [3]: e qua regione abduxisset legiones, extemplo inde rebellatum, magnoque eum postea prælio ad montem Chaunum [4] cum Celtiberis a prima luce ad sextam horam diei signis collatis pugnasse; multos utrimque cecidisse: nec aliud magnopere [5], ne victos crederes, fecisse Romanos, nisi

et Gronov. conj. *piguit respicere*. Ita vero vulnera, huic loco a librariis inflicta, nondum sanata videntur. — In epistola J. T. Kreyssigh., quæ accedit operi quod anno 1822, Francofurti ad Mœnum, edidit Franc. Goeller. super libro XXXIII Livii, legitur pag. 468, Benedictum, Obss. ad Liv. Hist. rom. part. V, Torgav. 1807, pag. 9 et seqq. in hoc loco qui non nisi codd. ope reparari possit, aliorum conjecturis suam addidisse: « *Mihi*, inquit, in mentem venit, forte legi posse: *quoniam illi vos ad me prohibent suscipere*, h. e. quoniam illi veteres socii mei nolunt concedere, ut vos in regione mea suscipiam et vobiscum conjungar ». Verum tamen in his quoque, ut observat Kreyssigh., sermonis Liviani puritas et elegantia non minus desideratur, quam in cæteris interpretum conjecturis. Addit idem non videri rem acu tetigisse Trillerum, cujus commenta in ejus Obss. Crit. III, 8, pag. 183, leguntur et a Drakenborchio, id quod Benedictum aliosque latuit, in Addendis et Emendandis t. VII, pag. 438, commemorantur; neque Lindavium, qui in Spicileg. Crit. in Thucyd. et Liv. Uratislav. 1817, pag. 17, hæc annotavit: « Quid, si scriberetur, *quoniam illos adire propositum suspicor*, scilicet, in luculentius fidei recenter datæ documentum? » Ed.

Cap. L. 1. *Ergavia nobilis et potens civitas:* cum Sigon. et Cellar. Geogr. Ant. II, 1, legendum videtur *Ergavica*, quæ nobis Celtiberorum urbs h. l. aptior, quam obscura Vasconum *Ergavia*. Conf. Ptol. et Hard. ad Plin. III, 3 seu 4.

2. *Eam deditionem oppidorum* centum trium. Conf. cap. 49 pr.

3. *Quidam auctores sunt;* vide ad II, 58, n. 1.

4. *Ad montem Chaunum;* al. *Caunum*, forte *Caium* (vid. Mela ad III, 1, ibique Voss.), quem hodie *Montecajo* dici putant.

5. *Nec aliud magnopere, ne victos crederes, fecisse Romanos* (nec alia re visos fuisse Romanos potiores)... *legerint*, ex emend. Gronov. et Drak. pro vulg. *nec a. m. victores fuisse Romanos... legisse*. In MS unico *nec a. m. berbice crederes fuisse Romanos, nisi qui postero die arcessierint ma-*

Digitized by Google

quod postero die lacessierint prælio manentes intra vallum, spolia per totum diem legerint; tertio die prælio majore iterum pugnatum, et tum demum haud dubie victos Celtiberos, castraque eorum capta et direpta esse. Viginti duo millia hostium eo die esse cæsa, plus trecentos captos; parem fere equorum numerum; et signa militaria septuaginta duo. Inde debellatum, veramque pacem, non fluxa, ut ante[6], fide, Celtiberos fecisse. Eadem æstate et L. Postumium in Hispania ulteriore bis cum Vaccæis[7] egregie pugnasse scribunt. Ad triginta et quinque millia hostium occidisse, et castra oppugnasse. Propius vero est, serius in provinciam pervenisse, quam ut ea æstate potuerit res gerere[8].

LI. Censores fideli concordia senatum legerunt. Princeps electus est[1] ipse censor M. Æmilius Lepidus pontifex maximus: tres ejecti de senatu[2]. Retinuit

nentes prælio spolia intra vallum per totum diem legisset. — Kreyssigh. cujus jam laudavimus, cap. 49, n. 6, epistolam, quæ accedit citato doctissimi Goeller. operi, ibidem, pag. 470, legendum putat: *nec a. m. per vicem victores fuisse Romanos*, etc. quæ quidem lectio ex corruptissimo hoc: *berbice crederes fuisse*, etc. extracta sat feliciter est. Hanc firmari ait Livii exemplo sequenti, quod lib. II, c. 44 occurrit: *ea spes Etruscos armaverat, multis in vicem casibus victos victoresque.* Ed.

6. *Non fluxa, ut ante, fide;* vide ad VII, 29, n. 3.

7. *Cum Vaccæis;* edd. ante Frob. a. 1535, *Brachis* et *Bracharis;* unde *Bracaris* conj. Crev. et alii. Sed conf. cap. 47 pr. — *Et castra oppugnasse:* lego *expugnasse;* Gron.

8. *Propius vero est,* eum *serius in provinciam pervenisse, quam ut ea æstate potuerit res gerere:* hoc non facile intellectu est, si Livius, c. 35, 39, 44, 47, recte retulit, Postumium jam anno priore in provinciam venisse, et hoc anno in ea imperio prorogato fuisse; Duk.

Cap. LI. 1. *Censores senatum legerunt. Princeps electus* (immo *lectus;* Duk. Crev. et Drak.) *est,* etc. vide ad XXIII, 22, n. 1, et XXVII, 11, n. 8.

2. *Tres ejecti de senatu;* vide ad IV, 24, n. 5. — *Retinuit quosdam Lepidus a collega præteritos;* vid. XXVII, 11, n. 11. « Unius censoris judicium neque ad senatorem senatu movendum, neque ad aliorum ordinum cives notandos valuisse, ostendit quoque Cic. p. Cluent. 43. *Præteritos* autem intelligo, quot præterire Fulvius voluerat (vide ad III, 21, n. 3): nam fideli concordia senatum legisse

Digitized by Google

quosdam Lepidus a collega præteritos. Opera ex pecunia attributa divisaque inter se hæc confecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam[3], ingratum opus, quod prædia habebat ibi, privatamque publicæ rei impensam imposuerat. Theatrum et proscenium[4] ad Apollinis, ædem Jovis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locavit: et ab his columnis, quæ incommode opposita[5] videbantur, signa amovit; clypeaque de columnis[6], et signa militaria affixa omnis generis dempsit. M. Fulvius plura et majoris locavit usus: portum et pilas pontis in Tiberim; quibus pilis fornices[7] post aliquot annos P. Scipio Africanus et

dicuntur ». Duk. Conf. ad XLII, 10, et XLV, 15.

3. *Lepidus molem ad Tarracinam;* vide ad IV, 59, n. 2. *Moles* h. l. vel agger, vel pilæ et substructiones saxorum, in mari, de quibus vide ad Tac. Ann. XIII, 21, n. 6, et ad Sil. IV, 295 sq. et XIV, 645.—*Privatamque publicæ rei impensam insuerat* edd. ante Drak. *Imposuerat* et *injunxerat* conj. Gron. qui tamen sensum h. l. non adjecit. *Insumpserat, infulserat, inseruerat, inferserat* tentant alii, qui credidisse videntur, Lepidum privata impensa publicum exstruxisse opus, quod tamen haud *ingratum* fuisset. Gronovianum *imposuerat* recepit Drak. et h. l. ita explicavit: Publica pecunia construxit opus, quod ipse, qui *prædia habebat ibi* et solus fere fructum inde percepturus erat, privata impensa facere debuerat. Talem vero sententiam vix elicias ex his verbis. Forte legendum, *privataeque rei publicam impensam insumpserat,* vel *privatamque rem publica impensa juverat.*

4. *Theatrum et proscenium,* προσκήνιον, locum inter scenam et orchestram, quo actores prodibant, et histriones recitabant ante pulpita, λογεῖα. —Qui plura de theatrorum forma scire cupiet, adeat librum Antiquitatis Schematibus illustratæ, t. III, part. II, et commentarios Regiæ Inscriptionum Academiæ, t. I, pag. 138. Ed. — *Ad Apollinis;* vide ad I, 33, n. 6. — *Columnasque circa poliendas albo locavit;* vid. IV, 25, n. 7, et V, 23, n. 6.

5. *Incommode opposita,* obstantia, et ita columnas minus conspectas reddentia; Gron. qui etiam monet, Pighium et Glar. male conj. *apposita,* ut Sigon. infra, c. 59 extr. ex Obsequente, qui potius ex Livio corrigendus sit.

6. *Clypeaque de columnis,* etc. vid. XXV, 39, n. 7, et cf. Plin. XXXV, 3 seu 4 extr.

7. *Portum et pilas pontis in T.; quibus pilis fornices,* etc. vide ad XXII, 36, n. 10. Pontem vulgo intelligunt, quem P. Victor *Palatinum* vocat: quare pons jam ante censuram Fulvii fuit; Duk. *Pontem* pro *portum* male conj. Pigh. « Pons enim constat ex *pilis* et *fornicibus;* neque Fulvius integrum pontem fieri curavit, si alii

Digitized by Google

L. Mummius censores locaverunt imponendos: basilicam post argentarias novas et forum[8] piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum; et forum et porticum extra portam Trigeminam, et aliam post navalia[9], et ad fanum Herculis, et post Spei ad Tiberim ædem Apollinis Medici. Habuere et in promiscuo præterea pecuniam[10]. Ex ea communiter locarunt aquam adducendam fornicesque faciendos. Impedimento operi fuit M. Licinius Crassus, qui per fundum suum duci non est passus. Portoria quoque et vectigalia[11] iidem multa instituerunt. Complura sacella publica, quæ fuerant occupata a privatis[12], publica sacraque ut essent paterentque populo, curarunt. Mutarunt suffragia[13]; regionatimque generibus hominum causisque et quæstibus tribus descripserunt.

censores postea pilis *fornices locarunt imponendos*. Portus autem Tiberinus non alibi memoratur; sed *emporium ad Tiberim* XXXV, 10, et XLI, 27.» Drakenb.

8. *Basilicam post argentarias novas et* post *forum p.*; vide ad IX, 40, n. 10, et XXVI, 27, n. 2. — *Vendidit in privatum*; vide ad II, 9, n. 4. — *Extra portam Trigeminam* etiam duo alii *porticus*, alter XXXV, 10, et XLI, 27, alter XXXV, 41 memorantur; Duk.

9. *Et aliam post navalia*; vide ad III, 26, n. 6. — *Ædem Apollinis Medici*; conf. Pigh. Annal. ad a. 574.

10. *Habuere et in promiscuo præterea pecuniam*, inter se non divisam, ad usum promiscuum; unde mox *communiter*. *Præterea* ex emend. Sigon. *prætores* in MS. *Partem pecuniæ* conj. Gron. Forte leg. *censores*.

11. *Portoria et vectigalia*; vide ad II, 9, n. 4; IV, 8, n. 2.

12. *Complura sacella publica, quæ fuerant occupata a privatis*; hæc lectio Gronovio debetur. Exhibent edd. principes, teste Drak., *complura sacella publicaque sua occupata*, etc. Hanc lectionem, cujus vestigiis institit, felicius forsan quam Gron., ita refinxit Walch. Emend. Liv. pag. 103: *complura sacella publica quasi sua occupata a privatis, publica sacraque*, etc. Ed. — *Publica* iterum *sacraque ut essent paterentque populo* ex emendatione Pigh. *publicaque sacra ut paterent essentque populo* edd. antt. *publica rursus ut essent p. p.* conj. Gron. probb. Cler. et Crever. An leg. *occupata a privatis profanaque* vel *profanataque, sacra ut essent p. populo?*

13. *Mutarunt suffragia*, eorum ferendorum rationem, *regionatimque generibus hominum*, secundum *XIV* regiones Urbis et habitationem in iis, hominumque genera, *causas*, h. e. honores seu ordines, et quæstus, i. e. officia (ita ut ejusdem generis, etc. homines in regione cujusvis tribus,

Digitized by Google

LII. Et alter ex censoribus M. Æmilius petiit ab senatu, ut sibi dedicationis templorum[1] Reginæ Junonis et Dianæ, quæ bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur. Viginti millia æris decreverunt. Dedicavit eas ædes, utramque in circo Flaminio; ludosque scenicos triduum post dedicationem templi Junonis, biduum post Dianæ, et singulos dies fecit in circo. Idem dedicavit ædem Larium Permarinum[2] in Campo. Voverat eam annis undecim ante L. Æmilius Regillus navali prælio adversus præfectos regis Antiochi. Supra valvas templi tabula cum titulo hoc fixa est: « Duello magno regibus[3] dirimendo « caput subigendis patrandæ pacis hæc pugna exeunti « L. Æmilio M. Æmilii filio auspicio, imperio, felici- « tate ductuque ejus inter Ephesum, Samum Chium-

v. c. calcearii in regione tribus Sergiæ, suffragia simul ferrent), *tribus descripserunt* et suffragia in iis. Conf. Turneb. Advers. XXX, 24; Octav. Pantagathus in notis Ursini ad Liv. I, 43, n. 12, et inpr. Gruch. de Com. Rom. II, 4, qui copiose de h. l. disputat, docetque, hanc suffragiorum mutationem non nisi ad tributa pertinuisse comitia.

Cap. LII. 1. *Dedicationis templorum;* vide ad I, 55, n. 3, et III, 56, n. 4. — *Ante annis octo;* vide ad II, 31, n. 2. — *Viginti millia æris*, in argento, marcas nostrates 31, uncias 2 fieri dicit Creverius. Ed.

2. *Ædem Larium Permarinorum*, forte deorum, qui in *prælio navali* suos cultores tuentur et adjuvant. Quidam intelligunt Lares, qui navibus per mare vehebantur, quos Neptunum, Thetidem Glaucumque fuisse suspicantur. Θεοὶ διαπόντιοι dicuntur in vet. Lex., et *marini* Varroni apud Non. voc. *strophium*. Conf. Turneb. Adv. XX, 35, XXVIII, 13; Taubm. ad Plaut. Bacch. II, 1, n. 3; Barth. ad Calpurn. Ecl. II, 64, et Abresch. Animad. II, 27. — *In Campo* Martio... *voverat eam*, etc. conf. Macrob. Sat. I, 10.

3. *Duello magno regibus* (forte Antiocho et Seleuco, filio ejus, aut Antiocho et Eumeni) *dirimendo... vovit*, verba miserrime corrupta, quæ frustra emendare conabimur. Cæterum prima verba ita exhibet Atilius Fortunat. in Putsch. Gramm. p. 2680. *Duello magno dirimendo, regibus subigendis:* ex quo constat, titulum versibus Saturninis conceptum fuisse; Drak. Simul ex h. l. probabile fit, hæc a Livio e tabulis ducum triumphantium, in Capitolio fixis, ducta esse, quas Atilius a se quoque visas et consultas dicit. — *Patrandæ pacis;* vide infra ad librum XLII, cap. 30, not. 6.

Digitized by Google

« que, inspectante cos. ipso Antiocho, exercitu omni, « equitatu[4] elephantisque, classis regis Antiochi antea « sic victa, fusa, contusa fugataque est, ibique eo die « naves longæ cum omnibus sociis captæ LXII[5]. Ea « pugna pugnata, rex Antiochus regnumque**. Ejus « rei ergo ædem Laribus Permarinis vovit ». Eodem exemplo tabula in æde Jovis in Capitolio supra valvas fixa est.

LIII. Biduo, quo senatum legerunt censores[1], Q. Fulvius consul, profectus in Ligures, per invios montes vallesque saltus[2] cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnavit, neque tantum acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. Tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum in deditionem venit. Consul deditos in campestres agros[3] deduxit, præsidiaque montibus imposuit. Celeriter et ex provincia literæ Romam venerunt. Supplicationes ob eas res gestas in triduum decretæ sunt. Prætores quadraginta hostiis majoribus per supplicationes rem divinam fecerunt. Ab altero consule L. Manlio nihil memoria dignum in Liguribus est gestum. Galli Trans-

4. *Exercitu omni, equitatu;* vide ad XXII, 37, n. 2.—*Antea sic victa,* forte *a. d. XI Cal. Jan. victa;* Sigon. e Macrob. l. l.

5. *Naves longæ... captæ LXII;* vide ad XXXVII, 30, n. 5.

Cap. LIII. 1. *Senatum legerunt censores;* vide supra ad librum XXIII, cap. 22, n. 1.

2. *Per invios montes vallesque saltus:* nam *valles* semper sunt, ubi *montes*, et per eas plerumque difficilis et impeditus est transitus; Duk. Alii conj. *callesque saltus*, vel *difficilesque saltus*, vel *vallesque et saltus.* — Doeringius suspicatur *vastosque saltus.* Kreyssigh. in Epist. ad Goeller. p. 476, hæc omnia repudiat, et leg. ait *per invios montes, vallesque saltuosas;* quoniam Livius ipse, lib. XXVII, cap. 12, cum Sallust. Jug. cap. 38, qui locus nostro simillimus, et cap. 54, *loca saltuosa*, et Plinius, Hist. Nat. VI, 7, *solitudines saltuosis convallibus asperas* commemoraverunt. Ed.

3. *In campestres agros;* vide ad XXXVI, 10, n. 3. — *Celeriter et ex provincia*, Gron. malebat *Celeriter, ut ex p. l. R. venerunt, supplicationes*, etc. Sed gravius ulcus latet, et *celeriter* superfluum est; Crev.

Digitized by Google

alpini[4], tria millia hominum, in Italiam transgressi, neminem bello lacessentes, agrum a consulibus et senatu petebant, ut pacati sub imperio populi romani essent. Eos senatus excedere Italia jussit, et consulem Q. Fulvium quærere et animadvertere in eos, qui principes et auctores transcendendi Alpes fuissent.

LIV. Eodem anno Philippus rex Macedonum, senio et mœrore consumptus post mortem filii, decessit. Demetriade hibernabat, quum desiderio anxius[1] filii, tum pœnitentia crudelitatis suæ. Stimulabat animum et alter filius, haud dubie et sua et aliorum opinione rex, conversique in eum omnium oculi, et destituta senectus; aliis exspectantibus suam mortem[2], aliis ne exspectantibus quidem. Quo magis angebatur, et cum eo Antigonus Echecratis filius[3], nomen patrui Antigoni ferens, qui tutor Philippi fuerat, regiæ vir majestatis, nobili etiam pugna adversus Cleomenem Lacedæmonium clarus. Tutorem eum Græci, ut cognomine a cæteris regibus distinguerent, appellarunt. Hujus fratris filius Antigonus ex honoratis Philippi amicis unus incorruptus permanserat; eique ea fides nequaquam amicum Persea, inimicissimum[4] fecerat. Is, prospiciens animo, quanto cum periculo suo hereditas regni ventura esset ad Persea, ut primum la-

4. *Galli Transalpini*, etc. conf. ad XXXIX, 22, 45, 54, 55.

Cap. LIV. 1. *Desiderio anxius filii*, etc. conf. ad cap. 24.—*Haud dubie... rex*, forte *dubius;* Drak.

2. *Exspectantibus suam mortem;* vide ad XXVIII, 27, n. 6.

3. *Antigonus Echecratis filius*, cujus *patruus Antigonus* Doson *tutor Philippi fuerat, regiæ... clarus;* vide ad XXXII, 21, n. 11, et XXXIV, 28, n. 1. — *Tutorem eum Græci appellabant*, Ἐπιτρόπον, sed plerumque per irrisionem Δώσωνα, h. e. qui multa pollicetur, quæ non dat: nam tutorem eum Philippi fuisse, multi tradunt, nemo vero, quod sciam, eum Tutoris cognomine fuisse appellatum.

4. *Eique ea fides nequaquam amicum*, inimicum, *Persea inimicissimum fecerat*, quum Perseus jam ne sic quidem per se esset ei amicus, hæc fides illum etiam inimicissimum ei reddiderat; Bauer.

Digitized by Google

bare animum regis[5], et ingemiscere interdum filii desiderio sensit, nunc præbendo aures, nunc lacessendo etiam mentionem rei[6] temere actæ, sæpe querenti querens et ipse aderat; et, quum multa assoleat veritas præbere vestigia sui, omni ope adjuvabat, quo maturius omnia emanarent[7]. Suspecti et ministri facinoris, Apelles maxime et Philocles, erant; qui Romam legati fuerant, literasque exitiales Demetrio sub nomine Flaminini attulerant. Falsas esse et a scriba vitiatas[8] signumque adulterinum, vulgo in regia fremebant.

LV. Cæterum, quum suspecta magis, quam manifesta, esset res, forte Xychus obvius fit Antigono, comprehensusque ab eo in regiam est perductus. Relicto eo custodibus, Antigonus ad Philippum proces-

5. *Labare animum regis;* vide ad II, 39, n. 9.

6. *Lacessendo mentionem rei*, movendo, excitando, ansam ei dando. Conf. ad Sil. XII, 61, et Heyne ad Virg. Æn. X, 10. *Præbendo aures* et *lacessendo... aderat*, pro *præbens* et *lacessens;* vide supra ad librum I, cap. 8, n. 4.

7. *Quo maturius omnia emanarent;* forte *eminerent:* nam verbum illud non sane *vestigiis* convenit, et *emanare* res dicuntur in vulgus: hic regi tantum patere volebat; Bauer. Enimvero verbum *emanare* non referendum ad *vestigia*, sed ad *omnia*, scil. consilia et facinora Persei; et Antigonus etiam *omni ope adjuvabat*, efficiebat (*trug alles dazu bei*), ut quam primum ea *emanarent* in vulgus, vel manifesta fierent (vide ad III, 24, n. 3), et sic ad regis quoque pervenirent aures. Veritus forte iram Persei, rem ipse prodere regi noluit; sed sperans fore, ut *veritas* ipsa *præberet vestigia sui* (ut sponte aliqua veritatis indicia apparerent), satius duxit, angere suspicionem vulgi eorumque, qui talia jam *vulgo* in ipsa *regia fremebant*, querentes et indignantes mussitabant. (Conf. XXV, 28, n. 3.) Quum tamen et sic *suspecta magis, quam manifesta*, res vulgo et regi fieret, Xychum comprehendi jussit, ex quo rex scire vera omnia posset. Conf. cap. 55. — *Suspecti et* regi vulgoque *erant ministri facinoris*, quorum ope Persens in fratre e medio tollendo usus fuerat.—*Apelles maxime et Philocles*, οἱ τότε δοκοῦντες εἶναι πρώτοι φίλοι τοῦ βασιλέως Polyb. XXIV, 1, § 5. — *Qui Romam legati fuerant literasque*, etc. conf. ad cap. 20, 23; Polyb. XXIII, 14, XXIV, 1. — Ed. Moguut. *romani legati;* pro quo recte Frob. anno 1531 *Romam legati* restituit, teste Drak. qui multis Livii locis hanc firmavit lectionem. Ed.

8. *A scriba vitiatas*, forte a *Xycho*, ministro Apellis et Philoclis.

Digitized by Google

sit. « Multis, inquit, sermonibus intellexisse videor, « magno te æstimaturum [1], si scire vera omnia possis « de filiis tuis, uter ab utro petitus fraude et insidiis « esset. Homo unus omnium, qui nodum hujus erro- « ris exsolvere possit, in potestate tua est Xychus. » *Forte vocatum perductumque in regiam vocari juberet.* Adductus primo ita negare inconstanter, ut, parvo metu admoto, paratum indicem esse appareret. Conspectum tortoris verberumque non sustinuit, ordinemque omnem facinoris legatorum ministeriique sui exposuit. Extemplo missi, qui legatos comprehenderent, Philoclem, qui præsens erat, op-

Cap. LV. 1. *Magno te æstimaturum;* vide ad XLI, 20, n. 3. — *Nodum hujus erroris,* ignorantiæ, vel dubitationis, rei dubiæ et incertæ. Conf. ad IX, 15, n. 7, et XXVII, 46, n. 5. — *Forte vocatum perductumque in regiam vocari juberet;* non ferendum *vocatum vocari,* neque τὸ *juberet,* nisi vel cum Crev. putes, orationem directam h. l., ut sæpius XXXV, 49, in indirectam fuisse mutatam, vel cum Sigon. et Bauero, ante *forte* excidisse *Hortatur inde, ut* vel potius *ut veluti.* Lenior medicina Gronov. *forte oblatum* (h. e. obviam mihi factum; vide ad V, 13, n. 8, et conf. verba præcc. *forte Xychus obvius fit Antigono*) *perductumque* (a me) *in regiam vocari jube.* Sententia certe sic planissima aptissimaque; nec assequor, quomodo hæc annotare potuerit Bauer.: « *Oblatum* feliciter sane Gron. corrigit. Sed tunc aut *juberet* retinendum, et, quæ dixi, *Hortatus deinde est, ut veluti,* supplenda; aut *que* post *perductum* deleri oportet. Forte et in altero *vocari* latet *torqueri.* Neque illud *forte* aptum est voci *vocatum,* aut omnino congruum sensum fundit, hoc verborum positu. Forte referendum ad verba *in potestate tua est* ». — Cæterum Xychi hujus, de quo nunc agitur, nullam mentionem in superioribus a Livio factam mirantur Glareanus, Crever. et alii. At Drakenb. ad h. l. nota est: « Ideo forte Livius nullam antea Xychi mentionem fecit, quia eos tantum nominatim commemoravit, qui, maxima dignitate in aula Philippi præditi, præcipui auctores exstiterunt fraudis ac perfidiæ, qua Demetrius periit. Inter eos refero Apellem et Philoclem, τοὺς τότε δοκοῦντας εἶναι πρώτους φίλους τοῦ βασιλέως (teste Polyb. l. l. cap. præc. n. 7). Hi etiam legati Romam missi exitiales Demetrio literas inde attulerunt, ut Livius narrat, non tantum cap. præc. sed etiam 20 et 23. Xychus vero non ejus erat dignationis, sed legatorum tantum minister et forte scriba. Certe modo præcessit, rumorem in aula fuisse, literas sub nomine Flaminini a legatis Apelle et Philocle allatas, falsas fuisse, et *a scriba* vitiatas. Sequitur vero Xychum ordinem omnem facinoris legatorum, *ministeriique sui* exposuisse ». Ed.

Digitized by Google

presserunt : Apelles, missus ad Chæream quemdam persequendum, indicio Xychi audito, in Italiam trajecit. De Philocle nihil certi vulgatum est. Alii primo audaciter negantem, postquam in conspectum adductus sit Xychus, non ultra tetendisse[2]; alii tormenta etiam inficiantem perpessum affirmant. Philippo redintegratus est luctus geminatusque; et infelicitatem suam in liberis graviorem, quod alter perisset[3], censebat.

LVI. Perseus, certior factus omnia detecta esse, potentior quidem erat, quam ut fugam necessariam duceret : tantum, ut procul abesset, curabat, interim velut ab incendio flagrantis iræ, dum Philippus viveret, se defensurus; qui, spe potiundi ad pœnam corporis ejus amissa, quod reliquum erat, id studere, ne super impunitatem etiam præmio sceleris frueretur. Antigonum igitur appellat; cui et palam facti parricidii gratia obnoxius erat[1], neque pudendum, aut pœnitendum eum regem Macedonibus, propter recentem patrui Antigoni gloriam, fore censebat. « Quando in « eam fortunam veni, inquit, Antigone, ut orbitas « mihi, quam alii detestantur parentes, optabilis esse « debeat; regnum, quod a patruo tuo[2], forti, non so- « lum fideli, tutela ejus custoditum et auctum etiam, « accepi, id tibi tradere in animo est. Te unum habeo, « quem dignum regno judicem. Si neminem haberem, « perire et exstingui id mallem, quam Perseo scelestæ « fraudis præmium esse. Demetrium excitatum ab in-

2. *Non ultra tetendisse*, sc. negare; vel repugnasse, verbis pugnasse. Cf. ad IV, 7, n. 6, et IV, 8, n. 6.

3. *Quod alter perisset :* « fatuum sane et jejunum præ ingenioso illo Mureti et acutæ sententiæ pleno *superesset*, sc. Perseus, tam impius, tam deformis regio sanguini. Sequentia firmant, cap. 56, *ut orbitas mihi optabilis sit.* Possit et legi : *quod non alter perisset* »; Bauer.

Cap. LVI. 1. *Cui et palam facti parricidii gratia obnoxius erat;* vide ad III, 39, n. 1.

2. *Regnum, quod a patruo tuo*, etc. vide ad cap. 54, n. 3.

Digitized by Google

rerunt, mortuum esse regem: quæ res omnem ordinem consilii turbavit. Compositum autem sic fuerat, transitum per Thraciam tutum et commeatus Bastarnis ut Philippus daret[3]. Id ut facere posset, regionum principes donis coluerat, fide sua obligata, pacato agmine transituros Bastarnas. Dardanorum gentem delere propositum erat, inque eorum agro sedes fundare Bastarnis. Duplex inde erat commodum futurum, si et Dardani, gens semper infestissima Macedoniæ temporibusque iniquis regum imminens[4], tolleretur, et Bastarnæ, relictis in Dardania conjugibus liberisque, ad populandam Italiam possent mitti. *Per Scordiscos iter esse ad mare Hadriaticum Italiamque. Alia via traduci exercitum non posse. Facile Bastarnis Scordiscos iter daturos. Nec enim aut lingua aut moribus æquales abhorrere*[5]*; et ipsos adjuncturos se, quum ad prædam opulentissimæ gentis ire vidissent.* Inde in omnem eventum consilia commodabantur: sive cæsi ab Romanis forent Bastarnæ, Dardanos tamen sublatos, prædamque ex reliquiis Bastarnarum, et possessionem liberam Dardaniæ, solatio fore; sive prospere gessissent, Romanis aversis in Bastarnarum

3. *Ut Philippus daret* MS et edd. ante Frob. a. 1535, quæ *præstaret* reposuit.—*Sedes fundare*, ut apud Virg. Æn. V, 760; VIII, 478.

4. *Temporibus iniquis r. imminens;* vide ad III, 51, n. 3.

5. *Moribus æquales abhorrere*, forte del. *æquales;* nam utrique gallicæ originis erant (de Scordiscis vid. Justin. XXXII, 3; de Bastarnis Vales. Exc. Peiresc. p. 79): sed vox *æquales* tollenda et verbis *nec abhorrere* in marg. adscripta videtur: certe *moribus similes* dicendum erat, et ne sic quidem convenit *abhorrere;* Duk. Vide ad IV, 44, n. 8; XLIV, 26, n. 2, et conf. XXI, 32. *Consilia commodabantur*, accommodabantur; nisi leg. ita, quod putavit Sigon. probante Doer. — *Sive prospere gessissent;* vide ad XXXIX, 54, n. 4. — *Romanis a. in Bastarnarum bellum;* ed. Mog. *reversis* exhibet, quod anno 1531 Froben. in *aversis* recte mutavit. Infra, XLIII, 18, *ne quid, averso se in romanum bellum, periculi subesset.* Conf. Drakenb. qui multa affert Livii exempla ad VI, 23, § 8, et XXXV, 31, § 1. Ed.

Digitized by Google

bellum, recuperaturum se in Græcia, quæ amisisset. Hæc Philippi consilia fuerant.

LVIII. Ingressi sunt pacato agmine, fide Cottonis et Antigoni. Sed haud multo post famam mortis Philippi neque Thraces commercio faciles[1] erant, neque Bastarnæ empto contenti esse poterant, aut in agmine contineri, ne decederent via. Inde injuriæ ultro citroque fieri : quarum in dies incremento bellum exarsit. Postremo Thraces, quum vim ac multitudinem sustinere hostium non possent, relictis campestribus vicis[2], in montem ingentis altitudinis (Donucam vocánt) concesserunt. Quo ubi ire Bastarnæ vellent, quali tempestate Gallos spoliantes Delphos fama est peremptos esse[3], talis tum Bastarnas, nequidquam ad juga montium appropinquantes, oppressit. Neque enim imbre tantum effuso, dein creberrima grandine obruti sunt, cum ingenti fragore cæli tonitribusque et fulguribus præstringentibus aciem oculorum[4]; sed fulmina etiam sic undique micabant, ut peti viderentur corpora, nec solum milites, sed etiam principes, icti caderent. Itaque, quum præcipiti fuga per rupes præaltas improvidi sternerentur ruerentque, instabant quidem perculsis Thraces; sed ipsi deos auctores fugæ esse, cælumque in se ruere aiebant. Dissipati procella, quum, tanquam ex naufragio, plerique semi-

Cap. LVIII. 1. *Commercio faciles* h. l. dicuntur, qui in commerciis seu mercaturis faciendis æqua postulant, qui frumenta haud nimio vendunt pretio; germ. *mit denen sich gut handeln läst.* Conf. ad III, 70, n. 1.

2. *Relictis campestribus vicis;* vide ad XXXVI, 10, n. 3. Mox *quum subire Bastarnæ vellent* pro *quo ubi ire B. v.* conj. Gron.

3. *Quali tempestate Gallos spoliantes Delphos fama est peremptos esse;* vide de hac re Pausan. in Attic. 4, et in Phocic. 23, et Justin. XXIV, 8. Ed.

4. *Fulgur. præstringentibus aciem oculorum,* obtundentibus. Conf. ad Sil. I, 358. — *Dissipati procella, quum tanquam ex naufragio, plerique semiermes in castra... redissent.* Corruptissime exhibebat ed. Mogunt.

Digitized by Google

ermes in castra, unde profecti erant, redissent; consultari, quid agerent, cœptum: inde orta dissensio, aliis redeundum, aliis penetrandum in Dardaniam censentibus. Triginta ferme millia hominum (Clondico duce[5] profecti erant) pervenerunt. Cætera multitudo retro, qua venerant, transdanubianam regionem repetiit[6]. Perseus, potitus regno, interfici Antigonum jussit; et, dum firmaret res, legatos Romam ad amicitiam paternam renovandam petendumque, ut rex ab senatu appellaretur, misit. Hæc eo anno in Macedonia gesta.

LIX. Alter consulum Q. Fulvius ex Liguribus triumphavit; quem triumphum magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini, datum[1] constabat. Armorum hostilium magnam vim transtulit; nullam pecuniam admodum. Divisit tamen in singulos milites tricenos æris, duplex centurionibus, triplex equiti. Nihil in eo triumpho magis insigne fuit, quam quod forte evenit, ut eodem die triumpharet, quo priore anno ex prætura triumphaverat. Secundum triumphum comitia edixit[2], quibus creati consules sunt M. Junius Brutus,

Dissipati procellarum tanquam ex naufragio prœliique se inermes, etc. Quod autem nunc vulgo circumfertur, restituit Frob. anno 1531. Vid. Drak. ad h. l. Ed.

5. *Clondico duce.* MS. *Claudico* ed. Mogunt. *Elonico* conj. Sigon. h. l. et XLIV, 26, n. 5, ex Epitom. lib. XLIII. At valde dubium est, an ibi eodem de homine agatur, et libri illic *Olonico*; Gronov. Infra, XLIV, 26, n. 5, et XLIV, 27 pr. *Clondicus* legitur in ed. pr. et ejusdem forte reguli nomen est; vide XLIV, 26, n. 2. Appiano Maced. XVI, 2, is Κλοίλιος dicitur corrupte haud dubie. — *Pervenerunt*, scilicet in Dardaniam, de qua paulo supra Livius. Ed.

6. *Multitudo retro, qua venerant, t. regionem repetiit*; vide ad I, 41, n. 1; II, 45, n. 10, et X, 12, n. 2.

Cap. LIX. 1. *Triumphum magis gratiæ... datum*; vide ad III, 58, n. 4. — *Nullam pecuniam admodum*; vide ad XXI, 36, n. 3. — *Tricenos æris*, summa nimis exigua, et ex edd. Cervicorni, Paris. 1529, et Ascens. 1530, leg. *trecenos*; Drak.—Summam hanc, ternos efficere denarios ait Creverius, quorum octo uncia argenti Paris. repræsentantur. Ed.

2. *Secundum triumphum comitia*

Digitized by Google

A. Manlius Vulso. Prætorum inde, tribus creatis, comitia tempestas diremit. Postero die reliqui tres facti ante diem quartum Idus Martias[3], M. Titinius Curvus, Ti. Claudius Nero, T. Fonteius Capito. Ludi Romani instaurati ab ædilibus curulibus Cn. Servilio Cæpione, Ap. Claudio Centhone, propter prodigia, quæ evenerant. Terra movit[4] : in foris publicis, ubi lecti-

edixit; vide ad I, 4, n. 1, et XXXI, 49, n. 5. — *Tribus creatis* prætoribus, quorum nomina scribarum culpa excidisse videntur; Crev. Duorum ex his nomina investigavit Pigh. in Ann. ad a. 575, et Duker. ad XLI, 5, n. 6, sc. T. Æbutium et alium M. Titinium. — *Comitia tempestas diremit;* vid. VIII, 23, n. 13.

3. *Ante diem quartum Id. Mart.* Dodwell. de Cyclis, X, 35, conj. *quintum.* « Comitia prætorum postridie aut biduo post consularia haberi solita. Si id hoc anno quoque factum est, comitia consularia serius solito habita. Nam XXXVIII, 42, consul, qui ea ante diem XII Calend. Mart. habuit, *solito serius* ad ea habenda Romam venisse dicitur. Non scio usquam proditum, statum diem consulibus et prætoribus creandis fuisse. Gruchius de Com. Rom. I, extr. et II, 6 scribit, ea, quo tempore consules et prætores adhuc Id. Mart. magistratum inibant, quod usque ad a. Urb. 600 obtinuit, Januario et Febr. habita fuisse. Si verum est, quod de Febr. putat, non multo post eum inchoatum habita, colligi potest ex XXXVIII, 42; XLII, 28, et XLIII, 11 ». Duk.

4. *Terra movit;* vide ad XXXV, 40, n. 4. — *In foris publicis:* ex XXXVI, 1, et XLII, 10, leg. *in fanis publicis... deorum capita, qui;* Duk. *lanaque* (ex vitta lanea, ornatus deorum rerumque sacrarum in diebus festis) *cum integumentis quæ Jovi opposita fuit, decidit,* eadem verba, sed *apposita* pro *opposita,* leguntur apud Obseq. de Prod. c. 61, ubi conferendi Scheffer et Oudendorp. (Vide notas Edit. nostr. Val. Max. vol. II, Part. post. p. 71. Ed.) Ille conj. *læna,* vestimentum, quo utebantur, qui e balneo ad cœnam ituri erant: hic cum Cupero *lanx cum integumentis* (h. e. operculis, quibus lances opertæ in epulis apponebantur, aut veste stragula, qua mensa erat strata), vel *intrimentis, quæ Jovi apposita fuit.* Cf. ad I, 7, n. 12; XL, 51, n. 5.— Pighius in Annal. ad a. Urb. ıoLXXV, pag. 341, existimat, in fine hujus et in initio sequentis libri temporum injuria apud Livium interiisse, quæ in principio anni de republica, provinciisque, et exercitibus in senatu decreta fuere, provinciarum insuper sortitiones et multa alia ejus anni acta. « In initio libri sequentis, ait Drakenb. multa ejus generis desiderari satis patet. Verum a fine hujus libri nihil deesse contendo. Livius enim provinciarum sortitionem et exercituum inter novos magistratus divisionem rarius in finem libri, at frequentissime in initium sequentis conferre solet, licet præcedentem anni proximi comitia enarrando finiisset. Exempla videri possunt, lib. XXXI, in fine, et

Digitized by Google

sternium erat, deorum capita, quæ in lectis erant, averterunt se; lanaque cum integumentis, quæ Jovi opposita fuit, decidit. De mensa oleas quoque prægustasse mures, in prodigium versum est. Ad ea expianda nihil ultra, quam ut ludi instaurarentur, actum est.

XXXII, in principio; lib. XXXVI, in fine, et XXXVII, in principio; lib. XXXIX, in fine, et XL, in principio. Quæcumque itaque in narratione Livii hoc loco interciderunt, non calci hujus libri, eum enim his verbis (*ad ea expianda ... actum est*) desiisse puto, sed capiti libri sequentis, XLI, olim adnexa fuisse puto. Unicum exstat exemplum, provinciarum sortitionem narrari, in fine scil. libri XXV; quis autem cuique exercitus assignaretur in initio lib. XXVI. Verum ibi uno verborum ambitu magistratus creatos, et quæ illis provinciæ obvenerint, refert ». Ed.

Digitized by Google

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER XLI.

BREVIARIUM*.

Cap. I; A. Manlius Vulso consul, qui Galliam provinciam sortitus erat, Istris bellum inferendi consilium capit, et ab Aquileia ad lacum Timavi movet castra: quo et C. Furius ac L. Cornelius duumviri navales cum xx navibus multisque onerariis veniunt. — II; Romanorum vero præsidia, ab Istris oppressa ante lucem, confugiunt in castra, ibique tantum terroris faciunt, ut omnes fere trepidi ad mare decurrant, et pauci, qui remanent, ab hostibus interficiantur. — III; Plerique adeo in naves territi ruunt, oriturque certamen et cædes militum atque nautarum. Tandem jussu consulis tertia arcessitur legio, et undique omnes ad castra recipienda redeunt. — IV; Quo facto inferunt signa, et longe maximam Barbarorum partem, vino somnoque mersam, obtruncant. — V; Interea Romam affertur, perditas res esse, et delectus in Gallia totaque Italia indicuntur; alter quoque consul, M. Junius, ex Liguribus in Galliam transire jubetur. Cujus adventu perterriti hostes passim in civitates dilabuntur, et consules Aquileiam in hiberna legiones reducunt. — VI; Senatusconsultum fit, ut consules inter se comparent, uter eorum ad comitia habenda Romam redeat; et absentem Manlium duo tribuni plebis in concionibus lacerant. Legati Sardorum Lyciorumque Romam veniunt; et illi de Iliensium Balarorumque populationibus, hi de Rhodiorum crudelitate queruntur. — VII; Ti. Sempronius Gracchus de Celtiberis, et L. Postumius Albinus de Lusitanis triumphat. M. Junius consul comitiorum causa Romam revertitur, et Papirius Liciniusque tribuni plebis indignan-

* De illis quæ narrantur in Supplementis, vide Epitomas. Ed.

Digitized by Google

tur, quod non potius A. Manlius venerit, ut simul rationem reddat rerum in Istria et sponte et male gestarum. — VIII; Novi consules (C. Claudius Pulcher et Ti. Sempronius Gracchus) prætoresque creantur, et sortiuntur provincias. Legati Latinorum in senatu rom. queruntur, cives suos Romæ censos plerosque eo commigrasse, et genera fraudis duo mutandæ viritim civitatis induxisse. — IX; Hinc lege Claudia et senatusconsulto cavetur, ut socii in suam quisque civitatem redeant, nec quisquam civitatis mutandæ causa manu mittatur. Prodigia nuntiantur et procurantur. Consules provincias sortiuntur, et Claudio Istria, Sempronio Sardinia obvenit. — X; Ille certior factus, Istros devictos pacem petiisse, ne provinciam forte exercitumque amittat, non votis nuncupatis, non paludatus, sine lictoribus, noctu præceps in Istriam abit, atque A. Manlium et M. Junium proconsules et probris lacessit, et provincia decedere jubet. Sed fatigatus ludibriis militum, imperium consulis spernentium, Romam revertit, et more majorum ab Urbe proficiscitur. — XI; Tum novo exercitu adducto veterem cum suis ducibus dimittit, et tribus oppidis deletis Istriam totam in ditionem Romanorum redigit. — XII; Inde legiones ex Istria transducit in Ligures, et hac quoque provincia pacata, duarum gentium uno anno victor Romam redit. Ab altero etiam consule Ti. Sempronio prospere res geruntur in Sardinia, et exercitus in hiberna sociarum urbium reducitur. — XIII; Prodigia expiantur; et Lucam colonia deducitur. C. Claudius consul de Istris Liguribusque triumphat. — XIV; Consules prætoresque creantur, et C. Claudio prorogatur imperium et Gallia provincia, in qua Ligures rebellaverant. — XV; Novi consules, Cn. Cornelius Scipio Hispallus et Q. Petillius Spurinus, majoribus hostiis usque ad litationem sacrificare jubentur: quo facto ipsi prætoresque sortiuntur provincias. Tres vero prætores deprecantur, ne in provincias eant. — XVI; Latinæ feriæ, quia non recte erant factæ, instaurantur, et Cn. Cornelio cos. mortuo, Q. Petillius collegæ subrogando comitia edicit. Prodigia procurantur: et in Liguria C. Claudius iterum res prospere gerit. — XVII; Eodem tempore Ti. Sempronius multis secundis præliis Sardos perdomat, eoque anno in provincia manere jubetur. C. Valerius Lævinus consul creatur; et, audita rebellione Ligurum, ambo consules in Galliam proficiscuntur. — XVIII; Inde, exercitu C. Claudii accepto copiisque divisis, diversas Liguriæ regiones petunt: et Q. Petillius ad Balistæ et Leti

Digitized by Google

radices missili trajectus cadit. — XIX; Romanos belli macedonici subit cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina. — XX; Antiochi Epiphanis ingenium male sanum; sed vere regius animus in urbium donis et deorum cultu: ejusdem magnifica spectacula et prima gladiatorum munera.— XXI; Sortitio provinciarum; delectus; gravis pestilentia; supplicatio et votum a populo in foro conceptum; prodigia. — XXII; Legati a Perseo Carthaginem, et a Romanis in Macedoniam mittuntur. Per idem tempus Perseus Dolopiam subigit armis, utque Græcorum sibi conciliet animos, tum ipse per Phthiotidem, Achaiam Thessaliamque iter facit, tum ad alias civitates legatos et literas mittit. — XXIII; Alienissimi ab eo sunt Athenienses et Achæi. In horum concilio Callicrates regem criminatur; — XXIV; quem Arco, frater Xenarchi prætoris, defendit.—XXV; Ætolorum Cretensiumque in semet ipsos versus furor auctoritate legatorum romanorum non sedatur: et Lycii ab Rhodiis bello vexantur. — XXVI; Celtiberi ab Ap. Claudio debellantur. —XXVII; Memorabilis censura Q. Fulvii Flacci et A. Postumii Albini. Intestina bella Patavinorum Ætolorumque. — XXVIII; Supplicatio ob res ab Appio Claudio Centhone in Hispania prospere gestas, et ovatio ejus. Comitia consularia et prætoria. Tabula in æde Matris Matutæ posita cum indice et simulacris rerum, a T. Sempronio Graccho in Sardinia gestarum. Insigne munus gladiatorium, a T. Flaminino in honorem patris mortui editum cum visceratione epuloque et ludis scenicis.

SUPPL.* (*I*). Jam per omnes orbis terrarum partes victricia pop. rom. circumtulerat arma, dissitasque procul et sejunctas non uno mari regiones longe lateque pervaserat. Sed, in tanta fluentium ex voto rerum felicitate moderationis tamen adeptus laudem, auctoritate magis, quam imperio, pollebat: et apud exteras gentes plura consilio, quam vi et terrore, gerere se gloriabatur. In devictos populos regesque non acerbus, munificus erga socios, sibi solum victoriæ decus appetens, suam regibus majestatem, populis, vel in æquo, vel etiam in impari fœdere, suas tamen leges, sua jura libertatemque servaverat: atque adeo armis utramque maris me-

* Supplementa hæc dedimus, uti illa Doujatius confecit, et post hunc a Creverio, Drakenb. et Doering. edita invenimus. Ed.

Digitized by Google

diterranei oram a Gadibus ad Syriam usque complexus, et per immensos terrarum tractus reverentia nomini romano conciliata, subjectos tamen ditioni solos habebat Siciliæ, et circumjectarum Italiæ insularum, et pleræque Hispaniæ, jugum tamen nondum docili ferentis cervice, populos. Augendæ dominationi causam materiamque præbuit potius inconsulta hostium et æmulorum pravitas, quam ipsius ambitio. Persei inprimis, Macedoniæ regnum per fraudem ac scelus adepti, crudelitas in populares omnibus invisa, vesana inter immensas opes avaritia, inconsiderata in capiendis exsequendisque consiliis levitas, et illum pessumdedere, et quæcumque stante hoc præcipuo romanæ potentiæ velut freno stare poterant. Redundavit enim in alios ejus casus, nec finitimorum tantum, sed eorum etiam, qui longius remoti erant, ruinam traxit. Macedonum exitium sequuta cum Achæis Carthago : atque, horum cladibus convulso omnium statu, reliqua jam imperia, aliquamdiu obnoxia, post paulo eversa, in romanum imperium cuncta cesserunt. Atque hæc, ut locis temporibusque diversa, ita re conjuncta, sub uno aspectu hic ponere libuit, intuenti imminens mox Romanis a Perseo bellum, unde initium maxime crescendi res romanæ cepere. Illud bellum tunc coquebat occultum Perseus : lacessebant magis, quam exercebant, romana arma Ligures et Galli.

(*II*). M. Junio Bruto, A. Manlio Vulsoni consulibus decretæ ergo provinciæ sunt, Gallia et Ligures; Manlio Gallia, Junio Ligures obtigere. Prætoribus, M. Titinio Curvo urbana, Ti. Claudio Neroni peregrina jurisdictio evenit; P. Ælio Liguri Sicilia, T. Æbutio Caro Sardinia, M. Titinio (duo enim M. Titinii præturam hoc anno gesserunt) Hispania citerior, T. Fonteio Capitoni ulterior. Incendium circa forum ortum est, quo et plurima deusta sunt, et Veneris ædes sine ullo vestigio cremata. Vestæ penetralis ignis exstinctus. Virgo, cujus custodia fuerat, jussu M. Æmilii pontificis maximi flagro cæsa, et supplicationes de more habitæ

§ I. Liv. infra, cap. 5, 6 et 7.

Digitized by Google

sunt. Lustrum hoc anno a censoribus M. Æmilio Lepido, M. Fulvio Nobiliore conditum est. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta tria millia, ducenta quadraginta quatuor. Legati a Perseo Macedonum rege venerunt, postulantes, ut rex sociusque et amicus a senatu appellaretur, fœdusque cum eo, quod cum Philippo patre ejus fuerat, renovaretur. Suspectus invisusque erat Romanis Perseus, nec dubitabant plerique, quin bellum, a Philippo tot per annos occultis consiliis instructum, ubi primum daretur occasio, viresque ei suæ satis placuissent, illaturus esset. Tamen, ne quietum et pacis studiosum lacessisse, belloque causam ipsi dedisse viderentur, postulata ei sua concesserunt. Perseus hoc accepto responso, firmatum jam omnino sibi regnum existimans, opes apud Græcos parare statuit. Cupidus ergo comparandæ eorum amicitiæ, quotquot æris alieni causa aut judicio damnati solum verterant, quique ob majestatis crimina Macedonia excesserant, universos in Macedoniam revocavit, edictis in insula Delo ac Delphis, et in templo Itoniæ Minervæ palam propositis, quibus non modo impunitatem, sed etiam bonorum omnium restitutionem, cum fructibus ab eo tempore, ex quo quisque exsularet, redeuntibus concedebat. Sed et iis, qui in Macedonia degebant, quidquid debebatur fisco, remisit; cunctosque ob crimen majestatis vinctos liberavit. His rebus quum multorum animos arrexisset, Græciam in se convertit omnem, et magna spe implevit. Quin etiam in toto reliquæ vitæ cultu regiam dignitatem tuebatur. Nam et species erat honesta, et corpus ad omnia belli pacisque munia obeunda validum et habile, et frontis ac supercilii decora maturæ jam ætati majestas. Nihil in eo paternæ lasciviæ, effusæque in venerem et vina libidinis. His laudibus Perseus initia principatus commendabat, haud pares inceptis habitura exitus.

(*III*). Antequam prætores ii, qui Hispanias sortiti fuerant, in provincias venirent, magnæ res ibi gestæ sunt a Postu-

§ II. Liv. XL, 58; Epitome vetus XLI, et h. lib, capp. 9, 26; XLIII, 2, et XLV, 9. — Jul. Obseq. 26. — Polyb. Excerpt. de Virt. et Vit. XXVI.

Digitized by Google

mio et Graccho. Sed Gracchi præcipua laus fuit, qui ætate florens, quum virtute animi et prudentia æquales omnes multum anteiret, et ingenti jam tum fama celebrabatur, et majorem in futurum de se spem concitabat. Carabin, urbem sociam Romanorum, viginti millia Celtiberorum oppugnabant. Gracchus ad opem sociis ferendam properavit. Illa sollicitudo angebat, quonam modo consilium suum obsessis significaret, tam arcta obsidione prementibus urbem hostibus, ut vix eo nuncius commeare posse videretur. Arduum negotium expedivit Cominii audacia. Is equitum turmæ præfectus, re prius apud se perpensa, et Graccho quid pararet admonito, hispanico indutus sago, pabulatoribus hostium se immiscuit. Cum his castra ingressus, hinc cursu ad urbem contendit, nunciatque adventare Tiberium. Oppidani ex ultima desperatione ad alacritatem atque audaciam hoc nuncio excitati, obfirmatis ad fortiter repugnandum animis, die tertio, advehtu Gracchi digressis hostibus, obsidione exempti sunt. Ipse postea Gracchus, fraude Barbarorum appetitus, periculum viribus arte adjutis ita discussit, ut dolus in auctores verteret. Complega erat urbs aliquot ante annis condita, sed valida muris et celeribus incrementis aucta, in quam multi Hispanorum concurrerant, qui prius egentes agro huc illuc vagari cogebantur. Ex ea urbe prodeuntes ad viginti hominum millia, supplicum habitu, ramosque oleæ porrigentes, in conspectu castrorum tanquam pacem oraturi constiterunt. Mox, abjectis precantium insignibus, ex improviso aggressi Romanos, pavore ac tumultu omnia compleverunt. Gracchus sapienti consilio castra per simultationem fugæ deseruit: quæ illi dum solita Barbaris aviditate diripiunt, seseque præda præpediunt, reversus subito, et nihil tale metuentes adortus, plurimos cecidit, atque etiam ipsa urbe potitus est. Sunt, qui rem aliter narrent; Gracchum, quum comperisset hostem inopia laborare, castra instructissima omnibus esculentis deseruisse: quæ adeptum hostem, et repertis intemperanter repletum gravemque, reducto exercitu romano, subito oppressum esse. Cæterum, sive hæc diversa est ejusdem rei gestæ narratio, sive alia

Digitized by Google

plane res ac victoria, complures certe populos Gracchus, atque adeo totam Celtiberorum gentem perdomuit. Cepisse eum et evertisse trecentas ex illis urbes, quamquam Polybius gravis inprimis auctor memorat, haud tamen pro certo affirmare ausim, nisi si urbium nomine turres et castella intelligenda sunt: quo mendacii genere et ipsi bellorum duces, et scriptores quoque historiarum res gestas exornare amant. Nam Hispania quidem arido et inculto solo magnam urbium multitudinem alere non potest. Repugnant etiam Hispanorum mores, si accolas nostri maris excipias, feri agrestesque, quum civilibus urbium conventibus mansuetiora fieri soleant hominum ingenia. Cæterum quid statuendum sit de numero aut genere urbium a Sempronio captarum (etenim in numero variant quoque scriptores, et centum quinquaginta alii, alii centum tria oppida ab eo capta memoravere), magnas certe ille res gessit; nec bellicis tantum inclaruit laudibus, sed et egregium se pacis legumque moderatorem et arbitrum devictis gentibus præbuit. Nam et divisit inopibus agrum, et sedes ad habitandum assignavit, et omnibus ea loca incolentibus populis leges accurate descriptas, ex quibus in amicitia ac societate populi romani viverent, dato acceptoque jurejurando firmavit. Atque hujus quidem fœderis auctoritatem sæpius imploravit sequens ætas in bellis, quæ postea orta sunt. Gracchus monumentum virtutis operumque suorum Gracchurim urbem suo nomine insignem esse voluit, quæ antea Illurcis nominabatur. Postumii rerum fama obscurior est. Vaccæi tamen ab eo et Lusitani subacti sunt, et quadraginta ex his populis hominum millia interfecti. His rebus gestis ambo, advenientibus successoribus exercitus ac provincias quum tradidissent, ad triumphum decesserunt.

(*IV*). In Gallia Manlius consul, cui ea provincia obvenerat,

§ III. Diodor. apud Vales. — Appian. Alex. et Iber. — Frontin. Strateg. II, 5. — Liv. XL, 49; Epit. XLI. — Strab. III, pag. 163. — Flor. II, 17. — Festus. — Oros. IV, 20. — § IV. Flor. II, 10. — Liv. infra, 7 et 11.

Digitized by Google

quum triumpho materia deesset, oblatam a fortuna belli adversus Istros movendi occasionem cupide amplexus est. Ætolos pridem bellantes quum adjuvissent Istri, nuper quoque tumultuati fuerant. Præerat tum illis ferocis ingenii rex Æpulo, qui gentem]* a patre in pace habitam armasse, eoque juventuti prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur.

I (*V*). Consilium[1] de Istrico bello quum haberet[2] consul, alii gerendum extemplo, ante quam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant[3]. Vicit sententia, quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileia consul castra ad lacum[4] Timavi posuit (imminet mari is lacus); eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui tuendæ viginti navibus maris superi oræ Anconam velut cardinem haberent[5]; inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquileiam tueretur. Eæ naves ad proximum portum in

* Ne dimidia quidem hujus libri pars superesse videtur. — Cæterum, monet Creverius horum quinque librorum fragmenta quæ habemus, publici juris fecisse Simonem Grynæum in Helvetiis, anno 1531, reperta apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorsense, e regione Borbetomagi: nec alius postea erui potuit codex, quocum illa conferrentur. Ex unici igitur illius exemplaris fide descripti sunt hi libri. Ed.

Cap. I. 1. *Consilium*, militare scil.

2. *De Istrico* (non vero *Histrico*; Drak.) *bello q. h. consul* A. Manlius Vulso, qui Galliam provinciam sortitus erat, ex qua nunc in Istriam transgreditur.

3. *Alii consulendum prius senatum censebant*, etc. « Satis constat, bella a senatu decreta ac deinde ex auctoritate illius, lege ad populum lata, jussa fuisse; vid. IV, 30, 58; XXXVI, 1; XXXVIII, 45, 46; XLI, 7. Videtur tamen senatus iis, qui provinciis præerant, injussu populi potuisse permittere, ut in terras hostium vicinorum, a quibus periculum provinciis metuebatur, legiones inducerent ». Duker. Conf. ad XXXIX, 55, n. 2, et XLV, 21, n. 1.

4. *Ad lacum Timavi*, ex quo *VII* vel *IX* fontibus, inter Aquileiam et Tergeste, profluere credebatur Timavus fl., de quo vid. Heyn. Exc. 7 ad Virgil. Æn. I, 244 sq.

5. *Qui tuendæ viginti navibus maris superi oræ Anconam velut cardinem haberent*, etc. recepi ex verissima emend. Mureti et Gronov. pro vulg.

Digitized by Google

Istriæ fines cum onerariis et magno commeatu missæ; sequutusque cum legionibus consul quinque ferme millia a mari[6] posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur. Et, quo id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt; in Istriamque suum præsidium stativum[7], repentina cohors Placentina[8] opposita inter mare et castra: et, ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius tribunus militum secundæ legionis duos manipulos militum adjicere jussus est. T. et C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores et lignatores tueretur, via, quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum: Catmelus pro regulo erat[9] tribus haud amplius millibus armatorum.

II (*VI*). Istri, ut primum ad lacum Timavi castra sunt romana mota, ipsi post collem occulto loco consederunt, et inde obliquis itineribus agmen sequebantur,

tuendam v. n. mari superiore Anconam. — Priscam hanc lectionem defendere tentat Doeringius, cujus nota est: « Junge: *qui haberent* (tenerent, sibi sumerent) *Anconam, viginti navibus* (in) *mari superiore tuendam, velut cardinem,* velut locum, unde hostis repelli possit, opportunissimum: *cardo* translate dicitur id, a quo maxime aliquid pendet; et jam, locus in quo summa rei vertitur, dixeris ejusmodi locum *centrum.* Supra ad XL, 18: *inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium Minervæ velut cardo in medio esset.* Ed.

6. *Quinque ferme millia a mari:* a lacu Timavo, ad quem consul castra posuit, ad mare quum hodie sint amplius tria milliaria, castra inde paulum remota fuisse in superiora loca, vel numerum hunc corruptum esse, putabat Cluver. Ital. Ant. I, 20, pag. 193.

7. *In Istriamque suum præsidium stativum;* leg. *Istriam versus,* vel *in Istriam versum p. s.* Gron.

8. *Repentina cohors Placentina;* vide ad I, 37, n. 4.

9. *Catmelus pro regulo erat,* in iis castris erat loco reguli, qui ipse non aderat; Crev. cui tamen verba sunt suspecta. Forte *præerat* pro *erat* legendum. *Carmelus* Curio et deinde alii edidere. *Camelus* apud Velleium Paterc. II, 64. Conf. Epit. Liv. CXX, et consule ibi Drakenb.

Digitized by Google

in omnem occasionem intenti; nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat[1]. Postquam stationes invalidas esse pro castris, forum turba inermi frequens inter castra et mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento, viderunt; duo simul præsidia, Placentinæ cohortis et manipulorum secundæ legionis, aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: qua dilabente ad primum teporem solis, perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux[2], speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo majorem iis, quam erat, hostium aciem ostendit. Qua territi utriusque stationis milites ingenti tumultu quum in castra confugissent, haud paulo ibi plus, quam quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere, quid fugissent, nec percunctantibus reddere responsum poterant; et clamor in portis (ut ubi nulla esset statio, quæ sustineret impetum) audiebatur; et concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab uno exclamatum totis passim personabat castris. Itaque primo, velut jussi id facere, pauci armati, major pars inermes, ad mare decurrunt; dein plures, postremo prope omnes, et ipse consul, quum, frustra re-

Cap. II. 1. *Nec quidquam eos, quæ agerentur, fallebat*, latebat. Sed malim *eorum, quæ*, ut *fallere* absolute sine casu ponatur (ut V, 47; VII, 36; VIII, 38; X, 14; XXII, 33; XXV, 9; XXXI, 26; XLIV, 6, 11, 29; vide ad III, 8, n. 2), et sit, quo referatur τὸ *quæ*; Drak. — *Forum turba inermi frequens... mercantium* recepi ex emend. Scalig. et Gron. pro vulg. *eorum turba inermis*, etc. Supra, c. 1, *in portu emporium perfrequens.*

2. *Perlucens jam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux.* Lux jam ex parte aliqua perrumpens quodcumque obvium, incerta tamen, ut solet esse, quum dilabentibus nebulis exoriri incipit. — *Ut ubi nulla esset statio*; vide ad VIII, 30, n. 7. — *Forte temere*; vide ad II, 31, n. 3.

Digitized by Google

vocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum, valuisset. Unus remansit M. Licinius Strabo[3], tribunus militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc, in vacua castra impetu facto, Istri, quum alius armatus iis nemo obviam isset, in prætorio instruentem atque adhortantem suos oppresserunt. Prælium atrocius, quam pro paucitate[4] resistentium, fuit; nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio[5] dejecto, direptis, quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum quintanamque hostes pervenerunt. Ibi, quum omnium rerum paratam expositamque copiam, et stratos lectos in quæstorio[6] invenissent, regulus accubans epulari cœpit. Mox idem cæteri omnes, armorum hostiumque obliti, faciunt; et, ut quibus insuetus liberalior victus[7] esset, avidius vino ciboque corpora onerant.

III (*VII*). Nequaquam eadem est tum[1] rei forma apud

3. *M. Licinius Strabo*, forte *Stolo*; Pigh. Ann. ad a. 590. — *Cum tribus signis ab l. s. r.* vid. XXV, 23, n. 9.

4. *Atrocius, quam pro paucitate r.* vide ad VII, 33, n. 2.

5. *Prætorio dejecto* (vide ad VI, 42, n. 7, et XXXI, 23, n. 4), *direptis* (forte *direptisque*, Drak.) — *Ad quæstorium forum quintanamque*, sc. viam, forum castrense, ubi præda *omniumque rerum* venalium *copia exponebatur* (Δίοδος, ἣν καλοῦσι πεμπτὴν, διὰ τὸ παρὰ πεμπτὰ τάγματα παρήκειν, quia per quintos ordines ducit seu media transit, Polyb. VI, 30, § 6); nisi malis intelligere *portam*, coll. Festo: *Quintana appellabatur porta in castris post prætorium, ubi rerum utensilium forum fuit.* Eadem porta memoratur Hygino, de Castramet. p. 7, al. 1083. Conf. Lips. Mil. Rom. V, 3; Schel. ad Polybium, pag. 1165; ad Hygin. l. l. Ern. ad Suet. Ner. 26. *Quæstorium forum* recte dici putabat Ern. At quo sensu? Schelius post *quæstorium* putabat interpungendum. Dukero *forum* videbatur glossema magistri, qui docere voluerit, *forum* castrorum in *quintana* fuisse. *Quæstorium* et *prætorium*, sc. tabernaculum (ταμιεῖον et στρατήγιον) erant propinqua. Conf. ad III, 5, n. 3; X, 32, n. 3; Polyb. VI, 29.

6. *Stratos lectos in quæstorio* contra morem ac disciplinam militarem, quam valde solutam in his castris fuisse apparet; Duk. Cf. Lips. Mil. Rom. V, 16, et Schel. ad Polyb. l. l. c. 10.

7. *Liberalior victus*; vid. XXIII, 46, n. 2.

Cap. III. 1. *Eadem est tum*, del. *est tum*; Grut.

Digitized by Google

Romanos: terra, mari trepidatur: nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt; milites in scaphas et mare territi ruunt: nautæ, metu ne compleantur navigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt. Inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus et cæde in vicem militum nautarumque oritur, donec jussu consulis procul a terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis cœpit. Vix mille ducenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inventi sunt. Cætera deformis turba, velut lixarum calonumque, præda vere futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius ad tertiam legionem revocandam et Gallorum præsidium[2]; et simul ex omnibus locis ad castra recipienda demendamque ignominiam rediri cœptum est. Tribuni militum tertiæ legionis pabulum lignaque projicere jubent: centurionibus imperant, ut graviores ætate milites binos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta erant, imponant; equites ut singulos e juvenibus pedites secum in equos tollant[3]. *Egregiam glo-*

2. *Tuno* (forte *tum*) *demum nuntius ad tertiam legionem revocandam et* ad *Gallorum præsidium* revocandum, sc. missus est vel venit (vide ad XXXVII, 10, n. 1), edocens sociorum periculum; nam, si Livium in cap. 1 satis capio, Galli steterunt a parte romana, et hinc ille mox non *utrimque* dixit, sed *ex omnibus locis*, scil. a mari et navibus, qui e castris aufugerant, rediere, tum a via, quæ ferebat Aquileiam, legio tertia cum pabulatoribus, denique a præsidio Gallorum, etsi horum postea mentionem omittat, sive non adfuerint in tempore, sive operam eorum non ducens tanti: si vero ex aliquo auctore alio doceretur, Gallos Istrorum socios fuisse, facile foret corrigere *et pabulatorum præsidium*; Gron. Sed posterior ratio minus probanda: nam ipsa legio tertia fuit pabulatorum præsidium, et sic *utrimque* dicendum erat, non *ex omnibus locis*. Conf. ad cap. 1 extr. Gronov. ad Sen. Troad. 844, et intpp. Frontini, Strat. I, 1, n. 10.— *Tribuni militum pabulum l. projicere jubent*, sc. milites vel pabulatores ac lignatores; Drak.

3. *Equites ut singulos e juvenibus... tollant*, scilic. imperant. Constructio verborum variata est, nisi leg. *equiti-*

Digitized by Google

riam legionis fore, si castra, metu[4] *secundanorum amissa, sua virtute recipiant; et recipi facile esse, si in præda occupati Barbari subito opprimantur: sicut ceperint, posse capi.* Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa[5], nec signiferos armati morantur; priores tamen consul copiæque, quæ a mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius, tribunus primus secundæ legionis[6], non hortabatur modo milites, sed docebat etiam, *si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exsutum castris hostem ad mare persequuturos fuisse, deinde stationes certe pro vallo habituros. Vino somnoque verisimile esse mersos jacere.*

IV (*VIII*). Sub hæc[1] A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum jussit. Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret, jacturum dixit[2]; connisusque, quum trans vallum signum tra-

bus (sc. imperant) *ut*, etc. Ejusmodi incuria ap. scriptores optimos frequens.

4. *Metu secundanorum*, secundæ legionis.

5. *Ferunt citati signa*, celeriter eunt, procedunt. — *Ad vallum accesserunt* castrorum romanorum, ab Istris captorum.

6. *Tribunus primus s. l.* vid. Lips. Mil. Rom. I, 3.

Cap. IV. 1. *Sub hæc* (vide ad II, 55, n. 1)... *jussit*, scilic. Atius,... *signiferum suum:* « Non video, cur addat *suum*, quasi peculiarem aliquem signiferum tribuni. Tribuni militum præerant toti legioni, cujus tot erant signiferi, quot signa, i. e. manipuli. Quemadmodum autem nusquam alibi manipulum tribuni, ita nec signiferum illius dici credo ». Duker. — Si vero, ut observat Doering., eos, quos ut bene spectatos maxime diligimus, *nostros* appellare solemus, quidni tribunus Bæculonium signiferum, ut *virum notæ fortitudinis*, et proinde præ cæteris omnibus signiferis carum et dilectum, *suum* vocare potuit? Ed.

2. *Quo celerius* id *fieret, jacturum dixit* (scil. signum, non modo illaturum, quod jubebatur: unde mox *signum trajecisset*) pro vulg. *facturum* recepi ex emend. Gron. Conf. XXVI, 5, et XXXIV, 46. Idem malebat *ille unum, si se sequerentur... dixit*, ut jungantur *dixit unum*, id est, hoc solum, hæc tantum, ut apud Cæs. Bell. Gall. V, 40; Bell. Civ. II, 34. — Doering. contra Gronovium contendit durum admodum esse, ad vocem *jacturum*, non suppleri tantum

Digitized by Google

jecisset [3], primus omnium portam intravit. Et parte alia T. et C. Ælii, tribuni militum tertiæ legionis, cum equitatu adveniunt. Confestim et, quos binos oneraria in jumenta imposuerant, sequuti, et consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ; aliis somno mors continuata est: integraque sua omnia Romani, præterquam quod vini cibique absumptum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis arreptis, cædem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popillii equitis. Sabello cognomen erat. Is, pede saucio relictus, longe plurimos hostium occidit. Ad octo millia Istrorum sunt cæsa, captus nemo, quia ira et indignatio immemores prædæ fecit. Rex tamen Istrorum temulentus ex convivio, raptim a suis in equum impositus, fugit. Ex victoribus ducenti triginta septem milites perierunt, plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris.

V (*IX*). Forte ita evenit, ut Cn. et L. Gavillii, novelli Aquileienses [1], cum commeatu venientes, ignari prope in capta castra ab Istris inciderent. Ii, quum Aquileiam, relictis impedimentis, refugissent, omnia ter-

signum vel *id*, sed etiam ex sequentibus *trans vallum*, vel *in hostem*, vel *in castra;* itaque hunc locum sic exponit, prisca lectione servata: signifer, quem tribunus signum inferre jusserat, ait, se, *si unum se sequerentur, facturum* esse aliquid, *quo celerius fieret* signi inferendi negotium; in animo nempe ille habuit signum trans vallum trajicere; mox igitur *connisus*, etc. Frider. Jacobs. apud Goeller., p. 395, felicissime sic h. l. emendat, nulla verborum trajectione admissa, duabusque literis leviter immutatis: *Ille, signum si sequerentur, quo celerius id fieret, facturum dixit.* Quis non hanc veram fateatur lectionem? Ed.

3. *Trans vallum signum trajecisset;* vid. supra ad XXV, 14, n. 3. — *Aliis s. m. continuata est,* cæterorum somnum mors statim excepit. Conf. ad II, 54, n. 2. Ed.

Cap. V. 1. *Novelli Aquileienses;* vide ad II, 39, n. 4. — *Quo non capta tantum castra ab hostibus, nec*

Digitized by Google

rore ac tumultu, non Aquileiæ modo, sed Romæ quoque post paucos dies, impleverunt; quo, non capta tantum castra ab hostibus, nec fuga, quæ vera erant, sed perditas res deletumque exercitum omnem, allatum est. Itaque, quod in tumultu fieri solet[2], delectus extra ordinem, non in Urbe tantum, sed tota Italia, indicti. Duæ legiones civium romanorum conscriptæ, et decem millia peditum cum equitibus quingentis sociis nominis latini imperata. M. Junius consul transire in Galliam, et ab civitatibus provinciæ ejus, quantum quæque posset, militum exigere jussus. Simul decretum, ut Ti. Claudius prætor militibus legionis quartæ et socium latini nominis quinque millibus, equitibus ducentis quinquaginta, Pisas ut convenirent, ediceret, eamque provinciam, dum consul inde abesset, tutaretur; M. Titinius prætor[3] legionem primam, parem numerum sociorum peditum equitumque, Ariminum convenire juberet. Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus. Titinius, C. Cassio tribuno militum Ariminum, qui præesset legioni, misso, delectum Romæ habuit. M. Junius consul, ex Liguribus in provinciam Galliam transgressus, auxiliis protenus per civitates Galliæ militibusque colonis im-

fuga Romanorum *allata est, sed perditas res* esse *allatum est;* quod verbum Livius, qui orationem variare amat, primum nominativo, deinde infinitivo junxit. Post *fuga* excidisse *deserta* putabat Jac. Periz. et *milites evasisse* Drak.

2. *Quod in tumultu fieri solet*, etc. vide ad II, 26, n. 1. — *T. Claudius prætor.* Ex hoc loco, ut monet Crev. præeunte Dukero, recte colligit Pigh. hunc, et M. Titinium, qui infra nominatur, juri in Urbe dicundo præfuisse. Cæteri enim prætores tunc in provincias profecti esse debebant. Quum autem cap. seq. M. Titinius dicatur senatum dedisse Sempronio et Postumio, quod munus est prætoris urbani absentibus consulibus, indicavit idem Pighius urbanam jurisdictionem Titinio obtigisse, Claudio Neroni inter cives et peregrinos. Ed.

3. *M. Titinius prætor* urbanus. Cf. Duker. — *Ariminum convenire juberet;* Dan. Heinsius apud Elzevir. edidit *Arimini;* sed conf. ad Drak. qui

peratis[4], Aquileiam pervenit. Ibi certior factus, exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuarentur, ipse, remissis auxiliis, quæ Gallis imperaverat, ad collegam est profectus. Romæ magna ex necopinato lætitia fuit: delectus omissus est; exauctorati, qui sacramento dixerant[5]; et exercitus, qui Arimini pestilentia affectus erat, domum dimissus. Istri, magnis copiis quum castra haud procul consulis castris haberent, postquam alterum consulem cum exercitu novo advenisse audierunt, passim in civitates dilapsi sunt: consules Aquileiam in hiberna legiones reduxerunt.

VI (*X*). Sedato tandem Istrico tumultu[1], senatusconsultum factum est, ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Quum absentem Manlium tribuni plebis, A. Licinius Nerva et C. Papirius Turdus, in concionibus lacerarent, rogationemque promulgarent, ne Manlius post Idus Martias[2] (prorogatæ namque consulibus jam in annum provinciæ erant) imperium retineret, uti causam extemplo dicere, quum abisset magistratu, posset; huic rogationi Q. Ælius collega intercessit, magnisque contentionibus obtinuit, ne perferretur. Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus et L. Postumius Albinus ex Hispania Romam quum revertissent,

multis Livii exemplis casum accusandi defendit. Ed.

4. *Militibusque colonis imperatis*, forte *coloniis*, quæ contra milites dare XXIX, 15 abnuerunt; Drak.

5. *Exauctorati, qui sacramento dixerant*; vid. II, 24, n. 7, et VIII, 34, n. 8.

Cap. VI. 1. *Sedato Istrico tumultu*; vide ad II, 26, n. 1. — *A. Licinius Nerva*, prænomen a Sigon. additum. Conjicit legendum *C.* Drakenborch.

2. *Post Idus Martias*, quibus consulatus aliique magistratus iniri solebant. Conf. ad XXI, 63; XXII, 1, al. — *Prorogatæ namque consulibus jam in annum provinciæ erant*, non in totum annum, credo, sed quoad successores venissent: nam anno seq. Claudius consul eos cum suis exercitibus dimisit; Duker. Vide ad cap. 10. An leg. *prorogandæ*?

Digitized by Google

senatus iis a M. Titinio prætore datus in æde Bellonæ ad disserendas res[3], quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut diis immortalibus haberetur honos. Eodem tempore et in Sardinia magnum tumultum esse, literis T. Æbutii prætoris cognitum est, quas filius ejus ad senatum attulerat. Ilienses, adjunctis Balarorum auxiliis, pacatam provinciam invaserant; nec eis invalido exercitu, et magna parte pestilentia absumpto, resisti poterat. Eadem et Sardorum legati nuntiabant orantes, ut urbibus saltem (jam enim agros deploratos esse[4]) opem senatus ferret. Hæc legatio, totumque quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magistratus rejectum est. Æque miserabilis legatio Lyciorum[5], qui crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querebantur: *Fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam servitutem, collatam cum præsenti statu, præclaram libertatem visam. Non publico tantum se premi imperio, sed singulos*[6] *justum pati servitium. Juxta se conjuges libe-*

3. *Senatus iis a M. T. prætore datus in æde Bellonæ ad disserendas res,* etc. vide ad VIII, 5, n. 1, et XXVI, 21, n. 1. *Edisserendas,* ut XXII, 54, XXVII, 7, et al. conj. Gronov. ac deinde *et ut diis*, etc. Vulgatum *disserendas* tuentur Duk. et Drak. Conf. et Cort. ad Sallust. Cat. 5. — *Balarorum;* vid. Strab. V, 225; Pausan. X, 17; Plin. III, 7.—*Magna parte pestilentia absumpto* exercitu, ut IX, 24, et XL, 34, nisi leg. *magna ex parte*, vel *magnam partem;* Drak.

4. *Agros deploratos esse;* vide ad III, 38, n. 3.

5. *Æque miserabilis legatio Lyciorum*, etc. ad finem cap. conf. Polyb. XXVI, 7, qui tamen hanc legationem, aut certe responsum legatis Lyciorum datum, in annum seq. rejicit; Drak. Idem mox emend. *Fuisse se sub ditione Antiochi.*

6. *Non publico tantum se premi imperio, sed singulos*, etc. « forte *singulorum*, sc. Rhodiorum, vel potius *publice*, i. e. Rhodios non tantum in publicum et commune Lyciorum grave imperium exercere, quod tributorum exactionibus, legum violatione multisque aliis rebus fieri potest; sed etiam singulos Lycios mancipiorum loco habere. Imperium publice sævum et injustum esse potest, ut privati et singuli tamen non patiantur eam servitutem, qua se premi queruntur Lycii. *Imperium* vero *publicum* est imperium civitatis Rhodiorum. At huic civitati aptius videntur opponi potuisse pri-

Digitized by Google

rosque vexari: in corpus, in tergum sæviri: famam, quod indignum sit, maculari dehonestarique; et palam res odiosas fieri, juris etiam usurpandi causa; ne pro dubio habeant, nihil inter se et argento parata mancipia interesse. Motus his senatus literas Lyciis ad Rhodios dedit[7]: *nec Lycios Rhodiis, nec ullos alicuiquam*[8], *qui nati liberi sint, in servitutem dari placere. Lycios ita sub Rhodiorum simul imperio et tutela esse, ut in ditione populi romani civitates*[9] *sociæ sint.*

VII (*XI*). Triumphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis sociisque eorum; postero die L. Postumius de Lusitanis aliisque ejusdem regionis Hispanis triumphavit. Quadraginta millia pondo argenti[1] Ti. Gracchus transtulit, viginti millia Albinus. Militibus denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti ambo diviserunt; sociis tantumdem, quantum Romanis. Per eosdem forte dies M. Junius consul ex Istria comitiorum causa Romam venit. Eum quum in senatu fatigassent interrogationibus tribuni plebis Papirius et

vati Rhodii, quam ea, quæ singuli Lycii patiebantur ». Duker. — *Juxta se* (æque, pariter ac se; vide ad V, 6, n. 3) ex emend. Sigon. pro *justos*.

7. *Literas Lyciis ad Rhodios dedit*, « legatos Romam missos esse, refert Polyb. XXVI, 7, 8. Potuit autem senatus redeuntibus Lyciorum legatis literas Rhodum perferendas dedisse, et postea legatos misisse: quorum prius Livius, posterius Polyb. narravit. Potuit tamen illud prius etiam Polyb. retulisse in illis, quæ hodie ex scriptis ejus interiere ». Drak.

8. *Nec ullos alicuiquam;* Herald. conj. *alii cuiquam*, et Drak. *alicui* et *cuiquam*, suspicans, librarios hanc utramque lectionem invenisse et exprimere voluisse. Sed *aliquisquam* et *aliquispiam* etiam dixit Cicero, idemque sæpe *aliquis* pro *alius quis*. Cf. Gron. et Drak. ad h. l.; Ern. ad Cic. Div. II, 50, Tusc. III, 9, p. Sext. 29, et Clav. Cic. voc. *aliquis*, nosque ad Taciti Ann. I, 4, n. 12.

9. *In ditione populi romani civitates sociæ;* vide ad XXII, 13, n. 9.

Cap. VII. 1. *Quadraginta millia pondo argenti*, marcas nostrates æstimat Crever. 62, 500; *viginti millia*, marcas 31,250; *denarios quinos vicenos*, amplius ternas uncias argenti

Digitized by Google

Licinius de his, quæ in Istria essent acta, in concionem quoque produxerunt. Ad quæ quum consul, *se dies non plus undecim in ea provincia fuisse*, responderet; *quæ se absente acta essent, se quoque, ut illos, fama comperta habere*: exsequebantur deinde quærentes, *Quid ita non potius A. Manlius Romam venisset, ut rationem redderet populo romano, cur ex Gallia provincia, quam sortitus esset, in Istriam transisset? Quando id bellum senatus decrevisset, quando id bellum populus romanus jussisset*[2]*? At, Hercule, privato quidem consilio bellum susceptum esse, sed gestum prudenter fortiterque. Immo, utrum susceptum sit nequius, an inconsultius gestum, dici non posse. Stationes duas necopinantes ab Istris oppressas, castra romana capta, quod peditum, quod equitum in castris fuerit*[3]*. Cæteros inermes fusosque, ante omnes consulem ipsum, ad mare ac naves fugisse. Privatum rationem redditurum earum rerum esse, quoniam consul noluisset.*

nostrates. Ed. — *Exsequebantur quærentes;* forte *quærendo*, ut passim Livius dixit. Sed illud quoque bene habet; vide ad V, 15, n. 8.

2. *Quando id bellum pop. rom. jussisset:* duas voces *id bellum* per errorem librarius repetisse videtur; Gron. Conf. ad cap. 1, n. 3. — Non alienam esse a sermone iratorum hanc, quæ ingrata est Gronovio, repetitionem, recte observavit Doer. Ed. — Mox pro *Immo* forte leg. *Id vero*, sc. Istricum bellum.

3. *Quod peditum, quod equitum in castris fuerit*, sc. captum esse: sed cap. 2 nulli in castris capti memorantur. Hinc Crever. suspicatur, adjiciendum esse *cæsum*, ut intelligantur M. Licinius tribunus militum tertiæ legionis, et milites trium signorum (vide ad cap. 2); nisi quis hæc referat ad ægros milites in castris relictos cap. 4. — *Cæteros inermes fusosque ad mare ac naves fugisse:* enimvero non victi, nec fusi, sed metu consternati castra reliquerant effuso cursu, ante quam hostis adesset; vid. cap. 2. Hinc Jac. Periz. non male conj. *effusosque*, i. e. incompositos et non servatis ordinibus, ut passim *effusa fuga, effuse fugere, in fugam effundi* de fuga præcipiti. Conf. Drak. Sed *fusos* quoque II, 54, n. 14, et Cic. p. Sext. cap. 42, dici sparsos, nullo ordine dilabentes, monet Crever. et *fusos* Doujat. exponit fugatos; putans, adversarios consulis in ipsius invidiam incommoda exercitus in majus auxisse.

Digitized by Google

VIII (*XII*). Comitia deinde habita. Consules creati, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus : et postero die prætores facti, P. ÆliusTubero iterum, C. Quintius Flamininus, C. Numisius, L. Mummius [1], Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Lævinus. Tuberoni urbana jurisdictio, Quintio peregrina evenit, Numisio Sicilia, Mummio Sardinia; sed ea propter belli magnitudinem provincia consularis facta : Gracchus eam sortitur, Istriam Claudius [2] : Scipio et Lævinus Galliam, in duas divisam provincias, sortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Istriaque et utriusque hostibus fuit, qui in his provinciis bellum concivissent. Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati [3] erant, et L. Minucius Thermus, qui legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eæ provinciæ haberent. Moverunt senatum et legationes socium nominis latini, quæ et censores et priores consules fatigaverant, tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, *Cives suos Romæ*

Cap. VIII. 1. *L. Mummius* pro vulg. *C. Mummius* edidi, quia *L.* dicitur, cap. 9, et XXVIII, 54, et in Fastis Capitol. Mox *P. Valerius Lævinus* emend. Pigh. in Ann. ad a. 576. Sed vid. Drakenb.

2. *Gracchus eam sortitur, Istriam Claudius;* verba suspecta tum ob ingratam repetitionem vocum *ea* et *sortiti sunt*, tum quia demum cap. seq. narratur, has provincias consulibus decretas esse; Drak. Idem mox delendum putabat *utriusque* et *provinciis*, at Crever. totum hoc *qui his in provinciis bellum concivissent.*

3. *Ad novos magistratus dilati;* conf. cap. 6, et ad XXI, 53, n. 3. Mox inserui cum Crev. *et* post *erant:* sed et forte *venerunt* (ut commodius referatur et ad Sardorum legatos) leg. pro *venit.* Cf. tamen ad cap. 12, n. 3. — *Et censores et consules fatigaverant*, sc. precibus, sæpe petendo, *ut in senatum introducerentur.* Conf. ad III, 4, n. 2. *Fatigaverant* cum Crev. reposui pro vulg. *fatigaverunt.* — Vulgatum defendit Walch. Emend. Liv. pag. 73, laudato simillimo exemplo XXI, 1 pr. Notam ejus consule, quam l. c. transcripsimus. Quemadmodum ibi *vicerunt* esse ἀόριστον monet, sic et nunc *fatigaverunt.* Ed.

Digitized by Google

censos[4] *plerosque Romam commigrasse. Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.* Fregellas quoque millia quatuor familiarum transisse ab se, Samnites Pelignique querebantur : neque eo minus aut hos aut illos[5] in delectum militum dare. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim civitatis inducta erant. Lex sociis ac nominis latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent[6], dabat, ut cives romani fie-

4. *Cives suos Romæ censos*, etc. conf. ad XXXIX, 3, n. 3.

5. *Neque eo minus aut hos, aut illos*, etc. immo leg. *neque eo* (ideo) *aut minus hos, aut plus illos* (Fregellanos) *in delectum militum dare;* Gronov. Non desideres τὸ *plus*, si dicas sensum esse: Samnites Pelignique querebantur, quatuor millia familiarum ab se transisse ad aliam civitatem, neque tamen aut hos aut illos, i. e. Samnites Pelignosve, adeoque neutros illorum, eo minus militum in delectum dare; Jac. Periz. « Eo ipso tamen, quod Fregellanos tanto numero familiarum auctos ideo *nihilo plus* militum in delectu dare dicebant Samnites ac Peligni, non parum ponderis ad querelas eorum accedebat. Ratio autem sermonis latini h. l. videtur requirere *se* pro *hos* (nam Samnites ac Peligni de se ipsi loquuntur), et *in delectu dare* pro *in delectum* ». Duker. — Walch. ad h. l. Emend. Liv. p. 219, annotat: « Sane dicere debuit (Livius): *neque eo minus aut se* (Pelignos Samnitesque) *aut illos* (Fregellanos) *militum dare.* At talis pronominum permutatio non raro reperitur, ubi scriptores, ut licenter mutant orationem directam cum obliqua, aliquid e sua persona dixisse videri volunt. Longum est explicare, quot anomali inde profecti sint loquendi modi, faciles explicatu, si ab hac parte spectes ». Confert simul Walch. XL, 47, *si non impetrassent, tum separatim eos ab illis consulturos*, ubi *eos* aliqui mutare voluerunt. Notas edit. nostr. vid. l. l. Ed. — *Sociis ac nominis latini*, immo *nomini latino*, aut *sociis nominis latini;* Drak.

6. *Qui stirpem ex sese domi relinquerent*, etc. Nota Dukeri est: « Hunc locum satis difficilem Manut. de Leg. Rom. cap. 17; Sigon. de Ant. Jur. Ital. III, 1; Gruch. de Com. II, 3; Lips. Exc. C. ad Tacit. Annal. III; Spanhem. Orb. Rom. I, 10, et Augustin. de Legg. in lege Claudia, magis attigerunt verbo, quam explicuerunt. *Non relinquerent* emend. Gron. ob verba seqq. *ne stirpem domi relinquerent.* Sed si Livius deinde dicit, eos, *quibus stirps deesset*, quam domi relinquerent, tamen cives romanos factos fuisse, et ad extremum promiscue quosvis sine lege ac *sine stirpe* in civitatem romanam transiisse; his aperte indicatur, jus hoc non aliis lege datum fuisse, quam qui stirpem domi relinquerent. Cur enim, si stirpem non relinquentibus concessum fuisset, hi primum fraudem legi faciendo per imaginarias mancipationes, ac deinde, etiam his imaginibus juris spretis, per

Digitized by Google

rent[7]. Ea lege male utendo, alii sociis, alii populo romano injuriam faciebant. Nam et, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem, ut manu mitterentur, mancipio dabant[8], libertinique cives essent; et quibus stirpes

migrationem et censum cives romani fieri maluissent, quam jure, quod iis ex sententia Gron. lege datum fuerat, uti? Nec ulla probabilis causa excogitari potest, cur Romani sociis, qui stirpem domi non relinquerent, honorem civitatis romanæ impertiri voluerint. Nam ratio hujus legis, cujus solus Livius memoriam conservavit, procul dubio fuit, ne apud socios soboles juventutis ad bella deficeret, et ut iidem, proposito patribus, qui stirpem domi relinquerent, præmio civitatis rom., cujus miro semper desiderio tenebantur Latini, ad liberos procreandos invitarentur. Sed Romanos neutrum horum, civitatem iis, qui stirpem domi non relinquerent, dando, assequuturos fuisse, nemo non videt. Enimvero si Livius scripsit, *ne stirpem domi relinquerent*, Gron. recte judicasse videri debet. Sed *ne* illud a Livio, nisi eum repugnantia scripsisse volumus, proficisci non potuit, et cum Sigon. l. l. pro *ne* leg. *qui*. Nam et ita *quibus stirps deesset* recte opponuntur iis, *qui stirpem domi relinquerent*, et simul liquet, ut mox dicam, quodnam fuerit primum genus fraudis, mutandæ civitatis causa inductum; quod, nisi *ne* ejiciatur, intelligi non potest. Cæterum verba *ex sese* liberorum adoptivorum excludendorum causa in lege adjecta puto. Nam hi, quum per eos numerus juventutis non augeatur, non magis prodesse debebant patribus, qui eos adoptaverant, ad beneficium civitatis romanæ impetrandum, quam jure romano iis proderant ad vacationem et excusationem munerum publicorum, lib. II, § 2, D. de Vacat. et Excusat. Mun. Sic *ex sese parere* et *gignere liberos* dixere Cic. ad Div. IV, 5, et Sall. Jug. 5». Emendationem Gronov. improbat etiam Doujat. existimatque legem exegisse, ut re vera liberos in civitate sua relinquerent, qui cives romani fieri vellent, quo stirps eorum in patria propagaretur ad subeunda ejus onera. Verba autem seqq. *ne stirpem domi relinquerent* accipit de patribus, qui, in colonia sua remanentes, liberos oneribus patriæ subtrahebant, eos cuivis civi rom. mancipando in imaginariam servitutem, contracta tamen fiducia eos manumittendi, ut manumissione cives rom. fierent, non quidem ingenui, sed tamen libertini. Et ita quidem injuriam factam putat populo rom., qui externo sanguine sic dehonestabatur. — Vid. Walch. Emend. p. 221, ubi plura de Gronovii et Dukeri notis et emendationibus disputantur. Ed.

7. *Dabat, ut cives romani fierent*, ita tamen, si relicta patria Romæ sedem ac domicilium collocassent: quod indicant verba legis, qui stirpem *domi relinquerent;* Duk. *dabat*, concedebat, vel dabat præmio, ut præmium παιδοποιΐας· Ern.

8. *Liberos suos quibusquibus R. in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant*, vendebant per æs et libram, mancipabant. Conf. ad

Digitized by Google

deesset, quam relinquerent, ut cives romani fiebant. Postea, his quoque imaginibus juris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe, in civitatem romanam per migrationem et censum transibant. *Hæc ne postea fierent*, petebant legati, *et ut redire in civitates juberent socios; deinde ut lege caverent, ne quis quem civitatis mutandæ causa suum faceret*[9], *neve alienaret; et, si quis ita civis romanus factus esset***. Hæc impetrata ab senatu.

IX (*XIII*). Provinciæ deinde, quæ in bello erant, Sar-

Tacit. Ann. I, 73, n. 6, et Ernesti Clav. Cic. « Non constat, lege, quæ jus civitatis rom. patribus, qui stirpem domi relinquebant, non filiis eorum, dabat, quidquam de numero filiorum, qui domi relinquendi essent, cautum fuisse. Sed ex his verbis colligi potest, eos, qui plures filios habebant, verba legis callide ita interpretatos fuisse, ei satis factum esse, si e multis filiis unum alterumque fortassis domi relinquerent; et, ut cæteri cives romani fieri possent, eam rationem, quam Livius exponit, inivisse. Hoc erat unum genus fraudis, quæ legi fiebat. Alterum haud dubie indicatum fuit verbis *et quibus stirps deesset, quam relinquerent, ut cives romani fiebant*. Sed sive *ut*, sive cum Sigonio *ii* legamus, non apparet, in quo fraus illa sita fuerit. Forte pro *ut* leg. *ita*, i. e. eodem modo, quo priores illi; nempe, se civibus romanis in eamdem conditionem mancipio dando. Nam hos perinde atque illos per has *imagines juris* cives romanos factos significat Livius, quum postremo alios *his quoque spretis* per migrationem et censum in civitatem transiisse scribit ». Duker. Livium scripsisse *ut cives romani fierent*, existimabat Crev. et post hæc verba excidisse alia, quæ exposuerint genus fraudis ab iis inductum, quibus stirps deesset, et injuriam factam populo romano: eam fraudem forte in eo positam fuisse, quod, quibus stirps deesset, ii adoptarent quosdam cives suos, quos fortasse postea emancipatos domi relinquerent, ut ipsi, quasi stirpem relinquentes in patria, cives romani fierent: hac autem re factam injuriam populo romano, in quem inquilini nullo jure et adversus legis mentem sese immiscuerint. *Stirpes* (ut *plebes*) cod. Mogunt. et edd. ante Paris. a. 1573, quæ *stirps* dedit. — *Imaginibus juris*, quæ per speciem juris fiebant, quibus fraus fiebat legi. Conf. ad Tac. Ann. III, 17, n. 4, et III, 30, n. 7.

9. *Ne quis quem civitatis mutandæ causa suum faceret*, mancipio acciperet, *neve alienaret*, mancipio daret: nam duæ partes sunt legis, altera contra Romanum accipientem mancipio, altera contra dantem Latinum, neque cum Sigon. *servum* leg. pro *suum*; Gron. Conf. Drak. Mox post *esset* Sigon. excidisse putabat *civis non* vel *ne esset*, ut vox *esset* deceperit librarium. *Et ne quis, ita civis romanus factus, esset* emend. Gron.

Digitized by Google

dinia atque Istria decretæ[1]. In Sardiniam duæ legiones scribi jussæ; quina millia in singulas et duceni pedites, treceni equites; et duodecim millia peditum sociorum ac latini nominis, et sexcenti equites, et decem quinqueremes naves, si deducere ex navalibus vellet. Tantumdem peditum equitumque in Istriam, quantum in Sardiniam, decretum. Et legionem unam cum equitibus trecentis, et quinque millia peditum sociorum, et ducentos quinquaginta mittere equites in Hispaniam consules ad M. Titinium jussi. Prius quam consules provincias sortirentur, prodigia nuntiata sunt[2]. Lapidem in agro Crustumino in lacum Martis[3] de cælo cecidisse. Puerum trunci corporis in agro romano natum, et quadrupedem anguem visum: et Capuæ multa in foro ædificia de cælo tacta: et Puteolis duas naves fulminis ictu concrematas esse. Inter hæc, quæ nuntiabantur, lupus etiam Romæ interdiu agitatus, quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit. Eorum prodigiorum causa

Cap. IX. 1. *Sardinia atque Istria decretæ* consulibus, quam vocem excidisse putabant Jac. Periz. et Drak. —*Decem quinqueremes naves, si deducere ex navalibus vellet*, an ex præcc. suppl. *scribi jussæ?* Conf. ad I, 33, n. 7. *Naves deduceret ex navalibus, quibus vellet* conj. Gron. et *naves, quas deduceret, ex quibus n. v.* J. Fr. Gronov. Conf. ad III, 26, n. 6, et VIII, 26, n. 1. *Vellet*, scilicet Gracchus consul: quæ dura est ellipsis. Forte *Gracchus* leg. pro *naves*. — *Legionem unam cum equitibus trecentis*, illis ipsis, qui legioni semper addi solent, ut XL, 36, *binæ legiones cum suo equitatu;* Drak. — *Mittere in Hispaniam ad M. Titinium.* Ex hoc loco collegit Pighius fuisse superiore anno, præter M. Titinium prætorem Urbis, etiam alterum M. Titinium prætorem, cui Hispaniam citeriorem obtigisse apparet ex cap. 26, infra. Ed.

2. *Prodigia nuntiata sunt;* vide ad I, 31, n. 1.

3. *In agro Crustumino in lacum Martis*, forte *lucum Martis*, quem inter viam Salariam et Tiberim (vid. Fest. v. *Lucaria*) fuisse suspicabantur Cluver. Ital. Ant. II, 9, pag. 658, et Holsten. in adnot. in Cluv. It. p. 101. — *Puerum trunci corporis*, etc. Brachiisne carentem, an capite? Vocem *trunci* ambiguam esse notat Crever. Explicat simpliciter Drak. corporis mutili, non integri, cui quædam membra corporis humani deerant. Ita Ache-

Digitized by Google

consules majores hostias immolarunt, et diem unum circa omnia pulvinaria supplicatio fuit. Sacrificiis rite perfectis, provincias sortiti sunt: Claudio Istria, Sempronio Sardinia obvenit. Legem dein de sociis C. Claudius tulit senatusconsulto [4], et edixit: *qui socii ac nominis latini, ipsi majoresve eorum, M. Claudio, T. Quintio censoribus, postque ea, apud socios nominis latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem ante Calendas Novembres redirent.* Quæstio, qui ita non redissent, L. Mummio prætori decreta est: ad legem et edictum consulis senatusconsultum adjectum est: *ut, dictator, consul, interrex, censor, prætor* [5] *qui nunc esset, apud eorum quem manu-*

loo in taurum mutato, cui Hercules alterum cornu præfregit, ideo *truncam frontem* tribuit Silius, III, 42, ubi plura vide. Ed.

4. *Legem dein de sociis C. Claudius tulit ex senatusconsulto*, ita legendum cum Gron. *Deinde sociis* edidere Curio et post eum alii prob. Doujat. ut *sociis* sit sociorum causa, et secundum quam socii viverent. Verba præcc. *Sacrificiis rite perfectis... obvenit* suspecta videri possunt, quoniam idem jam cap. 8 memoratum est. — *Qui socii ac* qui *nominis latini... M. Claudio, T. Quintio censoribus* (vide ad XXXVII, 58) *postque ea*, et postea, ut apud Cic. Verr. I, 41, et Agr. II, 15. *Postque eos* (ut XXXVIII, 11, et XXXIX, 3) conj. Dukerus.

5. *Dictator, consul, interrex, censor, prætor,* etc. ergo apud omnes magistratus majores manu mitti potuit: sed dictatoris, interregis et censoris nullam mentionem faciunt jurisconsulti, quod illi dudum nulli amplius fuerant, quo tempore hi scribebant; Duk. Mox semper putavi, pro *nunc* legendum esse *tunc*, et ante *manumitteretur* ob præc. *quem* intercidisse *qui*, ut ordo verborum sit: *ut, qui manumitteretur apud quem eorum* (conf. ad XXI, 26, n. 7), *qui tunc dictator... esset, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret, eum, qui manumitteret* (sic verba sunt transponenda), *non civitatis mutandæ causa manumittere.* Postea vidi, idem Creverio in mentem venisse, qui jam recte monuit, jusjurandum hoc non a manumittente, sed a manumisso exactum esse, idque tum ex verbis proxime seqq. patere, tum factum esse propterea quod fraus, quæ hoc senatusconsulto cauta sit, in ejus maxime commodum cesserit. In verbis tamen *ut jusjurandum daret* offendit me *ut*, et vel legendum videtur *ubi* aut *si*, vel delenda illa *in libertatem vindicaretur*, quæ glossam redolent τῷ *manumitteretur* adscriptam. Tum *ut* majoris perspicuitatis causa et more Liviano repetitum est; vide supra ad librum XXII, cap. 11,

Digitized by Google

mitteretur, in libertatem vindicaretur, ut jusjurandum daret, qui eum manumitteret, civitatis mutandæ causa manu non mittere: qui id non juraret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum causa[6] jurisque dictio C. Claudio consuli decreta est.

X (*XIV*). Dum hæc Romæ geruntur, M. Junius et A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, quum Aquileiæ hibernassent, principio veris in fines Istrorum exercitum introduxerunt. Ubi quum effuse popularentur, dolor magis et indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam certa spes, satis sibi virium adversus duos exercitus, excivit. Concursu ex omnibus populis juventutis facto, repentinus et tumultuarius exercitus[1] acrius primo impetu, quam perseverantius, pugnavit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa: cæteri, omisso bello, in civitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra romana, deinde obsides imperatos, miserunt. Hæc quum Romæ cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul, veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis[2], non paludatus,

not. 2. Aliorum conjecturas memoravit Drakenb.

6. *Hæc causa*, hujus causæ cognitio.

Cap. X. 1. *Repentinus et tumul. ex.* vide ad I, 37, n. 4.

2. *Non votis nuncupatis* (vide ad XXI, 63, n. 10) *non paludatus, sine lictoribus*, ex emend. Gron. pro vet. lect. *paludatis lictoribus*, quæ bis infra in hoc cap. et XLV, 39 reperitur, sed correcta est a Gron. qui copiose docet, *paludamenta*, quod et Festus monuerit, propr. omnia militaria ornamenta, sed perpetuo loquendi usu non nisi chlamydes imperatorum vocari, hosque sæpius dici *paludatos cum lictoribus Urbe exire, egredi, in bellum proficisci*, ut II, 40; XXI, 63; XXXI, 14; XXXVI, 3; XXXVII, 4; XL, 26; XLI, 5, 10; XLII, 27, 49, et XLV, 39: ineptissimum vero esse, summi ducis Urbe egredientis pompam, tacito ipsius habitu et ornatu, ab amictu lictorum describi, quibus saga seu sagula fuerint, non paludamenta. Contra eum disputavit Scheller in Lex. Lat. Conf. et Gruch. Refutat. ad poster. Disp. Sigon. cap. 43; Lips. Mil. Rom. II, 12; Ferrar. de Re Vest. II, 3, n. 5; Sigon. de Jur. Prov. II, 4, de lege

Digitized by Google

sine lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus, præceps in provinciam abiit: ubi inconsultius, quam venerat, se gessit. Nam quum concione advocata fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum (quippe qui primi ipsi fugissent) jactasset, ingessissetque probra M. Junio, quod se dedecoris socium collegæ fecisset, ad extremum utrumque decedere provincia jussit. Quod quum milites[3] consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent, quum is more majorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab Urbe esset; furens ira, vocatum, qui pro quæstore Manlii erat[4], catenas poposcit, vinctos se Junium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est; et circumfusus exercitus,

Cur. cap. 6; Hotom. ad Cic. de Prov. Cons. cap. 15. Gronovio assentiuntur Duk. et Drak. qui tamen monet, Curiatio, I, 26, tribui paludamentum (πέπλον ποικίλον, ὃν αὐτὴ soror Horatii μετὰ τῆς μητρὸς ἐξυφήνασε, apud Dionys. Halicarn. III, p. 157), et lictoribus a Sil. II, 420, *rubens sagulum;* ab Appiano, Pun. pag. 35, φοινικοῦς χιτῶνας. Mirum certe, librarios ter in hoc cap. per eumdem lapsos esse errorem; et antiquam lect. ter h. l. a Gronov. et Drak. mutatam, sed inf. XLV, 39 retentam fuisse. — *Adversis auribus militum*, h. e. improbantibus militibus, ut, qui aliquid probant, hoc *secundis auribus* audiisse dicuntur. Supra, VI, cap. 40, med. *sed omnia semper, quæ magistratus ille dicet, secundis auribus, quæ ab nostrum quo dicentur, adversis accipietis?* Gron. hic legit *aversis*, sed male; vide Drak. Ed.

3. *Quod quum milites consulis*, etc. cur vero respondent milites pro Manlio et Junio? Doujatius monet, milites indicare voluisse, sive ipsos se, sive duces paratos esse ad parendum consuli, putatque congruentius esse, a militari turba confuse ortas voces resistentium consuli, quam a ducibus, ut VIII, 32. « Sed non convenit exemplum, et Claudius, omissis militibus, iram adversus solos proconsules exserit. Videtur cum Jac. Gron. leg. *quod quum illi se consulis*, vel *quod quum illi tum consulis... quum is*, etc. » Drak. *Quumque illi se consulis*, etc. conj. J. Fr. Gronov. Sed illa probabiliora: nam *quod quum* servari et pro simpl. *quum* positum esse potest (vide ad VI, 8, n. 2), et pron. *se* sæpius omittitur. — *Consulis imperio dicto audientes*, germ. *dem Befehl aufs Wort gehorsam.* Conf. ad VIII, 4, n. 1. — *More majorum secundum* (vide ad I, 5, n. 1) *vota*, etc. Conf. n. 2.

4. *Qui pro quæstore M. erat;* vide ad X, 29, n. 2.

Digitized by Google

favens imperatorum causæ et consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul et contumeliis singulorum, et multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegæ scripsit, ut militum novorum ei parti, quæ scripta in Istriam provinciam esset, ediceret, Aquileiam ut conveniret; ne quid se Romæ teneret, quo minus, votis nuncupatis, paludatus ab Urbe exiret. Hæc collegæ obsequenter facta, brevisque dies ad conveniendum edicta est. Claudius prope consequutus est literas suas. Concione adveniens de Manlio et Junio habita, non ultra triduum moratus Romæ, paludatus, cum lictoribus, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam, æque ac prius, præcipiti celeritate abit.

XI (*XV*). Paucis ante diebus Junius Manliusque oppidum Nesattium [1], quo se principes Istrorum et regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnarunt. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, et vineis oppugnare intendit [2]; amnemque præterfluentem mœnia, qui et impedimento oppugnantibus erat, et aquationem Istris præbebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res Barbaros miraculo terruit abscissæ aquæ [3]: et ne tum quidem memores pacis, in cædem conjugum ac

Cap. XI. 1. *Oppidum Nesattium* extremum Istriæ totiusque Italiæ ad ostium Arsiæ amnis, hod. *Castel Nuovo* ad Arsam fl. Sed *Nesactium* e Plin. III, 19 seu 23, aut *Nesactum* ex Ptol. III, 1, legendum monent Cluver. et Cellar. — *Æpulo;* vid. Dnk. ad Flor. II, 10, § 3. — *Oppugnant* omnes editi usque ad Gronovium qui, anno 1665, emendavit *oppugnarunt*, quod, præter Doujatium recentiores editores recepisse Drak. testatur. Ed.

2. *Oppugnare intendit;* vide ad IV, 19, n. 1.

3. *Miraculo terruit abscissæ* (oppido) *aquæ;* Drakenb. *abscisæ* legi jubet; sed vide supra ad IV, 19, n. 1.

Digitized by Google

liberorum versi; etiam, ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam cædem, milites, transgressi murum, oppidum intrarunt. Cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur: cæteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida, Mutila et Faveria, vi capta et deleta. Præda, ut in gente inopi, spe major fuit, et omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum sexcenta triginta duo sub corona[4] venierunt: auctores belli virgis cæsi, et securi percussi. Istria tota trium oppidorum excidio et morte regis pacata est: omnesque undique populi, obsidibus datis, in ditionem venerunt. Sub Istrici finem belli apud Ligures concilia de bello haberi cœpta.

XII (*XVI*). Ti. Claudius proconsul, qui prætor priore anno fuerat[1], cum præsidio legionis unius Pisis præerat. Cujus literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul jam in Sardiniam trajecerat) deferendas censet, et adjicit decretum: *quoniam Istria provincia confecta*[2] *esset, si ei videretur, exercitum traduceret in Ligures.* Simul ex literis consulis, quas de rebus in Istria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero consule Ti. Sempronio in Sardinia prospere res gestæ. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant. Cum utraque gente signis collatis conflixit. Fusi fugatique hostes,

— *In cædem conjugum ac l. v.* etc. vide ad XXI, 14, n. 1.

4. *Sub corona venierunt;* vide ad II, 17, n. 3; III, 55, n. 8.

Cap. XII. 1. *Ti. Claudius proconsul, qui prætor priore anno fuerat;* vide ad XXVIII, 38, n. 4. — *Eas ipsas literas;* posterior vox forte del.

2. *Istria provincia confecta;* vide ad II, 40, n. 9.

Digitized by Google

que millia septingentos duos. Militibus in singulos quini deni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti. Sociis dimidio minus, quam civibus, datum. Itaque taciti, ut iratos esse sentires, sequuti sunt currum.

XIV (*XVIII*). Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures, postquam senserunt, non consularem tantum exercitum Romam abductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis dimissam, soluti metu, clam exercitu indicto, per transversos limites[1] superatis montibus, in campos degressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Id ubi Romam allatum est, senatus C. Claudium consulem comitia primo quoque tempore habere jussit, creatisque in annum magistratibus in provinciam redire, et coloniam ex hostibus eripere[2]. Ita, uti censuit senatus, comitia habita. Consules creati, Cn. Cornelius Scipio Hispallus, Q. Petillius Spurinus. Prætores inde facti, M. Popillius Lænas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio[3], L. Papirius Maso, M. Aburius, L. Aquillius Gallus. C. Claudio consuli prorogatum in annum imperium et Gallia provincia; et, ne Istri quoque idem, quod et Ligures, facerent, socios nominis latini in Istriam mitteret[4], quos triumphi causa de provincia deduxisset. Cn. Cornelio et Q. Petillio consulibus,

tum prius quinarius. Si igitur ad hanc rationem victoriati 85,702 æstimentur, efficientur, ait Creverius, denarii 42,851, marcæ nostrates paulo plus 669, unciæ 4. Mox *quini deni denarii* minus unciis argenti nostratibus binis ab eodem æstimantur. Ed.

Cap. XIV. 1. *Per transversos limites;* vide ad II, 39, n. 3.

2. *Coloniam ex hostibus eripere*, ut *eripere ab aliquo* apud Cic. et Terent., Duk. — *Hispallus*, al. *Hispalus;* vid. Duk. et Drak.

3. *M. Cornelius Scipio*, qui *M. Cornelius*, cap. 15, et *M. Cornelius Maluginensis*, cap. 27 dicitur; unde cognomen *Scipio* forte del. Conf. Duk.

4. *In Istriam mitteret;* excidit *mandatum;* Mur. Sed similis ellipseos exempla laudarunt alii, XXX, 27; XXXV, 11; XXXIX, 12; XLI, 15; XLIII, 6, al.

Digitized by Google

quo die magistratum inierunt, immolantibus Jovi singulis bubus [5], uti solet, in ea hostia, qua Q. Petillius sacrificavit, in jocinore caput non inventum [6]. Id quum ad senatum retulisset, bove perlitare jussus. De provinciis deinde consultus senatus Pisas et Ligures provincias consulibus decrevit. Cui Pisæ provincia obvenisset, quum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti jussit: additum decreto, ut binas legiones novas scriberent et trecenos equites [7], et dena millia peditum sociis nominique latino et sexcenos imperarent equites. Ti. Claudio prorogatum est imperium in id tempus, quo in provinciam consul venisset.

XV (*XIX*). Dum de his rebus in senatu agitur, Cn. Cornelius, evocatus a viatore [1], quum templo egressus esset, paulo post rediit confuso vultu, et exposuit Patribus conscriptis, bovis sescenaris [2], quem immo-

5. *Immolantibus Jovi singulis bubus* doctius, sed auribus minus gratum, quam *singulos boves*. Conf. Cic. Leg. II, 12, et Intpp. Horat. Od. I, 4, v. 11, 12. — *Uti solet;* vid. XXIII, 14, n. 3.

6. *In jocinore caput non inventum;* conf. ad cap. 15, n. 3, 4, et ad VIII, 9, n. 1. — *Bove perlitare;* vide ad V, 38, n. 1. « Hoc de genere, non de numero hostiarum dictum accipio: nam incertum erat, an *uno* perlitare posset. Ipse paulo post se *tribus* perlitasse negat, et senatus eum *majoribus hostiis* usque ad perlitationem sacrificare jussit; Duk.

7. *Ut binas legiones novas scriberent et trecenos equites:* numerus peditum intercidit et leg. *ut b. l. n. s., quina millia in singulas et ducenos pedites, trecenos equites;* Crever. — *Dena millia peditum et sexcenos* (ita leg., non *sexcentos*) *equites*, id est, quisque decem millia p. et sexcentos equites; Drak.

Cap. XV. 1. *Evocatus a viatore;* vide ad II, 56, n. 10. — *Templo egressus;* vide ad I, 6, n. 6. — *Confuso vultu;* vide ad VI, 34, n. 7.

2. *Bovis sescenaris;* Festus dicit: *scena vel sacena appellatur culter* aut *dolabra pontificia*. Hinc quidam h. l. *sacenaris* (sacena a victimariis percutiendi seu percussi, adeoque sacri, immolati), aut apud Fest. *sescena* legendum putant. Alii conjiciunt *sexcennaris*, vel quod idem esse putant, *sexennis;* Grævius *sexcenarii* (*DC* librarum), et Guther. de Jure Pont. IV, 18, *sagenaris*, opimi et publice saginati, quia Varro dixerit *sagenare*, et multa in sacris vocabula in *ar* desinant, ut *lar, extar, pulvinar fax, bustar*.

Digitized by Google

lavisset, jecur defluxisse[3]. Id se victimario nuntianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla, ubi exta coquerentur, jussisse : et vidisse cæteram integram partem extorum, jecur omne inenarrabiliter absumptum. Territis eo prodigio Patribus, et alter consul curam adjecit, qui se, quod caput jocinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit[4]. Senatus majoribus hostiis usque ad litationem sacrificari jussit. Cæteris diis perlitatum ferunt : Saluti Petillium perlitasse negant. Inde consules prætoresque provincias sortiti. Pisæ Cn. Cornelio, Ligures Petillio[5] obvenerunt. Prætores, L. Papirius Maso urbanam, M. Aburius inter peregrinos, sortiti sunt. M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam ulteriorem, L. Aquillius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati sunt, ne in provincias irent : M. Popillius in Sardiniam. *Gracchum eam provinciam pacare, et T. Æbutium prætorem adjutorem ab senatu datum esse. Interrumpi tenorem*[6] *rerum, in quibus peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime convenire. Inter traditionem imperii novitatemque successoris, quæ noscendis prius, quam agendis, rebus imbuenda sit, sæpe bene gerendæ rei occasiones intercidere.* Probata Popillii excusatio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri

3. *Jecur defluxisse;* Guther. interpretatur, in liquorem abiisse (quo sensu Perizon. et Drakenb. *diffluxisse* legi volebant), at Ernesti, evanuisse, periisse, quo significatu *defluere* passim obvium; vid. Ern. Clav. Cic. et Cort. ad Sall. Jug. I, 4. Eodem sensu Festus voc. *Monstrum* dixit *jecur distabuit in coquendo;* Obseq. de Prod. cap. 64, *jecur extabuit;* Livius mox *jecur omne inenarrabiliter absumptum*, et *caput jocinori defuisset;* et sup. cap. 14, *in jocinore caput non inventum*. Cf. ad VII, 29, n. 3. — *Ex olla, ubi exta coquerentur;* vide ad XXV, 16, n. 2.

4. *Quod caput jocinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit*, etc. vid. V, 38, n. 1, et VIII, 9, n. 1.

5. *Ligures Petillio*, forte *Q. Petillio*, et mox *ei T. Æbutium prætorem;* Gron. *Prætorem* pro *prætore*, Drak.

6. *Interrumpi tenorem*, etc. conf. ad IX, 18, et XXXII, 28.

Digitized by Google

solennibus excusabat [7], ne in provinciam iret. Citerior Hispania obvenerat. Cæterum aut ire jussus, aut jurare pro concione, solenni sacrificio se prohiberi. Id ubi in P. Licinio ita statutum est, et ab se uti jusjurandum acciperent, M. Cornelius postulavit, ne in Hispaniam ulteriorem iret. Prætores ambo in eadem verba jurejurarunt [8]. M. Titinius et T. Fonteius proconsules manere cum eodem imperii jure in Hispania jussi; et ut in supplementum his tria millia civium romanorum cum equitibus ducentis, quinque millia socium latini nominis et trecenti equites mitterentur.

XVI (*XX*). Latinæ feriæ fuere ante diem tertium Nonas Maii [1], in quibus, quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, *populo romano Quiritium*, religioni fuit. Id quum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium rejecisset; pontificibus, quia non rectæ factæ Latinæ essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera

7. *P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri solennibus excusabat*, etc. conf. ad XLII, 32 pr. et ad IV, 2, n. 6; VI, 22, n. 3.

8. *Prætores ambo in eadem verba jurejurarunt*, iisdem verbis jurarunt, sacrificiis se impediri, quo minus in provincias irent. Similiter *prætor provinciam sibi iniquam ejurat* apud Cic. Verr. III, 60. — De verbo *jurejurarunt* hæc est nota Creverii: « Verbum rarum admodum, et cujus haud aliud fortasse exemplum exstet. Ac dubitari sane potest, an ex uno loco deformati miserum in modum libri hoc verbum alias incognitum in linguam latinam facile admittendum sit ». Suspicatur Doering. separatim scribendum, *jure jurarunt*, ut sit: jurarunt ex jure, hoc est, ut jus et res postulabat. Ed. — *Titinius et Fonteius proconsules;* vide ad XXVIII, 34, n. 4. —*Manere in Hispania jussi;* hinc, ut monet Crever., apparet T. Fonteio, qui tertio ante anno prætor fuit, Hispaniam jam tunc obtigisse, et quidem ulteriorem, quum collega ejus M. Titinius citeriorem obtinuerit, ut constat ex cap. 26, infra. Ed.

Cap. XVI. 1. *Latinæ feriæ fuere a. d. III Nonas Maii;* vide ad I, 45, n. 2, et VI, 1, n. 9. Forte leg. *Nonas Maias;* Drak. — *In una hostia*, nam a *XLVII* populis Latii totidem mactabantur hostiæ, præter taurum, qui communiter ab omnibus immolabatur Jovi Latiari. — *Magistratus Lanuvinus;* vide ad XLII, 1, n. 4.— *Religioni fuit;* vide ad II, 5, n. 4.— *Rejecisset id;* vide ad II, 22, n. 4.

Digitized by Google

instauratæ essent[2], hostias præbere. Accesserat ad religionem, quod Cn. Cornelius consul, ex monte Albano rediens, concidit, et, parte membrorum[3] captus, ad Aquas Cumanas profectus ingravescente morbo, Cumis decessit. Sed inde mortuus Romam allatus, et funere magnifice elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. Consul Q. Petillius, quum primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere jussus, et Latinas edicere. Comitia in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit[4]. Plenis religionum animis, prodigia insuper nuntiata : Tusculi facem in cælo visam; Gabiis ædem Apollinis et privata ædificia complura, Graviscis murum portamque de cælo tacta. Ea Patres procurari, uti pontifices censuissent, jusserunt. Dum consules primum religiones, deinde alterum alterius mors et comitia et Latinarum instaurationes impediunt, interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. Ante triduum[5], quam

2. *Instauratis Latinis ... essent*, harum trium vocum repetitio admodum displicet, et forte leg. *pontificibus, quia non recte factæ latinæ essent, placuit, Lanuvinos, quorum opera* (vide ad XXXVIII, 43, n. 1) *instaurandæ essent, hostias præbere*, vel *quia non recte factæ essent, instaurari Latinas placuit, Lanuvinosque, quorum opera instaurandæ*, etc. Drak.

3. *Parte membrorum captus;* sup. XXXIII, 2, *obmutuit et concidit. Et dum regem auferunt... parte membrorum captum*, etc. *Membris captum* consulem dicit Obseq. de Prod. c. 64. Hoc apoplexiæ, illud paralysi convenire, Celsus, III, 27, docet; Drak. Conf. ad II, 36, n. 7. — *Ad aquas Cumanas*, salubres, ut *Sinuessanæ* XXII, 13, n. 8.

4. *Latinas* ferias *in ante d. III Id. Sext. edixit;* vide ad I, 45, n. 2; V, 17, n. 3, et VI, 1, n. 9. — *Prodigia*, etc. vide ad I, 31, n. 1.

5. *Ante triduum, quam*, pro *a. t. postquam*, ut sensus sit, non totorum trium dierum oppugnatione ex hostibus receptam esse; Doujat. Sed *ante triduum quam* semper notat *triduo antequam*, ut *post triduum quam* est triduo postquam, *anno quinto quam* pro *anno q. postquam;* unde recte emend. h. l. Jac. Periz. *Intra triduum quam* (ut XXXVI, 10; XLIII, 9, al.), h. e. intra triduum postquam; Drakenb. Confer supra ad XXVIII, 16, n. 4.

Digitized by Google

oppugnare cœperat, receptam ex hostibus colonis restituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros cæsa; literæque Romam extemplo scriptæ, quibus non modo rem exponeret, sed etiam gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hostem populi romani[6], agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset.

XVII (*XXI*). Et Ti. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis præliis Sardos perdomuit: quindecim millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti: stipendiariis veteribus[1] duplex vectigal imperatum exactumque; cæteri frumentum contulerunt. Pacata provincia obsidibusque ex tota insula ducentis triginta acceptis, legati Romam, qui ea nuntiarent, missi, quique ab senatu peterent, ut ob eas res, ductu auspicioque Ti. Sempronii prospere gestas, diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus, in æde Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, et quadraginta majoribus hostiis consules sacrificare jussit; Ti. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in provincia manere. Comitia deinde consulis unius subrogandi, quæ in ante diem tertium Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petillius consul collegam, qui extemplo magistratum occiperet, creavit C. Valerium Lævinum. Is, jam diu cupidus provinciæ, quum

6. *Cis Alpes hostem pop. rom.*; sc. *esse*, nisi id post *Alpes* excidit. — *Agrique aliquantum*, hæc jactationi Claudii et verbis seqq. *multis millibus* parum convenire putabat Drak. malebatque cum Jac. Gron. legere *agrique ad id tantum*, vel cum Doujat. *agrique a se tantum*. Cf. tamen ad II, 39, n. 1.

Cap. XVII. 1. *Stipendiariis veteribus*, etc. vide ad V, 10, n. 5. — *Is, jam diu cupidus provinciæ*. Ordo et structura verborum, ut Crev. obser-

Digitized by Google

opportunæ cupiditati ejus literæ allatæ essent, Ligures rebellasse, Nonis Sextilibus paludatus, literis[2] auditis, tumultus ejus causa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci jussit; et duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem[3] admoventes, circumvectarentur. Eodem et Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul, audita rebellione Ligurum, præter eas copias, quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit.

XVIII (*XXII*). Hostes sub adventum C. Claudii, a quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque, locorum magis præsidio adversus infeliciter expertam vim, quam armis, se defensuri, duos

vavit, declarat hæc de Valerio consule intelligi; quod itidem probant ea quæ sequuntur: *eodem et Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat.* At quomodo novellus ille consul, ante biduum creatus, potest dici jam diu cupidus provinciæ? nisi si forte, quum eo loco natus esset, eos honores gessisset, ut sibi posset prope certa spe consulatum despondere, significaverat jam antequam consul fieret, se cupidum esse provinciæ. *Cupidus provinciæ* explicat Doeringius, muneris imperatoris cupidus, sive rerum in bello gerendarum, laudato cap. 9, supra, *provinciæ deinde, quæ in bello erant, Sardinia atque Istria decretæ*, quod quidem sic exponendum: decretum est, quomodo res in Sardinia atque Istria, quæ in bello erant, administrandæ essent. Ed.

2. *Nonis Sext. paludatus, literis auditis* (recitatis in senatu, ut X, 45, et al.), *tumultus* (vide ad II, 26, n. 1) *ejus causa legionem... proficisci jussit:* « Contra constantem usum loquendi consul non dicitur *paludatus Urbe exivisse, egressus, profectus esse* (vide ad cap. 10, n. 2), sed *paludatus legionem in Galliam proficisci...jussisse;* quæ etiam non paludatus jubere poterat. Suspicor locum non integrum esse, et hic aliquid de profectione consulis paludati in provinciam dictum fuisse. Sed ea tamen in *Nonas Sext.* conferri non potest, quia latinæ post eas *in a. d. III Idus Sext.* edictæ erant, cap. 16, nec magistratibus ante illas licebat in provincias exire ». Duk. Conf. ad I, 45, n. 2. Verba quoque *literis auditis* ab h. l. aliena sunt. Forte leg. *mox Id. Sext. abiit paludatus. Literis ante datis tumultus*, etc.

3. *Maritimum quoque terrorem*, ut dicitur *terror equestris;* vide ad X, 5, n. 4, et XL, 31, n. 4. Ed.

Digitized by Google

montes Letum et Balistam ceperunt, muroque insuper amplexi[1]. Tardius ex agris demigrantes oppressi ad mille et quingenti perierunt. Cæteri montibus se tenebant, et, ne in metu quidem feritatis ingenitæ obliti, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat. Captivos cum fœda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant verius passim, quam rite sacrificant. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant, parietibus affligunt[2], vasa omnis generis usui magis, quam ornamento in speciem, facta. Q. Petillius consul, ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret: Campis Macris[3] se eum exspectaturum. Literis acceptis, Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad Campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi, divisis copiis, prius quam digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. Tum sortiti, quia non ab eadem utrumque parte aggredi hostem placebat, regiones quas peterent, Valerium auspicato sortitum[4] constat, quod in templo fuisset: in Petillio id vitio factum, postea au-

Cap. XVIII. 1. *Muroque insuper amplexi* sunt, quo verbo adjecto hæc lenius fluerent; Duker. — *Ad mille et quingenti* reposui pro *quingentos*, quod ex ultima Gruteri edit. receptum est: *ad M et D* edd. antiquiores; vid. IV, 59, n. 4.

2. *Inanima parietibus affligunt*; ita Sigon. pro *affigunt*; vide ad XXI, 35, n. 10. — *Quam ornamento in speciem facta*; vasa facta ornamento, et facta in speciem nihil ferme differunt: nam *species* pro ornamento, splendore, dignitate ponitur; Drak. Hinc ille *et* post *ornamento* inserendum, et Crev. vocem *ornamento* delendam censebat. — Delendas potius voces *in speciem*, retinendum vero τὸ *ornamento* putat Doering. Ed.

3. *Campis Macris*, ut XLV, 12. Μακροὶ Κάμποι opp. apud Strab. V, 1, § 11, pag. 216, sed campi inter aut circa Parmam Mutinamque apud Columel. VII, 2, et Varr. Re Rust. Præf. lib. II. Conf. Cluver. Ital. ant. I, 28, pag. 280.

4. *Valerium auspicato sortitum*; vide ad V, 21, n. 1. — *Quod in templo fuisset*, h. e. ibi *sortem in sitellam posuisset*. Conf. seqq. et ad I, 6, n. 6, et XXI, 42, n. 2. Hinc colligo, sortitionem magistratuum fieri debuis-

Digitized by Google

gures responderunt, quod extra templum sortem in sitellam in templum latam foris ipse posuerit. Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Balistæ et Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso[5] inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, *se eo die Letum*[6] *capturum esse.* Duabus simul partibus subire in adversos montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. Alteram hostes quum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem a fuga revocavit: ipse, dum incautius ante signa obversatur, missili trajectus cecidit[7]. Nec hostes ducem occisum senserunt; et suorum pauci, qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occisa: ex romano exercitu duo et quinquaginta ceciderunt. Super tam evidentem tristis ominis eventum, etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse[8], nec id consulem ignorasse. C. Valerius, audita

se in templo, i. e. in loco, qui augurio erat consecratus: ut autem sortitio auspicato fieret, observandum fuisse, ne quis sortem in sitellam conjiceret, nisi quum sitella in templum allata foret; Drak. Mox vel *extra templum* vel *foris* glossema et delendum videtur.

5. *Perpetuo dorso;* vid. IV, 6, n. 1.

6. *Se eo die Letum capturum esse;* conf. Val. Max. I, 5, n. 9, et supra ad V, 55, n. 2. — *Ea pars,* scilic. militum.

7. *Ipse* tamen, *dum incautius ante signa obversatur, m. t. cecidit;* vide ad VII, 19, n. 3, et XXIV, 23, n. 2.

8. *Vitium in auspicio fuisse;* vide ad V, 17, n. 4. Milites ejus, qui sine duce, quamvis victores, e pugna redierant, gravi pœna a senatu affecti fuerunt. Ut enim tradunt Val. Max. II, 7, § 15, et Frontin. Strat. IV, 1, 46, P. C. jussere, legionem cujus dux ceciderat, totam infrequentem referri, eique stipendium ejus anni procedere et æra dari noluere, quia pro salute imperatoris hostium telis se non obtulerant; quod quidem mox in supplemento narratur. Ed. — *C. Valerius, audita* morte collegæ, exercitum in Ligures *deduxit.* Ita lacunam explevit Cluverius, Ital. Ant. I, 8 et 10,

Digitized by Google

[morte Q. Petillii, exercitum sine duce relictum ad suas copias adjunxit; iterumque aggressus hostes, eorum sanguine collegæ manibus egregie parentavit. Triumphavit de Liguribus. In legionem, cujus ante signa consul occisus erat, severe ab senatu animadversum est. Et universæ neque stipendium anni procedere, neque æra dari placuit, quia, pro salute imperatoris, hostium telis se non obtulerant. Sub hæc tempora legati Dardanorum, quos ingens Bastarnarum exercitus, Clondico duce, ut ante memoravimus, premebat, Romam venere. Qui quum de Bastarnis exposuissent, quanta esset eorum multitudo, quam procera et immania corpora, quanta in periculis audacia, adjecerunt, societatem iis esse cum Perseo, et vero eum majori sibi, quam Bastarnas ipsos, esse terrori : ac proinde ut auxilium sibi ferretur, ab senatu postularunt. Patres decreverunt, mittendos esse legatos, qui Macedoniæ res inspicerent : et statim A. Postumio negotium datum, ut eo proficisceretur. Collegas ei adjunxerunt e junioribus, ut penes eum præcipua esset legationis vis et auctoritas. Inde actum de comitiis magistratuum in insequentem annum : qua de re non mediocris disceptatio incidit, quod] periti religionum [9] jurisque publici, quando duo ordinarii consules ejus anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum consulem negabant recte comitia habere posse. [Res ad

pag. 58 et 77. Sed plura excidisse, vel ex proxima nota 9 patet. Eo Freinshem. refert pœnam modo memoratam, legationes a Dardanis Romam et a Romanis in Macedoniam missas, comitia consularia et prætoria, resque a consulibus in Gallia et Liguribus gesta.

Suppl. Pigh. Ann. Rom. — Valer. Max. II, 7. — Liv. XL, 58. — Polyb. Legat. 62.

9. *Periti legionum... posse :* hoc fragmentum a Sigon. insertum ex Prisciani lib. XVII, pag. 1050 et 1097. —Ex priori loco, Drak. edidit, *negabant recte comitia habere posse :* in posteriori, vox *recte* erat omissa. Ed. — *Duo ordinarii consules*, primis creati comitiis. — *Suffectum* in Cn. Cornelii Scipionis mortui locum *consulem*, C. Valerium Lævinum, *negabant comitia habere posse :* utrum tamen ea habuerit, an res potius redierit ad interregnum, ignoramus. Dictatorem vero comitiorum habendorum causa haud dictum fuisse, ex eo colligit Pigh., quod nulla ejus rei mentio fit in Fastis Capitol.

Digitized by Google

interregnum rediit. Creati consules per interregem P. Mucius Scævola, M. Æmilius Lepidus iterum. Prætores inde facti sunt C. Popilius Lænas, T. Annius Luscus, C. Memmius Gallus, C. Cluvius Saxula, Ser. Cornelius Sulla, Ap. Claudius Centho. Consulibus provinciæ obtigere Gallia et Ligures. Prætorum Cornelius Sulla Sardiniam obtinuit, Claudius Centho citeriorem Hispaniam. Reliquæ prætoriæ provinciæ quibus evenerint, non exstat memoria. Annus hic pestilentia infamis, quæ tamen in armenta tantum grassata est. Ligures gens semper victa, semper rebellans, Lunam Pisasque depopulati fuerant. Simul et Gallicus tumultus increpuerat. Lepidus Gallorum motu facile compresso in Ligures transcendit. Aliquot populi sese ejus arbitrio permiserunt: quos, ut sunt fere similia locis cultorum ingenia, asperis montium jugis, quæ incolebant, efferari ratus, quorumdam ante se consulum exemplo, in plana] deduxit.

XIX (*XXIII*). Cis Apenninum Garuli, et Lapicini, et Hercates; trans Appenninum Briniates[1] fuerant. Inter Audenam amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res, in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, et quadraginta hostiis sacrificari jussit. Et tumultus quidem Gallicus et Ligustinus[2], qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppressus erat. Belli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo

Suppl. Fasti Capit. — Pigh. Ann. Rom. — Liv. XL, 38, 43, 51; XLI, 19, 21, 26.

Cap. XIX. 1. *Trans Apenninum Briniates;* vide ad XXXIX, 2, n. 5. — *Inter Audenam amnem*, qui prolapsus ex jugis Apennini in Macram fl. se infundit, et vulgo nunc accolis *Ula* et *Aula*, aut cum Articulo *la Ula* et *l'Aula* vocatur; Cluver. Ital. Ant. I, 10. p. 78. Idem suspicabatur, nomen saltem loci, *inter* quem et *Audenam amnem* Mucius bellum gesserit, excidisse. *Intra Audenam a.* (i. e. ratione Romæ ab hac ejus parte, fluvium non transgressus), conj. Crev.

2. *Tumultus Gallicus et Ligustinus;* vide ad II, 26, n. 1.

Digitized by Google

inter Dardanos Bastarnasque certamina[3]; et legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renuntiaverantque, bellum in Dardania esse. Simul venerant et ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos[4] ab eo Bastarnas, nec auctore eo quidquam facere. Senatus nec liberavit ejus culpæ regem, neque arguit: moneri eum tantummodo jussit, ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis esse videri posset[5]. Dardani, quum Bastarnas non modo non excedere finibus suis, quod speraverant, sed graviores fieri in dies cernerent, subnisos Thracum accolarum et Scordiscorum auxiliis[6], audendum aliquid vel temere rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Hiems erat, et id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod ubi ita factum, et solos jam esse Bastarnas audierunt, bifariam dividunt copias: pars, ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret; pars, devio saltu circumducta[7], ab tergo aggrederetur. Cæterum, prius quam circumire castra hostium possent, pugnatum est; victique Dar-

3. *Miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina* (vide ad II, 19, n. 3), et Bastarnas, exemplo patris, in Dardaniam acciente, ut Dardanos devinceret, et auxilio Bastarnarum uteretur in bello, quod adversus Romanos parabat; conf. XL, 57, 58; XLI, 23; XLII, 11, et Polyb. XXVI, 9. — *Legati missi ad res visendas;* vide ad XXI, 6, n. 4, et conf. Polyb. l. l.

4. *Qui purgarent, nec accitos,* etc. vide ad XXIV, 47, n. 3. — *Nec liberavit ejus culpæ;* genitivum *culpæ* magis verbo *arguit* accommodatum est quam τῷ *liberavit*, quod ablativum postulabat. Ed.

5. *Ut sanctum haberet fœdus, quod ei cum Romanis esse videri posset;* immo *ut sanctum habere fœdus, quod ei c. Rom. esset, videri posset:* nam certe erat ei cum Romanis fœdus; Jac. Gron. Conf. XL, 58 extr. XLII, 25; XLV, 9. Vulgatum defendit Cort. ad Sall. Cat. LII, 3.

6. *Subnisos Thracum... auxiliis;* vide supra ad librum XXV, cap. 41, not. 1.

7. *Devio saltu circumducta;* vide ad X, 2, n. 6.

Digitized by Google

dani compelluntur in urbem, quæ fere duodecim millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt urbem[8], haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine præsidio relicta [nullo negotio cepit. Bastarnæ, omni et commeatu et apparatu bellico, qui in castris fuerat, exsuti, quum ejus reparandi facultas ex hostili regione, et infesto tempore anni, nulla esset, patrias sedes repetere statuerunt. Itaque ad Istrum regressi, non sine ingenti lætitia flumen alta concretum glacie offenderunt, quæ nullum onus recusare videretur. Verum incumbente festinantium seque cursu agglomerantium hominum ac jumentorum toto simul agmine, glacies sub immenso pondere fatiscens subito dissiluit, universumque agmen, quod diu sustinuerat, mediis gurgitibus, victa tandem et comminuta, destituit. Plurimi statim vorticibus hausti sunt. Multos enatare conantes crustæ dissolutæ fragmina superinducta merserunt. Pauci ex omni populo per utramque ripam vix concisis visceribus evaserunt.

(*XXIV*). Per ea tempora Antiochus, M. Antiochi filius, qui diu Romæ obses fuerat, mortuo Seleuco fratre, Syriæ regnum occupavit. Namque Seleucus, quem Philopatora Græci vocavere, quum paternis cladibus fractas admodum Syriæ opes accepisset, post otiosum nullisque admodum rebus gestis nobilitatum annorum duodecim regnum, hunc minorem natu fratrem, misso Romam in ejus locum filio suo Demetrio, revocavit, ex fœderis legibus, quo mutari identidem obsides oportebat. Vix ille Athenas pervenerat, quum Seleucus insidiis Heliodori, unius ex purpuratis, oppressus interiit. Hunc regnum affectantem Eumenes et Attalus expulerunt, induxeruntque in ejus possessionem Antiochum, quem sibi hoc tanto beneficio devinctum habere magni æsti-

8. *Circumsidunt urbem;* Clericus *circumsident.* Drak. vero plura affert exempla quæ probant verbum *circumsido* Livio esse frequentius. Ed.

Digitized by Google

mabant. Jam enim ob quasdam offensiunculas suspectos habebant Romanos. Eorum auxiliis regno potitus Antiochus tanto populorum gaudio exceptus est, ut ei cognomen indiderint. Epiphani, quod, quum alieni a stirpe regia regnum invaderent, ipse avitæ ditionis assertor exortus suis illuxisset. Neque vero ei ad res bellicas defuit indoles et vigor animi. Verum ita pravus et inconsultus fuit in tota morum et instituendæ vitæ ratione, ut brevi, cognomine mutato, pro Epiphane Epimanes, id est, insanus, vocitaretur. Sæpe enim egressus e regia insciis ministris, uno aut altero comite, per urbem rosa coronatus et auro textam indutus vestem incedebat, interim lapidibus, quos sub ala gerebat, incessens obvios; interdum contra nummos in vulgus spargens, vociferansque, *sumat, cui fortuna dederit.* Alias vero per aurificum, cælatorumque, et aliorum fabrorum officinas discurrebat, de cujusque arte ambitiose disserens: nunc cum obvio quoque plebeiorum hominum sermones miscebat in publico, nunc circum popinas oberrans, cum ultimæ sortis peregrinis et advenis compotationi indulgebat. Si quos forte juvenes tempestivum celebrare convivium senserat, ipse statim cum poculo et symphonia improvisus aderat comissabundus et lasciviens; ita ut rei novitate perculsi plerique se in fugam darent, partim metu conticescerent. In publicis quoque balneis cum turba eum lavare solitum fuisse constat. Ibi quum unguentis tamen pretiosissimis uteretur, ferunt quemdam ei de plebe hominem dixisse quondam: *Beatus es, o rex! unguenta maximi pretii oles.* Cui ille, dicto delectatus, *jam te*, inquit, *ita beabo, ut saturum te esse fateare;* et statim in ejus caput ingentem unguenti nobilissimi urnam effundi jussit: ita ut, natante pavimento, in lubrico lapsantes tum cæteri, tum ipse rex inprimis cachinnos tollens concideret.

XX (*XXV*). Postremo, sumpta loco vestis regiæ toga,

Suppl. Oros. IV, 20. — Appian. Syr. — Liv. XXXVIII, 38. — Polyb. apud Athen. libb. V et X, et Ptol. Everg. apud eumdem, lib. X. — Diod. Sicul. apud Vales.

Digitized by Google

quemadmodum Romæ a candidatis fieri viderat, forum circumibat, singulos e plebe prensans amplexansque, et modo ædilitatem, modo tribunatum plebis petens: ac denique populi suffragiis magistratum adeptus, romano] more, sella eburnea[1] posita, jus dicebat, disceptabatque controversias minimarum rerum: adeoque nulli fortunæ adhærebat animus[2], per omnia genera vitæ errans, uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere; munificentia inæquali[3] sese aliosque ludificari: quibusdam honoratis magnoque æsti-

Cap. XX. 1. *Romano more, sella eburnea*, curuli, *posita* (ut tribunali prætoris) *jus dicebat*, etc. ad finem cap. hæc omnia non ad Perseum referenda (cui errori ansam dedisse ultima verba Epitomes hujus libri, loco perperam mota, suspicabatur Drak.), sed ad Antiochum Epiphanem, Syriæ regem et Antiochi M. filium, qui obses olim a patre Romanis datus erat, et hoc anno successit fratri majori Seleuco Philopatori. Cf. Ind. et Epit. lib. XLI; Appian. Syr. 39, 45, 46, 66; auctor Maccab. I, 1, n. 10; Polyb. XXVI, 10, et XXXI, 3, 4; cujus fragmenta, ex Athenæo (ed. Schweigh. V, 21-24, et X, 52, 53; ed. Casaub. V, 4, 5, pag. 193 sq. et X, 10, pag. 439) desumpta, Livius h. l. et Diodorus in Exc. de Virtt. et Vitt. t. II, pag. 577, 583, ed. Wessel. ante oculos habuere ac sæpius expressere ad verbum.

2. *Adeoque nulli fortunæ adhærebat animus*, h. e. nulli vitæ generi (unde mox *per omnia genera vitæ errans*, modo hoc, modo illud maxima levitate exprimens); nisi hoc sensu potius *formæ* leg. cum Rubenio, aut *formæ vitæ*, ut apud Tacit. Ann. I, 74. *Firme adhærebat animus*, conj. Gron. ut *nulli* referatur ad seqq. *genera vitæ*. Agitur certe h. l. de levitate Antiochi, de qua etiam conf. Ptolem. apud Athenæum, X, 10 (X, 52, ed. Schweigh.) — Delendam existimat Doering. vocem *fortunæ*, quam homo qui nesciret, quo τὸ *nulli* referendum esset, importasse videtur, et verba ait sic inter se jungenda: *et animus, errans per omnia vitæ genera, adeo nulli* (sc. vitæ generi) *adhærebat, uti*, etc. Ed.

3. *Munificentia inæquali... puerilia, ut escæ aut lusus, munera*, etc. conf. Polyb. l. l. apud Athen. V, 4 aut 21. — *Honoratis magnoque* pretio (ut XL, 55, n. 1, et passim apud Cic., ut al. *magni*) *æstimantibus se*, i. e. magnam de se opinionem habentibus, sibi valde placentibus, se dignos magnis honoribus præmiisque judicantibus. Dukeri nota est: « Utrum hoc est magno æstimantibus regem et præter alios colentibus? an æstimantibus se ipsos, et quia apud regem honorati erant, sive ob hanc, sive ob illam causam lauta ab eo munera exspectantibus? Neutra sententia et oratio videtur Liviana esse, et pæne refe-

Digitized by Google

mantibus se puerilia, ut escæ aut lusus, munera dare; alios nihil exspectantes ditare. Itaque nescire, quid sibi vellet, quibusdam videri. Quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubie insanire[4] aiebant. In duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in urbium donis et deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circumdaturum urbi est pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificum e marmore facere instituit. Cyzici in Prytaneum[5] (id est, penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur) vasa aurea mensæ unius posuit. Rhodiis, ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quæque usus eorum postulaverunt, dona dedit. Magnificentiæ vero in deos vel Jovis Olympii templum Athenis[6], unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis

renda inter vestigia barbariei, quibus hoc fragmentum deturpatum esse dicit Herald. ad Arnob. IV, pag. 249 ».

4. *Quidam ludere eum simpliciter, quidam haud dubie insanire aiebant*, οἱ μὲν ἀφέλειαν, οἱ δὲ ἀλογίαν, τινὲς δὲ μανίαν αὐτοῦ κατεγίνωσκον, Diodor. οἱ μὲν ἀφελῆ τινα αὐτὸν εἶναι ὑπελάμβανον, οἱ δὲ μαινόμενον, Polyb. Ἀντίοχος ὁ Ἐπιφανὴς μὲν κληθεὶς, Ἐπιμανὴς δ' ἐκ τῶν πράξεων ὀνομασθεὶς, Athen. V, 21 pr. et X, 52. — Ex l. c. Polybii, hunc sensum τῷ *simpliciter* tribuit Doeringius: pro eo, quod illi insitum erat, ingenio; præbebat nempe se Epiphanes talem, qualis erat, nihil curans, quid homines de ipso sentirent. Ed.—*In urbium donis*, quæ urbibus dedit. Usus genitivi, ex more Græcorum, compendiarius, ut XXXV, 48, *maledicta Romanorum* et *Quintii*, i. e. in eos conjecta; Schæf.

5. *Cyzici in prytaneum* (melius *prytaneo;* Duker. Vid. cap. 28, n. 3): *id est*, ita vocant, *penetrale urbis* (vide ad I, 20, n. 3) et curia, *ubi publice*, publicis sumptibus (ut XLII, 1, n. 4), non modo Πρυτάνεις, sed etiam alii, bene de republica meriti, *quibus* inde *is honos datus est, vescuntur;* qualia πρυτανεῖα in omnibus fere Græciæ et multis aliarum regionum oppidis erant, qualisque σιτία seu σίτησις ἐν πρυτανείῳ nota ex Cic. Orat. I, 54; Plut. in Sol., Arist. et Demosth. Conf. de iis et prytanibus Potteri Archæol. t. I, pag. 197 seq. et 282 sq. vers. Ramb., Meurs. Athen. Att. I, 7 et 8; Spanhem. ad Callim. H. in Cer. 129, et in diatriba de Vesta et Prytanibus Græcorum.

6. *Jovis Olympii templum Athenis*, etc. Ὀλυμπίειον apud Polyb. l. l. de quo conf. Epit. et Pausan. I, 18, 6 sq. I, 40, n. 3; inpr. V, 12, 2 sq. (ubi

Digitized by Google

esse. Sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit[7] : et Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro[8] tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, et alia multa, in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus[9] fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis[10] generis

etiam donaria memorat, quibus templum exornaverit Antiochus); Meurs. Athen. Att. I, 9; Casaub. ad Spart. Hadr. 12.

7. *Sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit*, ex emend. Voss. ad Vell. I, 10, et Gronov. *aris* pro *maris* : καὶ τῶν περὶ τὸν ἐν Δήλῳ ΒΩΜΟΝ ἀνδριάντων, Polyb. l. l. Hinc *Deli aram* conj. Herald. ad Arnob. VI, pag. 249, non improb. Duk. cujus nota est : « Polybium de insigni aliqua ara in Delo loqui, articulus τὸν indicio est; quæ mihi non alia videtur esse, quam celeberrima illa ara cornea Apollinis in Delo. (De qua ara κερατινῇ, inter septem miracula mundi relata; vid. Ern. et Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. 60 et 63.) Ita tamen non apparet, quæ sint *insignia*, quibus ara illa exornata fuerit. Forte excidit substantivum, cui *insignibus* additum fuit ».

8. *Templum laqueatum auro*, cujus laquear auro esset inductum. *Laquear* seu *lacunar*, φάτνωμα, dicebatur tectum templi seu triclinii, auro vel cælaturis, gemmis, ebore picturisque exornatum, in quo cælati erant loculi, *lacuum* referentes speciem, et *laqueis*, h. e. marginibus eminentioribus cincti. Conf. Ern. Clav. Cic. et Intpp. Horat. Od. II, 16, v. 11, et Ovid. Metam. VIII, 563.—*Sed* etiam *parietibus totis lamina inauratum*, laminis aureis inductum, bracteatum. *Inducta* vel *inductum* conj. Gronov. probb. Duk. et Drak. ut ex præc. ad *lamina* intelligatur *auri* seu *aurea*.

9. *Perbreve tempus regni ejus fuit*, sc. post illa Antiochiæ et aliis urbibus promissa : nam alioquin ex Conone, Eusebii Chron. aliisque satis constat, eum *XI*, vel *XII* annos regnasse, et *perbreve tempus* longe minus spatium est; Duk. Conf. Schweigh. ad Appiani Syr. 66.

10. *Spectaculorum omnis generis*, ab Antiocho per *XXX* dies ad Daphnen editorum, conjunctarumque cum iis epularum, *magnificentia;* de qua vid. Polyb. — *Reliquorum sui moris*, forte leg. *religione sui moris*, et verba sui moris addita, ne quis magnificentiam eam exigeret ad Romanos; Gron. *Religio* spectare potest ad simulacra omnium deorum heroumque, quæ in pompa fuisse prælata Polybius refert : sed mihi quædam, in quibus de Asiaticis artificibus actum fuerit, videntur periisse; Duk. Idem τὸ *magnificentia* non primo, ut Gron., sed sexto accipiebat casu, et verbum *vicit* ad Antiochum referebat, ut reliqua *dedit*, *instituit*, *posuit*, *fecit*, *accendit*. Voculam *et* ejiciendam censet Drak. ut sensus sit : *reliquorum* spectaculorum *sui*, i. e. Syriaci, *moris* magnificentia superiores reges vicit, nempe *copia græcorum artificum*, i. e. histrionum aliorumque, quorum opera spectacula eduntur (vide ad V, 1, n. 2); utque opponantur hic *spectacula sui moris* et *munus gladiatorum* (forte *gladia-*

Digitized by Google

magnificentia superiores reges vicit, reliquorum sui moris et copia græcorum artificum. Gladiatorum munus romanæ consuetudinis primo majore cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit: deinde sæpius dando, et modo vulneribus tenus, modo sine missione[11] etiam, et familiare oculis gratumque id spectaculum fecit, et armorum studium plerisque juvenum accendit. Itaque, qui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores arcessere solitus erat, jam suo [e regno voluntarios facile paravit gladiatores, operam ultro ad depugnandum exigua mercede offerentes. Cæterum eamdem in edendis spectaculis, quam et in cætera vita, pravitatem animi levitatemque exhibuit, ut ludorum apparatu nihil magnificentius, nihil ipso rege vilius aut contemptius videretur. Quod quidem quum sæpe alias, tum maxime in iis ludis apparuit, quos, æmulatus eorum magnificentiam, qui a Paulo in Macedonia post devictum Persea dati fuerant, immani sumptu, nec minore suo dedecore, Antiochiæ edidit. Verum ad romanas res revertamur, a quibus nos longius abstraxit hujus regis mentio.

XXI (*XXV*). Ti. Sempronius Gracchus, qui per biennium Sardiniam obtinuerat, tradita Ser. Cornelio Sullæ prætori provincia, reversus Romam triumphavit de Sardis. Tantam captivorum multitudinem ex ea insula illum abduxisse fe-

torium) *romanæ consuetudinis*. Sed *reliqua spectacula* jam continentur *spectaculis omnis generis*. Malim *et reliquos ævi omnis*, sc. reges, vel simile quid: nisi plura interciderunt, ad pompam inprimis insignem spectantia, quam Polybius copiose describit. — Doering. suspicatur vocem aliquam post *sui moris* excidisse, v. c. *celebrationem*, et sic prorsus omnia esse plana affirmat: *Celebrationem reliquorum* (spectaculorum) *sui moris* vicit *et* (quoque) *copia græcorum artificum*. Ed.

11. *Modo vulneribus tenus, modo sine missione*, ita ut gladiatores pugnarent, modo donec vulnerarentur, modo donec occiderentur. — *Missio*, ait Creverius, erat gratia deserendi pugnam, quæ dabatur aliquando victis gladiatoribus. Quum autem placeret, ut eousque pugnaretur donec alteruter occumberet, dicebatur pugna sine *missione*. Ed.

Digitized by Google

runt, ut longa eorum venditione res in proverbium venerit, et *Sardi venales* pro rebus vilibus vulgari joco celebrati fuerint. Triumphaverunt et consules ambo, Scævola de Liguribus, Lepidus de iisdem et Gallis. Tum comitia magistratuum in insequentem annum habita. Creati consules sunt Sp. Postumius Albinus, Q. Mucius Scævola. Prætoriis comitiis fortuna inter cæteros candidatos P. Africani filium L. Cornelium Scipionem, sive is Cnæus fuit, non sine magna invidia in certamen conjecit cum C. Cicereio, qui patris ejus scriba fuerat. Nam quinque jam nominatis prætoribus, C. Cassio Longino, P. Furio Philo, L. Claudio Asello, M. Atilio Serrano, Cn. Servilio Cæpione, quum extremo saltem loco adhærescere Scipio niteretur, adeo a patris virtutibus degenerasse visus est, ut omnium centuriarum suffragiis ei Cicereius anteferretur, nisi hic sive fortunæ crimen, sive comitiorum errorem modestia sua emendasset. In hoc campestri certamine patroni sui filium vincere non sustinuit, abjectaque statim candida toga, ex competitore de victoria certo gratus cliens et competitoris sui suffragator factus est. Sic honorem, quem a populo impetraturus Scipio non videbatur, ope Cicereii consequutus est, majore Cicereii gloria, quam sua. Consulibus provinciæ assignatæ sunt Gallia et Ligures. Mox sortiti prætores, C. Cassius Longinus urbanam jurisdictionem obtinuit, L. Cornelius Scipio inter peregrinos[1]. M. Atilio prætori provincia Sardinia obvenerat; sed cum legione nova, quam consules conscripserant, quinque millibus peditum, trecentis equitibus, in Corsicam jussus est transire[2]. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio proroga-

Suppl. Polyb. et Diod. ubi supra.—Lib. XLI, 17, 21, 28.—Auct. de Vir. ill.—Fasti Capit.—Pigh. Ann. Rom.

Cap. XXI. 1. *** *pio inter peregrinos:* « interciderunt h. l. comitia et consularia, quibus creati Sp. Postumius Albinus, Q. Mucius Scævola, et prætoria; de sortitione autem provinciarum subsequitur hoc modo: *Jam prætores sortiti provincias erant. C. Cassius Longinus urbanam, L. Cornelius Scipio inter peregrinos* ». Sigon. De hoc Scipione vide ad XXXVII, 34, n. 2.

2. *In Corsicam jussus est transire:* hoc extra ordinem factum est, fortas-

Digitized by Google

tum imperium, uti obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Cæpioni in Hispaniam ulteriorem, et P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum romanorum, equites centum quinquaginta, et socium latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites; Sicilia L. Claudio [3] sine supplemento decreta. Duas præterea legiones consules scribere jussi cum justo numero peditum equitumque, et decem millia peditum sociis imperare et sexcentos equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in [4] boves ingruerat, eo verteret in hominum morbos [5]. Qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superaverant, longinquo, maxime quartanæ, implicabantur morbo. Servitia maxime moriebantur: eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat [6]. Cadavera, intacta a canibus ac vulturibus, tabes absumebat; sa-

sis quod Sardinia nuper quidem a Graccho pacata (vide ad cap. 17), at tamen nondum ita tranquilla erat, ut tutum esset exercitum rom. inde in Corsicam abducere: nam alioqui, auctore Sex. Rufo in Breviar. cap. 4, harum provinciarum administratio jam olim conjuncta fuerat, quod etiam ex Liv. XL, 18, 19, 34; XLII, 1, 7, intelligi potest; Duker. — *Cornelio prorogatum imperium*, Ser. Cornelio Sullæ: saltem XLV, 17, numeratur inter prætorios, ejusque prætura alibi non memoratur; Pigh. Ann. ad a. 569 et 578, pag. 313 et 353.

3. *Sicilia L. Claudio* Asello, cujus prænomen suspectum fuit Drakenb. propter locum Suet. Tib. I. Is tamen ad patricios tantum Claudios spectat. — *Cum justo numero p. e.* Tò *cum* delendum esse, jam suspicati sunt Duk. et Drak. Cf. ad XLII, 35 med.

4. *Pestilentia, quæ priore anno in boves*, etc. conf. Obseq. de Prod. cap. 66, ubi Scheff. monet, *boves* dici omne genus pecoris armentique. Sed Drak. propriam h. l. vocis vim defendit.

5. *Eo* (anno) *verteret* (se) *in hominum morbos;* Sigon. et post eum alii *verterat.* — *Qui inciderant*, scil. in morbos, ut XXV, 26, et apud Cic. in Pis. 35; Gronov. — *Qui superaverant, longinquo, maxime quartanæ* febris, *implicabantur morbo;* vel ex his verbis patet, non pestem proprie sic dictam h. l. memorari. Conf. ad I, 31, n. 4.

6. *Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat*, ea suppeditabat quæ ad sepulturam vel funerum apparatum pertinent; vide ad XL, 19, n. 5. — *Tabes absumebat;* vide ad VI, 30, n. 4.

Digitized by Google

tisque constabat, nec illo, nec priore anno, in tanta strage boum hominumque vulturium usquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Servilius Cæpio pontifex, pater prætoris, et Ti. Sempronius Ti. F. Longus decemvir sacrorum, et P. Ælius Pætus augur, et Ti. Sempronius Gracchus, et C. Mamilius Vitulus curio maximus, et M. Sempronius Tuditanus pontifex. Pontifices suffecti sunt, C. Sulpicius Galba in locum Tuditani[7]. Augures suffecti sunt, in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronianus, in P. Ælii Q. Ælius Pætus. Decemvir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus C. Scribonius Curio sufficitur. Quum pestilentiæ finis non fieret, senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum supplicatio fuit; et, Q. Marcio Philippo[8] verba præeunte, populus in foro votum concepit: *Si morbus pestilentiaque ex agro romano emota esset, biduum ferias ac supplicationem se habi-*

7. *C. Sulpicius Galba*, *** *in locum Tuditani*; post *Galba* Drak. excidisse putabat *in locum Cæpionis* et nomen deinde alterius pontificis: scribi ergo mavult *C. Sulp. Galba in locum Cæpionis*, *** *in locum Tuditani.—In Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronianus*; mendosum est cognomen *Gracchus*, quod non Veturiæ genti fuit, sed Semproniæ. *Ti. Veturius Calvinus Gracchus S.* male emend. Pigh. (vid. Drak.); melius *T. Veturius Crassus S.* Sigon. et Jac. Periz. (modo constaret, *Crassum* fuisse tunc usitatum cognomen Veturiorum); optime *Ti. Veturius Philo S.* Drak. qui suspicatur, eum fuisse filium Ti. Gracchi, cui in sacerdotio successerit, et adoptatum a Ti. Veturio Philone, de quo vide ad XXIX, 38. An Livius fortasse scripsit *T. Veturius Geminus S.*?

8. *Q. M. Philippo* decemviro sacrorum; vide ad XL, 42. Hos autem sacerdotes in votis concipiendis verba præivisse, docet Drak. coll. IV, 21, et XLIII, 13. Eosdem ex libris fatalibus etiam precationes et supplicationes edidisse, colligit ex h. l. et XLII, 2, ubi hæc leguntur *pacem deum peti precationibus, quæ editæ ex fatalibus libris essent*, et deinde *sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.* Hinc vulgatum ibi servandum putat, nec leg. cum Gron. *qui editi*, cui favere quidem dicit verba seqq. *editumque ab decemviris est, quibus diis quibusque hostiis sacrificaretur*, similiaque loca XXI, 61, XL, 45, et alia, non vero vocem *precationibus*, quæ sic supervacua sit.

Digitized by Google

turum. In Veienti agro biceps natus[9] puer, et Sinuessæ unimanus, et Auximi puella cum dentibus; et arcus interdiu sereno cælo super ædem Saturni in foro Romano intentus, et tres simul soles effulserunt; et faces eadem nocte plures per cælum lapsæ sunt in Lanuvino[10]: Cæritesque anguem in oppido suo jubatum, aureis maculis sparsum, apparuisse affirmabant; et, in agro Campano bovem loquutum esse, satis constabat.

XXII (*XXVI*). Legati Nonis Juniis[1] ex Africa redierunt, qui, convento prius Masinissa rege, Carthaginem ierant: cæterum certius aliquanto, quæ Carthagine acta essent, ab rege rescierant, quam ab ipsis Carthaginiensibus. Compertum tamen affirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in æde Æsculapii datum esse. Ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, et rex affirmaverat, et ipsi parum constanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit: tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius Messalla, Sex. Digitius. Perseus per

9. *In Veienti agro biceps natus*, etc. vide ad I, 31, n. 1. — *Auximi* ex emend. Cluver. et Cellar. *Oximi* male edd. antt. h. l. et cap. 27, et XLII, 20: nam hoc opp. Piceni *Auximum* dicitur Cæs. Bell. civ. I, 12, 13; Velleio, I, 15; Plut. Pomp. p. 621; Lucano, II, 466, et in Gruteri Inscr. 372, in-4. *Ausimum* in tabula Peut. Αὔξουμον Strab. V, 4, § 2, pag. 241; hod. *Osimo* seu *Osmo;* unde corrupta lectio videtur orta. — *Arcus* cælestis.

10. *In Lanuvino;* vide ad VIII, 12, n. 11. *Per cælum* (sc. Romæ) *lapsæ sunt: Lanuvini Cæritesque*, etc. leg. e Prisciani lib. IV, pag. 633; nisi hic negligentius consuluit Livium; Drak. — *Faces*, intellige stellas, vel ignem facis instar per cælum currentem vel labentem. Hoc meteori genus a Cicerone quoque Orat. in Catil. III, cap. 8, ad prodigia refertur; dicuntur ibi *visæ nocturno tempore ab occidente faces ardorque cæli.* Ed. — *Anguem jubatum* alii cristatum interpretantur, alii crinitum; Duk. Conf. Turneb. Advers. XXIX, 4; intpp. Virg. Æn. II, 206, et Plaut. Amphitr. V, 1, v. 56.

Cap. XXII. 1. *Nonis Juniis:* alii *Junii*, perperam *Julii*, quod nomen mensi demum in honorem Cæsaris Dict. datum.

Digitized by Google

id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, et de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Romanos revocabant, cum exercitu profectus, sub jus judiciumque[2] suum totam coegit gentem. Inde, per Œtæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo objectis[3], oraculum aditurus Delphos ascendit. Quum in media repente Græcia apparuisset, magnum non finitimis modo urbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuntius tumultus ejus venit. Triduum non plus Delphis moratus, per Phthiotidem, Achaiam[4] Thessaliamque, sine damno injuriaque agrorum, per quos iter fecit, in regnum rediit. Nec earum tantum civitatium, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare: aut legatos, aut literas dimisit[5], petens, *ne diutius simultatum, quæ cum patre suo fuissent, meminissent: nec enim tam atroces fuisse eas, ut non cum ipso potuerint ac debuerint finiri. Secum quidem omnia illis integra esse ad instituendam fideliter amicitiam.* Cum Achæorum maxime gente reconciliandæ gratiæ viam quærebat.

XXIII (*XXVII*). Hæc una ex omni Græcia gens et Atheniensium civitas eo processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat; quia, quum finibus suis interdixissent[1], intrare regni terminos ipsi

2. *Sub jus judiciumque*, etc. vide ad XXXV, 16, n. 4.

3. *Religionibus q. animo objectis* (vide ad XXV, 12, n. 1), *oraculum aditurus Delphos ascendit;* vide ad XLII, 15, n. 3, et XLII, 42 pr.

4. *Per Phthiotidem, Achaiam;* vide ad XXXIII, 32, n. 6. — Quod hic Livius *Phthiotidem, Achaiam, Thessaliamque* vocat, id infra ad XLII, 40, *Thessaliam* et *Maliensem agrum* vocavit. Ed.

5. *Aut legatos, aut literas dimisit:* ante hæc verba videntur plura deesse; Gron. Forte *sed circa omnes Græciæ civitates;* Crev.

Cap. XXIII. 1. *Quum finibus suis interdixissent*, forte cum Jac. Periz. post *suis* inserendum *iis*, quod tamen et commode abesse potest; Drak. —

Digitized by Google

non audebant. Id quum Perseus animadvertisset, comprehensis omnibus, literas ***; cæterum, ne similis fuga servorum postea fieret, cogitandum et illis esse. Recitatis his literis per Xenarchum prætorem, qui privatæ gratiæ aditum apud regem quærebat, et plerisque moderate et benigne scriptas esse censentibus literas, atque his maxime, qui præter spem recepturi essent amissa mancipia; Callicrates[2] ex iis, qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum fœdus servaretur, « Parva, inquit, aut me« diocris res, Achæi, quibusdam videtur agi; ego « maxime gravissimam[3] omnium non agique tantum « arbitror, sed quodam modo actam esse. Nam qui « regibus Macedonum, Macedonibusque ipsis, finibus « interdixissemus, manereque id decretum, scilicet, « ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per « quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur; ii « concionantem quodam modo absentem audimus re« gem, et, si diis placet[4], orationem ejus probamus.

— *Ipsi* (scilicet Achæi) *non audebant;* nimirum si licuisset Achæis intrare Macedoniam, servitia, quæ eo fugissent, repetitum venissent. Ed. — *Comprehensis omnibus, literas*** ex seqq. colligebat Sigon., hæc excidisse: *ad Achæos misit, quibus se servos eorum, qui ad se transfugerant, benigne remittere illis scripsit.*

2. *Callicrates*, Leontesius Achæus, humilis adulator Romanorum, et popularium suorum proditor calumniatorque; vid. XLV, 31; Polyb. XXVI, 1 seq. XXIX, 8, 10, XXX, 10, 20; XXXI, 8, XXXIII, 15; Pausan. VII, 10-12.

3. *Ego maxime gravissimam*, etc. forte leg. *ego maximam gravissimam o. non agi t.* vel cum Gron. *ego maximam et gravissimam omnium: neque agi tantum*, et mox *nam quum regibus Maced..... maneretque*, etc. Sed similiter *maxime liberalissima* et similia dicuntur Cic. ad Att. XII, 28, et Verr. II, 66; Gell. XIII, 15. Conf. XL, 21, n. 3; Burm. ad Grat. Cyn. 133. Sic et *magis* comparativo jungitur; vide ad IX, 7, n. 4, et conf. Ruhnken. ad Vell. II, 27. Idem Gron. pro *ii concionantem* conj. *hic* vel *nunc c.* — *Scilicet, ne legatos*, etc. hic non referuntur ipsa decreti verba, sed, ut monet Creverius, mens explicatur. Regibus Macedonum, ait Callicrates, Macedonibusque ipsis, finibus nostris interdixeramus, id scilicet præcaventes, ne legatos, ne nuncios... Ed.

4. *Si diis placet;* vide ad IV, 3.

Digitized by Google

« Et, quum feræ bestiæ cibum ad fraudem suam po-
« situm plerumque adspernentur et refugiant, nos
« cæci, specie parvi beneficii, inescamur, et, servu-
« lorum minimi pretii recipiendorum spe, nostram
« ipsorum libertatem subrui et tentari patimur. Quis
« enim non videt, viam regiæ societatis quæri, qua
« romanum fœdus, quo nostra omnia continentur,
« violetur? Nisi hoc dubium alicui est, bellandum
« Romanis cum Perseo esse, et, quod vivo Philippo
« exspectatum, morte ejus interpellatum est, id post
« mortem Philippi futurum. Duos, ut scitis, habuit
« filios Philippus, Demetrium et Persea. Genere ma-
« terno, virtute, ingenio, favore Macedonum, longe
« præstitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii re-
« gnum posuerat præmium [5], Demetrium nullo alio
« crimine, quam romanæ amicitiæ initæ, occidit; Per-
« sea, quem populus romanus prius pœnæ, quam re-
« gni [6], heredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque
« quid hic post mortem patris egit aliud, quam bel-

n. 4. — *Viam regiæ societatis quæri*, forte *societati*; Crev. et Drak.

5. *Odii regnum posuerat præmium*; vide ad XXI, 45, n. 4.

6. *Persea, quem populus rom. prius pœnæ, quam regni*, etc. ita primum editum Lugd. 1553. *Quem P. R. prius pœnæ* edd. ante Sigon. qui *populi romani* dedit. « Cujus vero pœnæ? et unde sciret populus romanus de hac pœna, quam nemo, credo, unquam scivit? Emendo: *quem in populum romanum prius odii, quam regni*, etc. » Gronov. *Quem belli in pop. rom. prius pœne, q. r.* conj. Ruben. *Quem populi rom. hostem prius pœne* Muretus; et *quem odii populi rom.* (h. e. odii Philippi erga populum romanum) *prius pœne* Drak. Malim legere: *quem populo romano* vel *populi rom. prius pœnam* aut potius *Pœnam* (h. e. vexatorem et ultorem injuriæ patri factæ), *quam regni heredem futurum sciebat.* Sic Pisonem *Pœnam et Furiam sociorum* dixit Cic. Pis. 37, et similia passim. Conf. ad Sil. II, 551, et Ernesti Clav. Cic. Ad hanc sententiam spectant verba seqq. et illa Arci, cap. 24: *Divinat etiam, quæ futura fuerant, si Philippus vixisset; quid ita Perseus regni heres sit, quid parent Macedones.* — Τὸ *pœnæ* defendit Walch. Emend. Liv. pag. 225: « *pœnam*, ait, posuit (Livius) pro re pœnam merente, sive meritura. Cujus hereditatem si populus romanus sciebat Persea prius pæne quam regni aditurum esse; quæ tandem alia sit

« lum paravit[7]? Bastarnas primum ad terrorem om-
« nium in Dardaniam immisit; qui si sedem eam te-
« nuissent, graviores eos accolas Græcia habuisset,
« quam Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus, non ta-
« men belli consilia omisit; immo, si vera volumus
« dicere, jam inchoavit bellum. Dolopiam armis sub-
« egit[8], nec provinciis de controversis ad disceptatio-
« nem populum romanum adivit. Inde, transgressus
« OEtam, ut repente in medio umbilico Græciæ[9] con-
« spiceretur, Delphos ascendit. Hæc usurpatio itineris
« insoliti quo vobis spectare videtur? Thessaliam deinde
« peragravit. Quod sine ullius eorum, quos oderat,
« noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad
« nos cum muneris specie misit[10], et cogitare jubet,
« quo modo in reliquum hoc munere non egeamus,
« hoc est, ut decretum, quo arcentur Peloponneso

quam pœna cogitati a Philippo et tantum non suscepti belli, de quo per totam orationem sermo est? Quare acute dicta nolim mutari. Ut *pœna*, ita *odium* pro re ponitur quæ odium excitat, et *invidia* pro re quæ invidiam excitat ». Cf. VI, 27, n. 1. Ed.

7. *Itaque quid hic egit aliud, quam bellum paravit;* vide ad II, 8, n. 9. — *Bastarnas primum*, etc. vid. cap. 19, n. 3. — *Quam Asia Gallos habeat:* an *habet?* Cf. XXXVIII, 16 sq.

8. *Dolopiam armis subegit*, etc. conf. XLII, 41 extr. — *Nec provinciis de controversis ad disceptationem p. r. adivit;* primæ edd. *populi rom.* quædam, et *populum rom.* aliæ: *audivit* ed. Basil. 1554, et seqq. Hæc verba spectant ad illa, cap. 22, *quidam Dolopum non parebant et, de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Romanos revocabant*. Hinc *nec provinciis de c. ad d. populi rom. revocantem* (se) *audivit* emend. Sigon., rectius vero Gron. *nec p. de c. discept. ad populum rom. revocantem*, meliusque *nec provocantem* (Dolopiam) seu *nec provocantes* (Dolopas) *de controversiis ad disceptationem populi rom. audivit.* Hoc probarunt Crev. et Drak. qui monet, non verisimile esse, Dolopas, populum haud ita magnum, de *provinciis* cum Perseo controversias habuisse.

9. *In medio umbilico Græciæ;* vide ad XXXV, 18, n. 2. Vox *medio* supervacua et forte glossema. — *Sine ullius eorum, quos oderat, noxia*, Roell. conj. *quos adierat* (ut cap. præc. *per quos iter fecit*), et Duker. *noxa;* vide ad X, 19, n. 2.

10. *Literas ad nos cum muneris specie misit*, sc. ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα, Ern. — *Quo modo in reliquum* (vide ad XXIII, 20, n. 4) *hoc munere non egeamus*, sarcastice dicta.

Digitized by Google

« Macedones, tollamus; rursus legatos regios et hospi-
« tia cum principibus et mox Macedonum exercitus,
« ipsum quoque a Delphis (quantum enim interluit
« fretum?) trajicientem in Peloponnesum videamus,
« immisceamur Macedonibus armantibus se adversus
« Romanos. Ego nihil novi censeo decernendum, ser-
« vandaque omnia integra, donec ad certum diriga-
« tur[11], vanusne hic timor noster, an verus fuerit. Si
« pax inviolata inter Macedonas Romanosque manebit,
« nobis quoque amicitia et commercium sit: nunc de
« eo cogitare periculosum et immaturum videtur ».

XXIV (*XXVIII*). Post hunc Arco, frater Xenarchi prætoris[1], ita disseruit : « Difficilem orationem Calli-
« crates et mihi, et omnibus, qui ab eo dissentimus,
« fecit : agendo enim romanæ societatis causam ipse,
« tentarique et oppugnari dicendo, quam nemo neque
« tentat, neque oppugnat, effecit, ut, qui ab se dis-
« sentiret, adversus Romanos dicere videretur. Ac
« primum omnium, tanquam non hic nobiscum fuis-
« set, sed aut ex curia populi romani veniret, aut re-
« gum arcanis interesset, omnia scit et nuntiat[2], quæ
« occulte facta sunt. Divinat etiam, quæ futura fue-
« rant, si Philippus vixisset; quid ita Perseus regni
« heres sit, quid parent Macedones, quid cogitent
« Romani. Nos autem, qui, nec ob quam causam,
« nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus, nec

11. *Donec ad certum dirigatur*, immo *redigatur*, ut XLIV, 15, et alibi *ad irritum* et *nihilum redigere*; Gron. Sic et apud Plin. XX, 9, *ad planum redigere*; Drak.

Cap. XXIV. 1. *Arco*, *frater Xenarchi prætoris*, forte *Archo* vel *Archon*; Drakenb. Ἄρχων dicitur Polyb. XXIII, 10; XXVIII, 7; XXIX, 10.

2. *Omnia scit et nuntiat*, etc. vide ad IX, 16, n. 5. Mox *quæ futura fuerint* Donatus et Prisc. reponi jubent; Gron. Contra Drak. paulo post etiam *facturus fuerat* revocavit pro vulg. *f. fuerit*, quod Sigonius substituerat, docetque, modos diversos Livio aliisque frequentes esse. — *Quid ita*, quo consilio. Ed.

Digitized by Google

« quid Philippus, si vixisset, facturus fuerat, ad hæc, « quæ palam geruntur, consilia nostra accommodare « oportet. Ac scimus, Persea, regno accepto, ad le- « gatos romanos venisse[3], ac regem Persea a populo « romano appellatum : audimus, legatos romanos ve- « nisse ad regem, et eos benigne exceptos. Hæc om- « nia pacis equidem signa esse judico, non belli; nec « Romanos offendi posse, si, ut bellum gerentes eos « sequuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequa- « mur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bel- « lum adversus regnum Macedonum geramus, non « video. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ su- « mus[4]; an infirmissimi omnium, tanquam, quos nu- « per subjecit, Dolopes? Immo contra ea, vel viribus « nostris, deum benignitate, vel regionis intervallo « tuti. Sed sumus æque subjecti ac Thessali Ætoli- « que[5]; nihilo plus fidei auctoritatisque habemus ad- « versus Romanos, qui semper socii atque amici fui- « mus, quam Ætoli, qui paulo ante hostes fuerunt. « Quod Ætolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni « denique Græciæ cum Macedonibus juris est, idem « et nobis sit: et cur exsecrabilis ista nobis solis velut

3. *Ac scimus, Persea, regno accepto, ad legatos romanos venisse;* id nescit historia Livii, et leg. *Persea, r. a., legatos Romam misisse, ac regem a populo romano appellatum.* Gron. Conf. XL, 58 extr.

4. *Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus*, ut mox *subjecti;* vide ad I, 54, n. 4; et VII, 34, n. 3. — *Immo contra ea*, etc. dele τὸ *ea*, aut scribe *contra vim;* Gronov. Sed vide ad II, 60, n. 1.

5. *Sed sumus æque subjecti ac Thessali Ætolique:* nulla ratio est, quare hic Ætolorum mentio fiat; itaque aut delenda ea vox, aut leg. *Thessali Dolopesque*, aut ex seqq. *Epirotæque;* Gronov. Malim *Thessali Perrhæbique* (vide ad XXXIX, 24 seqq.), aut potius *T. Bœotique;* vide ad XLII, 12. — Cæterum Arconem, ut notavit Doering., per ea quæ hic dicit, ridendo quasi contrarium intelligere facile apparet. Censet idem vocem *subjecti*, quam Crever. respondere putat præcedenti *opportuni*, referendam potius ad proxime præcedentia: *quos nuper subjecit*. De hoc loco fusius disputat Waloh. Emend. Liv. p. 247, et pro *sed sumus*, etc. scribi vult *sed si-*

Digitized by Google

« desertio juris humani est[6]? Fecerit aliquid Philip-
« pus, cur adversus eum armatum et bellum geren-
« tem hoc decerneremus : quid Perseus, novus rex,
« omnis injuriæ insons, suo beneficio paternas si-
« multates obliterans, meruit? cur soli omnium hostes
« ei sumus? Quanquam et illud dicere poteram, tanta
« priorum Macedoniæ regum merita erga nos fuisse,
« ut Philippi unius injurias, si quæ forte fuerunt, *
« utique post mortem. Quum classis romana Cenchreis
« staret[7], consul cum exercitu Elatiæ esset, triduum
« in concilio fuimus, consultantes, utrum Romanos,
« an Philippum, sequeremur. Nonnihil metus præ-
« sens ab Romanis sententias nostras inclinarit : fuit

mus æque subjecti ac Thessali Ætolique! nihilo plus, etc. Distinctionis multas alias facit mutationes, quas quum sit longius enumerare, ipsum consulere velis. Ed.

6. *Et cur exsecrabilis ista nobis solis velut desertio juris humani est*, cur nos soli Græcorum inhumano illo et exsecrabili decreto Macedonibus interdiximus finibus nostris? Cf. cap. 23 pr. Ibi idem decretum ab Atheniensibus quidem factum legimus: sed res oratorie augetur. Mox cum Gronov. forte leg. *quid Perseus... meruit, cur soli omnium hostes ei simus?* et deinde post *si quæ forte fuerunt*, auctore Sigonio, addendum *oblivisceremur*, vel cum Clerico et Crever. *oblivisci deberemus.*

7. *Quum classis rom. Cenchreis staret*, etc. conf. XXXII, 19 sq.—*Nonnihil metus præsens*, etc. « immo *nihil*, ut sensus sit: Etiamsi nihil metus præsens a Romanis tam ex propinquo cum classe et exercitu nobis imminentibus sententias nostras ad se inclinaverit, *fuit tamen aliquid*, quod nos tam diu ab ineunda societate et amicitia cum tam potente populo et tam prope in cervicibus nostris hærente retinuerit. Apparet, Arconem in speciem largiri adversariis, quo cæteroquin ipse in rem suam uti posset: nempe licet nihil affirmare se astute simulet, haud obscure tamen innuit, Romanorum metu subactos Achæos cum illis amicitiam junxisse, non contra, ut videtur velle vulgata lectio, quum nihil magis adversum sit sententiæ ejus, quippe qui tanta fuisse Philippi in Achæorum gentem merita contendat, ut non facile videantur ab illo ad Romanos fuisse defecturi ». Jac. Periz. — *Nonnihil* servandum Doering. putat, hoc sensu: Concedamus quidem, metum ab Romanis nobis imminentem vim aliquam ad sententias in Romanorum causam inclinandas habuisse; sed quod metus ille non statim animos nostros inclinavit, quod triduum, utrum Romanos, an Philippum sequeremur, consultavimus, id satis probat, non levem hujus longioris deliberationis causam

Digitized by Google

« certe tamen aliquid, quod tam longam deliberatio-
« nem fecerat: id quod erat vetusta conjunctio cum
« Macedonibus, vetera et magna in nos regum me-
« rita. Valeant et nunc eadem illa, non ut præcipue
« amici, sed ne præcipue inimici simus. Ne id, quod
« non agitur, Callicrates, simulaverimus. Nemo novæ
« societatis aut novi fœderis, quo nos temere illige-
« mus, conscribendi est auctor: sed commercium tan-
« tum juris[8] præbendi repetendique sit, ne interdi-
« ctione finium nostrorum et nos quoque regno ar-
« ceamus, ne servis nostris aliquo fugere liceat. Quid
« hoc adversus romana fœdera est? Quid rem parvam
« et apertam magnam et suspectam facimus? Quid va-
« nos tumultus ciemus? Quid, ut ipsi locum assen-
« tandi Romanis habeamus, suspectos alios ac invi-
« sos[9] efficimus? Si bellum erit, ne Perseus quidem
« dubitat, quin Romanos sequuturi simus. In pace
« etiamsi non odia finiuntur, intermittantur ». Quum
iidem huic orationi, qui literis regis assentierant, as-
sentirentur[10], indignatione principum, quod, quam
rem ne legatione quidem dignam judicasset Perseus,
literis paucorum versuum impetraret[11], decretum dif-
fertur. Legati deinde postea missi ab rege, quum Me-

fuisse, nempe vetustam conjunctionem cum Macedonibus, vetera et magna in nos regum merita. Ed.

8. *Commercium tantum juris*, etc. hæc explicat Spanhem. ad Juliani Orat. I, pag. 34. — *Ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus*, etc. ne ea efficiamus, ut Macedones nobis quoque interdicant finibus regni sui, et *servis nostris* tutum præbeant refugium.

9. *Suspectos alios ac invisos;* vide ad III, 16, n. 2.

10. *Qui literis regis assentierant, assentirentur,* forsitan *assentarentur:* saltem delendum *assentierant;* Gronov. *Adsensi erant* conj. Freinsh. ad Curt. IX, 7, n. 9, et *adsenserant* Duk.

11. *Literis paucorum vers.* (germ. Zeilen) *impetraret*, ex emend. Gron. pro *imperaret*, quia non imperaverit utique, nec aut jus id ejus aut tanta auctoritas fuerit. De *literis* vide ad cap. 23. — *Deinde postea*, pleonasmus, qui et qualis sæpenumero obvius est.

Digitized by Google

galopoli concilium esset; dataque opera est ab iis, qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur.

XXV (*XXIX*). Per hæc tempora Ætolorum in semet ipsos versus furor mutuis cædibus[1] ad internecionem adducturus videbatur gentem. Fessi deinde et Romam utraque pars miserunt legatos, et inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant: quæ novo facinore discussa res veteres etiam iras excitavit. Exsulibus Hypatæis, qui factionis Proxeni erant, quum reditus in patriam promissus esset fidesque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta illustres homines, quibus redeuntibus inter cæteram multitudinem Eupolemus etiam obvius exierat, quum salutatione benigne excepti[2] essent dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam deosque testes nequidquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. C. Valerius Lævinus et Ap. Claudius Pulcher et C. Memmius et M. Popillius et L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos quum Delphis utriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus maxime, quum causa, tum eloquentia, præstare visus est; qui paucos post dies ab Orthobula uxore veneno est sublatus: damnataque eo crimine[3] in exsilium abiit. Idem furor et Cretenses lacerabat: adventu

Cap. XXV. 1. *Ætolorum in semet ipsos versus furor mutuis cædibus*, etc. conf. ad XLII, 5; XLV, 28, 31, et Polyb. XXX, 14, XXXII, 21, et de Virt. et Vit. pag. 1451: apud quem tamen ipsa hujus intestini Ætolorum belli historia intercidit. — *Eupolemus ita obvius exierat;* addidit Drakenb. voculam *etiam*, quam omiserant postrema Gruteri ed. et reliquæ recentiores, quum constanter in antiquioribus supersit. Ed.

2. *Salutatione benigne excepti*, forte *benigna;* Crev.

3. *Damnataque eo crimine*, etc. malit Gron. *quæ damnata*, et Periz. *damnata quæ;* sed nihil mutandum; vide ad II, 56, n. 1, et XXVIII, 12, n. 8. Commodius foret mox *inducias tantum sex mensium fecerunt;* Gron.

Digitized by Google

deinde Q. Minucii legati, qui cum decem navibus missus ad sedanda eorum certamina erat, in spem pacis venerant. Cæterum induciæ et antea sex mensium fuerunt: inde multo gravius bellum exarsit. Lycii quoque per idem tempus[4] ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quæque modo gesta sunt, persequi non operæ est[5]: satis superque oneris sustinenti res a populo romano gestas scribere.

XXVI (*XXX*). Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Ti. Graccho dediderant, pacati manserant M. Titinio prætore obtinente provinciam. Rebellarunt sub adventum[1] Ap. Claudii, orsique bellum sunt ab repentina oppugnatione castrorum romanorum. Prima lux ferme erat, quum vigiles in vallo, quique in portarum stationibus erant, quum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamaverunt. Ap. Claudius, signo proposito pugnæ, ac paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad exitum Celtiberis, primo par utrumque prælium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: urgentes deinde alii alios sequuti evaserunt extra vallum, ut pandere aciem et exæquari cornibus hostibus[2] quibus circumibantur, possent:

4, *Lycii quoque per idem tempus*, etc. vide ad cap. 6, n. 5 sq.

5. *Persequi non operæ est;* vide ad I, 24, n. 10. Mox verbum *scribere* del. forte; Crever. Satis ferri potest; Drakenb.

Cap. XXVI. 1. *Rebellarunt sub adventum;* vide ad II, 42, n. 2.; II, 55, n. 1.

2. *Exæquari cornibus hostibus*, etc. τὸ *cornibus* auferendi, *hostibus* dandi casu accipitur: sed forte leg. *urgentes deinde alii alios seque ubi evaserunt extra vallum, ut p. a et e. cornibus hostibus* vel *hostium, a quibus circumibantur, possent, ita repente irruerunt, ut*, etc. Gron. Probabilior est conjectura Crever. *scutis* pro *sequuti*, et Drak. *hostilibus* pro *hostibus*. — « Nemini, ait Walch. Emend. pag. 252, hoc placebit *sequuti;* quæ ignava vox est post *urgentes*. Sed non ab una hac parte laborat locus. Disjunctum *ita* a suo *repente*, cui libenter adhærescit (vid. Cæs. de Bell. Gall. I, 52; Tac. Agr. cap. 18;

Digitized by Google

ita repente eruperunt, ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt: ad quindecim millia cæsa aut capta; signa adempta duo et triginta. Castra etiam eo die expugnata, debellatumque: nam, qui superfuere prælio, in oppida sua dilapsi sunt: quieti deinde paruerunt imperio.

XXVII (*XXXI*). Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum: princeps lectus[1] M. Æmilius Lepidus pontifex maximus. De senatu novem ejecerunt. Insignes notæ fuerunt M. Cornelii Maluginensis, qui biennio ante prætor in Hispania fuerat[2]; et L. Cornelii Scipionis[3] prætoris, cujus tum inter cives et peregrinos jurisdictio erat; et M. Fulvii, qui frater germanus[4] et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris[5] erat. Consules,

Liv. XXVII, 8), et concisi numeri cui placeant? flagitat sententia suspensam orationem, donec cum illis *ita repente* ad exitum properet. Sensum restituimus, dum literarum vestigia presse sequimur, scribentes: *Urgentes deinde alii alios sicubi evaserunt extra vallum, ut pandere aciem et exæquari cornibus hostilibus, quibus circumibantur, possent, ita repente irruperunt, ut sustinere*, etc.». Quum Livius *tribus* uno tempore portis copias eductas narret, minime alienum hinc est, ipso monente Walchio, *sicubi*, i. e. si qua parte. Immerito igitur, ut observavit Büttnerus, Obss. Liv. pag. 95, pronunciavit eruditissimus Lindavius, Specil. Crit. in Thucyd. et Liv. p. 17, a Walchio hic perperam reponi particulam istam. Nihilo potiore jure idem contendit, ad *urgentes* referendum esse *hostem*. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Legerunt senatum: princeps lectus*, etc. vide ad XXIII, 22, n. 1, et XXVII, 11, n. 8. — *De senatu novem ejecerunt;* vide ad IV, 24, n. 5. — *Insignes notæ;* vide ad XXIV, 16, n. 5.

2. *M. Cornelii Maluginensis, qui biennio ante prætor in Hispania fuerat:* ex cap. 15 intelligitur, verba *in Hispania* esse vel corrupta vel delenda, aut Livium memoria lapsum; Periz. (Anim. Hist. cap. 8, pag. 342), et Crever.

3. *L. Cornelii Scipionis*, etc. vide ad XXXVII, 34, n. 2.

4. *M. Fulvii, qui frater germanus*, etc. vide ad XL, 41, n. 7. *Frater germanus* dicitur vel ὁμοπάτριος, vel uterinus, vel adoptivus; vid. Rutgers. Var. Lect. I, 9; Wessel. Obss. I, 13, et intpp. Nep. Præf. § 4. Suspicari possis, vocem h. l. et XL, 8, n. 4, primo sensu accipi debere, aut utrumque iisdem parentibus natum fuisse et additam vocem *germanus* majoris emphasis causa et ad arctius sanguinis vinculum indicandum; Drak.

5. *Consors etiam censoris*, κοινό-

Digitized by Google

votis etiam in Capitolio nuncupatis, in provincias profecti sunt. Ex iis M. Æmilio[6] senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse et ipsorum legati attulerant. Legati, qui in Ætoliam ad similes motus comprimendos ierant, renuntiarunt, coerceri rabiem gentis non posse. Patavinis saluti fuit adventus consulis; neque aliud, quod ageret in provincia, quum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas silice in Urbe[7], glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos; et scenam ædilibus prætoribusque[8] præbendam; et carce-

βιος, ejusdem tecti et mensæ, aut communi adhuc patrimonio fruens; ut apud Cic. Verr. III, 23, et, qui idem de eodem tradit, Vell. 1, 10 extr. ubi vid. intpp. Malo tamen cum Burm. ad Vell. per *consortes* intelligere coheredes, qui communi et nondum diviso patrimonio pariter utuntur, quo sensu *fratres consortes*, lib. XXXI, § ult. D. de excus. tutor. memorantur, et unde Tatius, qui simul cum Romulo regnum Romæ obtinuit, apud Suet. Tib. 1, *consors Romuli* vocatur; Drak. — *Votis etiam* (forte *antea*) *in Capitolio nuncupatis;* vide ad XXI, 63, n. 10. Τὸ *etiam* ex præcedd. *consors etiam censoris* irrepsisse putabat Crever.

6. *Ex iis M. Æmilio* verba mendosa: nam anno priore consules fuere M. Æmilius Lepidus II, et P. Mucius Scævola, hoc vero Sp. Postumius Albinus et Q. Mucius Scævola. Cum Drak. forte leg. *Exin M. Æmilio* et mox *adventus proconsulis.* — *Ad intestinum bellum exarsisse et ipsorum legati attulerant,* vel delendum *et,* vel excidit prius orationis membrum; Crever.

7. *Vias sternendas silice in Urbe,* qui mos usitatus etiam ad duas vias breviores extra Urbem translatus est (vide ad X, 47, et XXXVIII, 28), *glarea extra urbem substruendas* (ita edd. ante Paris. 1573, quæ, nescio qua auctoritate, *substernendas* dedit) *marginandasque primi omnium locaverunt;* vide ad V, 23, n. 6; VI, 4, n. 7; XXI, 31, n. 11: et de *glarea, viarum marginatione* et *substructione,* aggere medio viarum aliquantum eminentiore, totoque h. l. Bergier. de publ. et milit. Rom. viis, II, 3, 5 et 31. Verba *primi omnium,* quæ multos offenderunt, quia dudum ante hos censores fuere Appia et Flaminia viæ, Bergier. l. l. et Lips. de Magnit. Rom. III, 10, retulere ad *glaream,* at Duk. non tantum ad remotius *substruendas,* sed etiam ad propius *marginandas.*

8. *Scenam ædilibus prætoribusque,* ludos edituris, *præbendam,* hoc est, in usus eorum apparandam, præparandam; Ernest.

Digitized by Google

res in circo[9], et ova ad notas curriculis numerandis, et * dam, et metas trans * et caveas ferreas pe * intromitterentur * ferreis in monte Albano consulibus, et clivum Capitolinum silice sternendum curaverunt, et porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum ac super id curiam[10]. Et extra portam Trigemi-

9. *Carceres in circo*, dudum statutos (vide ad VIII, 20, n. 1), nunc *institutos* fuisse, scribit Panvin. de Lud. Circ. II, 5; et *locatos* Buleng. de Circo Rom. I, 10. Neutrum ex verbis Livii effici potest, et plane incertum est, quid hic de carceribus circi scriptum fuerit; Duk. Excidit forte *instaurandos*, vel *cultius ornandos*, vel simile quid; Drak. — *Et ova ad notas curriculis numerandis* pro vulg. *numerandas* ex emend. Salmasii ad Solin. pag. 640, ubi et hæc monet: « Ova illa veluti notæ fuerunt, quibus curricula numerarentur. Ὠοειδῆ δημιουργήματα vocat Dio, I, 49, pag. 417, fabricas quasdam e ligno ovali figura factas cum basi, qua sisti possent et erigi. Varro, Ling. lat. I, 2, not. 11, *nam non modo ovum illud sublatum est, quod ludis Circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis.* Cassiodorus, Variar. III, 51, *quod metarum circuitus ovorum exemptionibus exprimatur.* Ex his auguror, septem ova tot numero statuta fuisse, quot curricula erant peragenda (conf. Gell. III, 10; Sen. Ep. 4; intpp. Prop. II, 25, 26, et Suet. Domit. 4): primo curriculo peracto, unum ovum e medio tollebatur (ut alii putant, apponebatur); secundo facto alterum: ita de reliquis. » Conf. Tertull. de Spectac. 8. — Mox omnes lacunas male ita explent Buleng. de Circo Rom. I, 19, et Marc. Donatus: *et rhedam* (currus, bigas et quadrigas) *et metas* vel *metarum transitus* seu *transcursus* (circum quas currus agebantur), *et caveas ferreas, per quas intromitterentur* (in Circi arenam) *ferræ.* (Cum his feris tum forte in circo nondum depugnabatur; conf. XLIV, 18). Pro *ferreis* Sigon. legit. *feriis*, sc. Latinis: sed totum h. l. sanari conjectura non posse et ipse fatetur, et Duk. ac Drak.

10. *Et porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam;* nota Dukeri est: « Neque vulg. *ad*, neque emendatio Ryckii de Capit. cap. 34, *et* vel *ac* locum habere potest, nisi ostendatur, quod ille conjicit, primum, senacula et curias, æque ac porticus, silice sterni consuevisse, deinde in Capitolio senaculum, et super id curiam fuisse. Senatum quidem sæpe in Capitolio habitum fuisse legimus, sed in æde alicujus dei, non in curia in Capitolio. Quod Ryckius hic *curiam Calabram* in Capitolio intelligit, rationem aliquam haberet, si constaret, in ea his temporibus unquam senatum habitum fuisse. In curia Calabra sacrorum tantum singularium, et præcipue ante fastos a Cn. Flavio publicatos, ratio habita; vid. Macrob. Sat. I, 15; Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 654; Varr. Ling. lat. lib. V, pag. 49, et Fest. Præterea nullum ex tribus senaculis, quæ Romæ fuisse Festus scribit, in Capitolio fuit. Quod vero Nicostratus apud Fest. senacula dicit fuisse loca,

Digitized by Google

nam emporium lapide straverunt[11] stipitibusque sepserunt; et porticum Æmiliam reficiendam curarunt; gradibusque ascensum ab Tiberi in emporium fecerunt. Et extra eamdem portam in Aventinum porticum silice straverunt, et eo publico[12] ab æde Veneris fecerunt. Iidem Calatiæ et Auximi muros faciendos locaverunt; venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumpserunt. Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil, nisi senatus romani populive jussu, se locaturum ipsorum pecunia[13] *) Jovis ædem Pi-

in quibus senatus haberi solitus sit, parum verum esse recte censet Zamosc. de Sen. Rom. II, 6. » Ea potius fuisse loca, ubi consisterent senatores ac sermones inter se conferrent, monet Ern. *Senatulum* quidam scribendum putant. *In Capitolio* conj. Crev. ut porticus illa ab æde Saturni in clivo Capitolino porrecta fuerit ad senaculum.

11. *Emporium lapide straverunt* (ad Tiberim), etc. conf. ad XXXV, 10 extr. et ad XXI, 57, n. 7. — *Porticum Æmiliam*, tantum nonodecimo anno ante exstructam; Drak. Vide ad XXXV, 10. — *Extra eamdem portam* Trigeminam *in Aventinum*, etc. « Quomodo hoc fieri potuit? nam Aventinum Ancus rex Urbi addidit; vide ad I, 33. An porticus illa transcendit muros Urbis? Hinc Jacobus Perizonius *intra eamdem portam* conjecisse videtur ». Drak.

12. *Et eo publico*, ex emporii paulo ante memorati proventu, *ab æde Veneris*, in regione circi maximi, *fecerunt* porticum in Aventinum; Doujat. In prioribus vocibus latere clivum Publicium, qui prope Aventinum fuerit, suspicabatur Jac. Periz. *Et basilicam ad ædem Veneris f.* conj. Gron. Sed nusquam quid de basilica ab his censoribus ad ædem aliquam Veneris, quæ multæ Romæ fuerint, facta tradi, monet Duk.

13. *Nam Postumius nihil nisi senatus consulto populive jussu se locaturum ipsorum pecunia dicebat* conj. Sigon. et mox *Potentiæ* pro *Pollentiæ*. Ita *Pisaurum* et *Potentia* junguntur h. l., ut apud Vell. I, 15, et sup. XXXIX, 44 (ubi vid. n. 9). Verum et *Potentia* et *Pollentia* in Piceno fuit, illa maritima, hæc mediterranea, et hæc potius, quam illa, non longe a Misione vel Miseone fl. sita, aqua indiguisse videtur; Drak. *In Pollentiam aquam deducendam* legendum putabat Crev. vel in voce *etiam* latere nomen alterius urbis, in quam Fulvius aquam adducendam locaverit. Mox Marc. Donatus conj. *Sinuessæ glarea viam*, Drak. *Sinuessæ magna opera ac varia; in his*, etc. Sigon. *In his et cloacam in fluvium circumducendam*. Sed Sinuessa sita fuit ad mare, et remotior exstitit a fluminibus Liri et Savone, inter quæ media erat, quam ut eo *cloacæ* circumducerentur; Drak.

Digitized by Google

sauri, et Fundis, et Pollentiæ etiam aquam adducendam, et Pisauri viam silice sternendam, et Sinuessam a ga * aviariæ. In his et clo * um circumducend * et forum porticibus tabernisque claudendum, et Janos tres faciendos [14]. Hæc ab uno censore opera locata, cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens et severa censura fuit. Multis equi [15] adempti.

XXVIII (*XXXII*). Exitu prope anni diem unum supplicatio fuit ob res prospere gestas in Hispania ductu auspicioque Ap. Claudii proconsulis, et majoribus hostiis viginti sacrificatum; et alterum diem supplicatio ad Cereris, Liberi Liberæque fuit [1], quod ex Sabinis terræ motus ingens cum multis ædificiorum ruinis nuntiatus erat. Quum Ap. Claudius ex Hispania Romam redisset, decrevit senatus, ut ovans urbem iniret. Jam consularia comitia appetebant [2], quibus, magna contentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Postumius Albinus et M. Popillius Lænas. Prætores inde facti N. Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Atilius Serranus iterum, C. Cluvius Saxula iterum. Comitiis perfectis, Ap. Claudius Centho, ex Celtiberis ovans

14. *Janos tres faciendos*, quos vulgo putant esse Janos summum, medium et imum in foro Romano ad basilicam Æmiliam, arcus marmoreos et fornicatos transitus, per quos in forum descenditur. Cf. ad II, 49, n. 8; Schol. et intpp. Horat. Epist. I, 1, v. 54, et Sat. II, 3, v. 18; Suet. Aug. 31. Verum non de Janis Romæ, sed Sinuessæ, aut in aliqua certe colonia, exstructis h. l. agi, verba sqq. docent; Drakenb.

15. *Multis equi adempti;* vide ad XXIV, 18, n. 4.

Cap. XXVIII. 1. *Et alterum diem supplicatio fuit,* unum diem ob res prospere gestas in Hispania, et unum ob terræ motum: in universum tantum biduum; Duk. Conf. XXVII, 4, et XXXVII, 47 ad V, 13, n. 5; Gronov. de Pec. Vet. IV, 5, extr. p. 294. — *Ad Cereris, Liberi Liberæque,* etc. vide ad I, 33, n. 6; III, 55, n. 8; XXII, 36, n. 9.

2. *Consularia comitia appetebant;* vide ad V, 19, n. 2. — *C. Cluvius Saxula iterum;* vid. Pigh. Annal. ad annum 568.

Digitized by Google

quum in Urbem iniret, decem millia pondo argenti, quinque millia auri in ærarium tulit. Flamen Dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem Matris Matutæ cum indice hoc posita[3] est: « Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio[4] auspicio- « que legio exercitusque populi romani[5] Sardiniam « subegit. In ea provincia hostium cæsa aut capta su- « pra octoginta millia. Republica felicissime gesta, at- « que liberatis vectigalibus[6] * restitutis, exercitum « salvum atque incolumem plenissimum præda domum « reportavit. Iterum triumphans in urbem Romam re- « diit. Cujus rei ergo hanc tabulam donum Jovi dedit». Sardiniæ insulæ forma erat[7], atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data; unum ante cætera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis causa patris sui, cum visceratione epuloque et ludis scenicis, quatriduum[8] dedit.

3. *Tabula in ædem... posita est:* cum Sigon. suspicari possis *in æde*, ut IV, 20; XXIII, 19; XXVI, 24; XXXII, 27; XXXVI, 35; XL, 52; XLII, 6, 20. Sed nil forte mutandum. Conf. ad XXXI, 44; XXXVIII, 35; XLI, 20, n. 5; ad II, 14, n. 2, et Drak. ad h. l. Cur vero in æde *Matris Matutæ* posita est tabula, quam Sempronius *donum Jovi dedit?*

4. *Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio*, etc. conf. cap. 17. Hic Gracchus, Sardiniam Corsicamque subegit, et multa inde reportavit mancipiorum millia: quæ quum essent vilissima aut vilissimi pretii, proverbium inde ortum putant, *Sardi venales, alius alio nequior;* quod alii ad posteriorem Gracchum referunt. Conf. Festus et intpp. Aurel. Vict. de Vir. ill. cap. 57.

5. *Legio exercitusque pop. rom.;* vide ad XXVII, 38, n. 5.

6. *Liberatis vectigalibus*, salvis redditis populo rom., quæ defectores averterant; Gronov. Post *vectigalibus* excidisse *et reipublicæ* conj. Sigon. *reipublicæque* Pigh. *sociisque* Gronov. « Satis dubium est, ante *liberatis* aliquid perierit, an ante *restitutis*. Si hoc verum est, pro *liberatis* scribo *duplicatis;* conf. cap. 17. Sed *restituere vectigalia* minus insolens est, quam *liberare*, quod eo sensu, quo Gron. id hic dici vult, latinis scriptoribus haud usurpatur. » Duk. — Ego vero, nihil neque mutando neque addendo, libens interpretarer per hypallagen haud fortasse absonam: *restitutis* (pop. rom. scil.) *vectig. liberatis*, h. e. quibus solvendis se liberaverant vectigales prius populi. Ed.

7. *Sardiniæ ins. forma erat picta* hac tabula.

8. *Quod mortis causa patris sui*,

Digitized by Google

Magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum quatuor et septuaginta homines pugnarint.

(*XXXIII*). Finis hujus anni insignis est nova, eaque magni momenti lege, quæ non sine aliquo motu animorum agitata civitatem exercuit. Hactenus feminas non minus, quam viros, ad hereditates admitti jus fuerat. Inde fiebat, ut illustrissimarum sæpe familiarum bona in alienas domos transfunderentur, magno cum reipublicæ damno, cujus interest, clarorum nominum heredibus suppetere opes, quibus splendorem generis, onus alioqui magis, quam decus, tutari et exornare possint. Deinde etiam, quum crescentibus jam imperii opibus crescerent quoque privatorum divitiæ, metus erat, ne pronior natura in luxum et elegantioris cultus affectationem muliebris animus, nactus ex affluentia opum cupiditatis irritamenta, in sumptus immodicos atque in luxuriam prolaberetur, ac deinde a prisca fortasse sanctitate descisceret, nec minor fieret morum, quam cultus, mutatio. His incommodis obviam ire statuit Q. Voconius Saxa, tribunus plebis, tulitque ad populum : *Ne quis, qui post A. Postumium, Q. Fulvium censores census esset, heredem virginem, neve mulierem faceret : neve illi virgini, vel mulieri, bona cujusquam liceret hereditate percipere ultra centum millia sestertium.* Sed et cavendum quoque duxit Voconius, ne magnitudine legatorum hereditates, quod fiebat interdum, exhaurirentur. Adjecit igitur rogationi, *Ne*

cum visceratione epuloque... dedit munus glad. ; vide ad VIII, 22, n. 1, et XXIII, 30, n. 9. — *Magni tamen muneris ea summa fuit;* credo corruptum esse *summa:* aut *ea summa* est ea impensa, tantus sumptus; Duk. et Ern. Sed ita vox *tamen* inepta est. Malim *summam* exponere caput, præcipuum, populo gratissimum; et legere *quod pugnarunt.* — Legi jubet Walch. Emend. Liv. pag. 259, *Magni tum muneris*, etc. explicans : « Magni muneris speciem præferebat illa ætate, quod per triduum quatuor et septuaginta homines depugnarant ». Refert scil. Walch. *eam summam* ad numerum hominum qui depugnarant, et conjunctionem *ut*, quam consilium exprimere putarat Duker., explicandi causa positam existimat, multis collatis Livii exemplis. Quod attinet ad *tamen* pro *tum* a librariis scriptum, has particulas compendiaria scribendi ratione *tm* et *tn* centies permutari, post alios notat Ruhnkenius ad Vell. pag. 183. Ed.

Digitized by Google

quis plus cuiquam legaret, quam ad heredem heredesve perveniret. Atque hoc quidem posterius legis caput facile se populo probabat, quod et æquissimum videretur, nec cuiquam magnopere grave esset. De priore, quo removebantur feminæ ab omnium omnino civium hereditatibus, ambigebatur. Dubitationem exemit M. Cato, acerrimus jam olim in defendenda lege Oppia mulierum adversarius et castigator, qui et hanc quoque majoris momenti adversus illas legem, annos natus quinque et sexaginta, magna voce et bonis lateribus suasit, pro solita asperitate in muliebrem invectus impotentiam, intolerandosque in opulentia spiritus: quum hinc quoque argueret divitum matronarum fastum et arrogantiam, *quod illæ, magna sæpe dote marito allata, magnam sibi pecuniam reciperent ac retinerent, eamque pecuniam ita postea viro roganti mutuam darent, ut, quoties iratæ essent, statim per receptitium servum consectantem et quotidie flagitantem solutionem, maritum, tanquam debitorem extraneum, importune cogerent.* Hac indignatione commoti legem, uti rogabat Voconius, accipiendam censuerunt.

Suppl. Cic. Verr. I, § 107 et § 110; de Senect. § 14. — Dio, LVI. — Liv. XXXIV, 1 seqq. — Cato apud Aul. Gell. XVII, 6.

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SEPTIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

Liber tricesimus sextus : breviarium..... Pag. 1
Liber tricesimus septimus : breviarium 79
Liber tricesimus octavus : breviarium 193
Liber tricesimus nonus : breviarium..... 315
Liber quadragesimus : breviarium 423
Liber quadragesimus primus : breviarium..... 529

FINIS SEPTIMI VOLUMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google